Digitized by Google

B3-I 3016⁸

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

9000000

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CHR. G. HEYNII

PROFESSORIS ELOQV. ET POES. GEORGIAE AVGVSTAE M. BRITANN. R. A CONSIL. AVL.

OPVSCVLA ACADEMICA

COLLECTA

ET

ANIMADVERSIONIBVS

LOCVPLETATA.

VOLVMEN II.

GOTTINGAE

APVD IO. CHR. DIETERICH.

1787.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTVS PROLVSIONVM VOLVMINIS SECVNDI.

Proluſiones XV. de ciuitatum Graecarum per Magnam Graeciam et Siciliam inſtitutis et legibus.

Prooemium Pag. 3

I. *Legum Locris a Zaleuco ſcriptarum fragmenta.* Commentatio *prior.* Ad commendandum nouum Prorectorem Ge. Henr. Ayrer d. 3. Julii 1767 * 12

II. —— Commentatio *poſterior.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXX. die 17. Septembris 1767 24

Epime-

*) Quae anteceſſerant Programmata ad commendandum nouum Prorectorem Kaeſtnerum 2. Jul. 1766. et Walchium 2. Januar. 1767. v. Vol. I. p. 290 et 301.

Digitized by Google

Epimetrum I. *de Locris* 46

——— II. *de Zaleuco* 62

III. *Legum Charondae fragmenta.* Sectio *prior.* Ad commendandum nouum Prorectorem Phil. Ge. Schroeder d. 2. Jan. 1768 74

IV. —— Sectio *altera.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXII. d. 17. Sept. 1769 * 86

V. —— Sectio *tertia.* Ad commendandum nouum Prorectorem Ge. Lud. Boehmer d. 2. Jan. 1770 97

VI. —— Sectio *quarta.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXIII. d. 17. Sept. 1770 ** 112

VII.

*) Programma ad commendandum nouum Prorectorem Gatterer d. 4. Julii 1768. vid. Vol. I. p. 330. ad indicenda ſacra anniverſaria XXXI. d. 17. Sept. 1768. ibid. p. 346. et ad commendandum nouum Prorectorem Foertſch, 4. Jan. 1769. ibid. p. 363.

**) Referenda huc: Parentale ſacrum Munchhuſii d. 28. Dec. 1770. Vol. I. p. 383. quo indicta oratio in eius memoriam ſubiecta eſt ſub calcem huius Vol. II. tum Programma ad commendandum nouum Prorectorem Vogel 2. Jan. 1771. ibid. Vol. I. p. 401.

Digitized by Google

VII. *De Sybaritarum ac Thuriorum rep. et legibus*. Sectio *prior*. Ad commendandum nouum Prorectorem Jo. Ph. Murray d. 2. Jul. 1771 120

VIII. —— Sectio *altera*. Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXIV. d. 17. Sept. 1771 † 145

IX. —— Sectio *tertia, in qua quaeritur, fuerintne Thuriorum leges a Charonda ſcriptae*. Ad commendandum nouum Prorectorem Jo. Steph. Pütter d. 2. Jul. 1772 155

De Sybaritis ac Thuriis Spicilegium 172

X. *De Crotoniatarum rep. et legibus*. Ad commendandum nouum Prorectorem Jo. Petr. Miller d. 2. Jul. 1774 * 176

Epimetrum *de Pythagora et Pythagoreis legumlatoribus* 196

XI. *De reliquis poſt Sybaritas et Crotonienſes Magnae Graeciae ciuitatibus, quae* Achaicis *inſtitutis*

†) Proluſio ad commendandum nouum Prorectorem Zachariae 2. Jan. 1772. v. To. I. p. 409.

*) Interceſſerant inter hanc et ſuperiorem Proluſionem: Progr. ad anniuerſaria ſacra XXXV. indicenda d. 17. Sept. 1772. quod ſequetur inf. hoc Vol. p. 299. et ad anniuerſaria ſacra XXXVI. 17. Sept. 1773. v. inf. p. 315.

Digitized by Google

tutis et iuribus ſunt vſae: Lao, Elea, Terina, Caulonia, Pandoſia, Metaponto. Ad indicenda ſacra anniuerſaria XXXVII. d. 17. Septemb. 1774 * 200

XII. *Inſtituta et leges ciuitatum ſtirpis* Dorienſium; *nunc quidem Tarentinorum.* Ad indicenda anniverſaria ſacra XXXVIII. d. 18. Septemb. 1775 214

XIII. *Inſtituta et leges Heraclienſium, quae Tarentinorum fuit colonia.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXIX. d. 17. Sept. 1776 233

XIV. *De reliquis rebusp. Magnae Graeciae et Siciliae ſtirpis* Doricae; *tum de* Chalcidicis *et reliquis.* Ad commendandum nouum Prorectorem Ern. Gothofr. Baldinger d. 2. Jan. 1777 252

XV. *Obſeruationum ad leges et inſtituta rerumpubl. Magnae Graeciae et Siciliae complementum et ſpicilegium.* Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXXIX. d. 17. Sept. 1786 ** 278

XVI.

*) Programma ad commendandum nouum Prorectorem Meiſter 3. Julii 1775. v. inf. p. 332.

**) Facile intelligitur, hanc decimo inde anno ſcriptam Proluſionem eſſe huc retractam, vt argumentum hoc vno loco abſolutum haberetur.

Digitized by Google

XVI. *Litterarum artiumque inter antiquiores Graecos conditio ex Muſarum aliorumque deorum nominibus muniisque declarata.* Ad indicenda ſacra anniuerſaria XXXV. d. 17. Sept. 1772. 299

XXVII. *Notatio Corporis Iuris gloſſati Msti Bibliothecae Georgiae Auguſtae.* Ad indicenda ſacra anniuerſaria XXXVI. ſimulque ad commendandum nouum Prorectorem Ge. Henr. Ayrer d. 17. Sept. 1773 315

XVIII. *De Arcadibus luna antiquioribus.* Ad commendandum nouum Prorectorem Chr. Frid. Ge. Meiſter d. 3. Julii 1775 332

XIX. *Numi Familiarum Romanarum, qui in Muſeo academico ſeruantur.* Commentatio I. Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXX. d. 18. Sept. 1777 355

XX. —— Commentatio II. Ad commendandum nouum Prorectorem Lud. Kulenkamp d. 2. Jan. 1778 371

XXI. —— Commentatio III. Ad indicenda anniuerſaria ſacra XXXXI. d. 17. Sept. 1778 390

XXII.

Digitized by Google

XXII. *Oratio in ſollennibus parentalibus memoriae Munchhuſianae celebrandae indictis* d. 28. Decemb. 1770 * 409

Index 447

*) Hanc vnam ex ceteris orationibus, ex muneris ratione habitis, ſeruatam eſſe volui.

PROLVSIONES

Digitized by Google

PROLVSIONES XV

DE

CIVITATVM GRAECARVM

PER MAGNAM GRAECIAM

ET SICILIAM

INSTITVTIS ET LEGIBVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Prooemium.

Habet hoc ſcribendi genus, quod per Proluſiones academicas diuerſis temporum ſpatiis et ex praeſcripto abſoluitur, difficultates ſuas et moleſtias; in his etiam hanc, quod, cum intra paucorum foliorum anguſtias commentatio continenda ſit, argumentum indagationis paullo altioris, aut copioſioris diſputationis, non niſi per partes exigere licet, quodque, cum ſubtilior commentandi ratio ab hoc ſcriptionis genere plerumque abhorreat, ſeligere neceſſe eſt tantum potiora, quae publici, vt aiunt, ſaporis aut ſunt aut videri poſſunt.

Inſtitueram equidem conquirere reliquias et fragmenta inſtitutorum legumque ciuitatum Magnae Graeciae, aſſumtis ciuitatum Graecarum per Siciliam inſtitutis, quae cum illis coniuncta eſſent. Exſequi propoſitum non licuit niſi per partes, Commentationibus XIV. per interualla publice ſcriptis: I. II. *de LL. Locris ſcriptis a Zaleuco* I. et II. 1767. III-VI. *LL. Charondae* I. II. III. IV. 1768. 69. 70. VII-

IX. *Inſtituta et LL. Sybaritarum et Thuriorum* I. II. III. 1771. 72. X. *Crotoniatarum* 1774. XI. *reliquarum Achaici iuris ciuitatum* 1774. XII. *Dorienſium, et in his Tarentinorum* 1775. XIII. *Heraclienſium* 1776. XIV. *coloniarum a Corinthiis, Meſſeniis, Rhodiis deductarum,* tandemque *Chalcidici generis coloniarum* 1777. quibus acceſſit XV. *Obſeruationum ad LL. et inſtituta rerumpublicarum Magnae Graeciae et Siciliae complementum et ſpicilegium* 1786. in quod reieci ſimul ea, quae de toto hoc legum genere et de natura harum legum diſputari poſſe viſa ſunt.

Intelligitur ex his, me ciuitates illas ac colonias *ad certa genera* reuocaſſe: quandoquidem conſtanti vſu et obſeruatione deprehenſum eſt, colonias vti religiones et ſacra, ſic leges et iura, hoc eſt reip. adminiſtrandae formam, retinuiſſe, quam metropolis conſtitutam habebat *): quo quidem inſtituto hoc

*) v. Proluſ. de vet. Coloniar. Iur. ſup. To. I. pag. 315 ſqq. Si in ea aetate adhuc viueremus, qua in laude habebatur, doctam antiquitatem vel ſine inſigni aliquo ad rem praeſentem fructu recolere: haberem vtique in votis, vt vir doctus omnia antiquitatis veſtigia de coloniis veteris Graeciae per orbem terrarum colligeret ac ſcite diſponeret: plurima ad hoc conſilium e numis et marmoribus peti poſſunt mutuam ſibi lucem foenerantia, inprimis quod ad ſacra, religiones ac deos, et magiſtratus ſpectat; praeterea de dialecto, quae coloniis communis fuit cum metropoli. Ita v. c. in paucis tabulis ap. Comitem de Caylus *Recueil* To. II. pl. XV ſq. obſeruare licet ex marmoribus ibi allatis: Chalcedonem, vtpote Megarenſium coloniam, dialecto dorica vſam: in eadem Senatum populumque ſuum γραμματέα habuiſſe; Cumas Aeolica, Cyzicum, Mileti ab Athenis ortae coloniam, Ionica dialecto vſam; in eadem Atticam originem redolere Dianam Munychiam, tribus IV. inſtitutas, etc.

Digitized by Google

hoc conſequutus ſum, vt formam et adminiſtrationem rerumpublicarum certo aliquo iudicio conſtituere poſſem. *Genera* igitur *illa* nunc in ipſa fronte *apponere*, tum altero loco placet *tempora, quibus iſtae ciuitates origines ſuas habuerint, conſignare*: vt his ſub vnum conſpectum appoſitis tanto melius ea, de quibus poſthaec ſigillatim diſputabitur, perſpici et ad ſua genera ac capita reuocari poſſint.

Omnino igitur coloniae Magnae Graeciae ac Siciliae maximam partem aliae fuere *Dorici*, aliae *Achaici*, aliae *Chalcidici* generis. *Doricae* ſtirpis coloniae aliae deductae a *Lacedaemoniis*, vt *Tarentini* eorumque colonia, *Heraclea* in terra Siritide (v. Proluſ. XII. et XIII.) aliae a *Corinthiis*, et quidem *Syracuſae*: a quibus exierant *Acrae*, *Caſmenae*, *Camarina*; aliae a *Megarenſibus*: *Hybla* et *Thapſus*; aliae a *Rhodiis*: *Gela* et ab hac *Agrigentum*; a *Meſſeniis Meſſana*, et ab hac *Pyxus* in Lucania; porro *Tyndaris* in Sicilia; a *Cnidiis Lipara* (v. Proluſ. XIV.). Licet et ad Doricum genus referre *Locros*, etſi ab Aeolica ſtirpe oriundos et legibus Zaleuci ſibi ſcriptis vtentes, a quibus *Hippo* ſeu *Vibona Valentia* condita, et *Medma* (v. Proluſ. I. II.). Commune fuit harum ciuitatum, vt *ariſtocratica* reip. adminiſtrandae forma vterentur: verum ea, quae certae ſtirpi ac genti auctoritatem ac ius deferret; quod fecerant Dores, cum Heraclidis profecti, (cf. inf. Proluſ. XII.) ſequuti exemplum patriae auctoritatis, qualis in patrefamilias habebatur.

Achaici generis fuere *Sybaris*, cui ſucceſſere *Thurii* (v. Proluſ. VII. VIII. IX.), qui Charondae Le-

Digitized by Google

gibus vſi eſſe feruntur, (v. III - VI.) et *Croton* (v. Proluſ. X.) et ductae ab iſtis *Laus*, *Scidrus* et *Metapontum*, cum *Poſidonia;* ab his *Terina*, *Caulonia*, *Pandoſia* (v. Proluſ. XI.). Inſtituta Achaeorum ad democratiam erant proniora: ἰσοπολιτείαν vnice probabant; ſed magiſtratibus vtique parebant. cf. Proluſ. X.

Chalcidicae ſtirpis, adeoque *Ionicae* originis, habitae *Cumae* in Italia et ab his *Neapolis:* etiam a Cumanis *Zancle*, poſtea *Meſſana* facta, ab hac *Himera* et *Mylae* conditae: porro ad Chalcidicum genus ſpectant *Naxus*, a quibus *Callipolis*, *Leontini* et *Catana;* ab iſtis *Euboea; Tauromenium*, *Rhegium*. Ariſtocratica reip. forma omnino vſae ſunt Chalcidicae ciuitates: quam eandem tamen nec minus democratiam appellare poſſes; erat nimirum resp. legibus temperata, magiſtratibus ex Optimatibus conſtitutis; Optimates autem ex cenſu habebantur; Tum de rep. partim in ſenatu partim in comitiis populi agi ſolitum (v. Proluſ. XIV.)

Ionicae quoque originis *Elea* a Maſſilienſibus in Italiam adducta, *Scylletium* et *Thurii* Athenienſium colonia (ibid.)

Praeter has *Cretenſium* coloniae *Brundiſium*, *Hyria*, *Sallentia;* in Sicilia *Heraclea Minoa*. E *Theſſalia* autem *Petilia*, *Crimiſa* et *Egeſta;* ex *Aetolis* tandem *Temeſa*, et e *Phocide Lagaria* (ibid.)

Intelligetur ex his Doricum genus cum Chalcidico maxime per Siciliam, Achaicum autem per Magnam Graeciam opibus polluiſſe. Achaei Aeolicae

Digitized by Google

cae ſtirpis et ſermonis eſſe a nonnullis perhibentur *). Enimuero fuit Achaeorum ſtirps diuerſa ab Aeolum, Dorum et Ionum ſtirpibus; Ionibus tamen fuere propiores, etiam ſermone †). Leges autem et inſtituta Achaeorum nusquam Aeolicarum ciuitatum communes fuere.

Ciuitatum Magnae Graeciae leges et inſtituta a Pythagora et Pythagoreis emendata eſſe communis eſt antiquitatis narratio; etſi, ſi ſeuerius in tradita inquiſiueris, ea, quae fama certa tradita ſunt, ab iis quae incerta fide traduntur, difficile ſit discernere. Verum hac de re inf. *ad Crotoniatarum remp.* agendi locus erit.

At hoc, quo verſamur, loco ſubiiciam *temporum notationes*, quas quidem ſatis definitas reperire licuit, coloniarum in Magnam Graeciam et

 Siciliam

*) Inducti ſunt viri docti loco Strabonis lib. VIII. p. 514 B. vbi dictum erat Aeoles et extra Peloponneſum opibus valuiſſe, et vero etiam intra Peloponneſum; hic autem mox cum Ionibus et Dorienſibus permixtos eſſe: Οἱ μὲν οὖν Ἴωνες ἐξέπεσον πάλιν ταχέως ὑπὸ Ἀχαιῶν *Αἰολικοῦ ἔθνους*· ἐλείφθη δὲ ἐν τῇ Πελοποννήσῳ τὰ δύο ἔθνη, τὸ μὲν Αἰολικὸν καὶ τὸ Δωρικόν. Iam antea dixerat Aeolicum et Doricum ſermonem conueniſſe. Pergit etiam alios minus cum Dorienſibus commerciis iunctos, vt Eleos et Arcades, Aeolice locutos, reliquos plus minusue Dorice. Verba Αἰολικοῦ ἔθνους manifeſtum ſunt gloſſema; collegerat ita aliquis ex ſeqq. Repugnat tamen hoc ceteris Strabonis locis, quibus aperte Aeoles ab Achaeis et hos ab iſtis diſtinguit cf. lib. VIII. p. 587 C. et ſq. Achaeos cum Aeolibus paſſim permixtos fuiſſe non negem. cf. Pauſ. VII, 1. ſermo autem temporis ſucceſſu tantum non Doricus factus.

†) Pauſan. II, 37. p. 199. ante Heraclidarum reditum in Peloponneſum τὴν αὐτὴν ἠφίεσαν Ἀθηναίοις οἱ Ἀργεῖοι (atqui hi erant Achaei) φωνήν.

Siciliam deductarum: vt vno ſtatim conſpectu ordo earum ac ſucceſſio percipi poſſit. *Conditae* itaque *traduntur et deductae Cumae*, a Cuma Euboeae, ante C. N. 1031. (Euſeb. 1050.) adeoque ab excidio Troiae annis 153. ab reditu Heraclidarum 73. A Cumis deducta *Neapolis* et *Zancle;* (haec facta eſt Meſſana Ol. 29, 1.) A Zancle ductae *Himera* et *Mylae*.

Metapontum, antiquiſſima vrbs, cuius adeo origo ad Pylios a Troia reduces referebatur; accepit aliquando nouos colonos ab Achaeis et Sybaritis.

Naxus condita circa Olymp. 11. ante C. N. 736. a Chalcidenſibus Euboeae.

Paulo poſt Ol. 11, 2. *Syracuſae* a Corinthiis. Inde prodiere *Acrae* Ol. 28, 4. ante C. N. 665. *Caſmenae* Ol. 33, 4. ante C. N. 645. *Camarina* Ol. 45, 1. ante C. N. 600. et iterum ante Ol. 72, 3. et tertio paullo poſt.

Sub idem tempus Ol. 11. *Hybla* a Megarenſibus: prodiit ex hac paullo poſt *Thapſus*.

A Chalcidenſibus *Leontini* conditi Ol. 12, 3. ante C. N. 730 et *Catana* paullo poſt.

Sybaris ab Achaeis Ol. 15, 1. ante C. N. 720. excisa Ol. 67, 2. ante C. N. 510. inſtaurata Ol. 81, 4. a. C. N. 453. tum *Thurii* facti Ol. 83, 3. ante C. N. 446.

Croton ab Achaeis Ol. 17, 3. ante C. N. 710.

Tarentum a Lacedaemoniis Ol. 18, 2. ante C. N. 707. Eius colonia *Heraclea* Ol. 86, 4. ante C. N. 433.

Gela

Digitized by Google

Gela a Rhodiis Ol. 22, 3. ante C. N. 690. Ex hac exiit *Agrigentum* Ol. 49, 3. ante C. N. 582.

Locri Epizephyrii a Locris Opuntiis Ol. 24, 2. ante C. N. 683. Praeceſſiſſe tamen fertur alia colonia circa Ol. 14, 1. ante C. N. 724. et tertia antiquior e Corcyra.

Rhegium a Chalcidenſibus: paullo poſt Ol. 28, 1. ante C. N. 668.

Meſſana a Meſſeniis: Ol. 29, 1. ante C. N. 664. quae Zancle fuerat.

Agrigentum a Gelois Ol. 49, 3. ante C. N. 582.

Elea ſ. Velia Ol. 61, 1. ante C. N. 536. a Phocaeenſibus, qui Maſſiliam condiderant Ol. 45, 1. ante C. N. 600 et Ol. 60, 2. ante C. N. 539.

Poſidonia a Sybaritis ante Ol. 67, 2. ante C. N. 510.

Thurii conditi ab Athenienſibus Ol. 83, 3. ante C. N. 446.

Heraclea a Tarentinis Ol. 86, 4. ante C. N. 433. cum antea *Siris* fuiſſet.

Cum itaque legum ſcribendarum cauſſa mitterentur a Romanis qui per Italiam et Graeciam ciuitatum leges et inſtituta cognoſcerent (V. C. 302. Ol. 82, 1. ante C. N. 452.) vrbes, quae per Graeciam Magnam adiri potuere, fuerunt Locri, Croton, Metapontum, Tarentum; inprimis vero leges Zaleuci et Charondae, et inſtituta a Pythagoreis paſſim emendata, cognoſci potuere.

Digitized by Google

Quae vero cauſſae Graecos impulerint ad tot nouas in Italia ſedes petendas, ſi quaeritur: partim de ſingulis coloniis ea de re expeditior diſputatio eſt, et videnda ſunt quae de iis ſigillatim dicta ſunt; partim vniuerſe quaeſtionem tractauimus in Commentatione *de vet. Coloniar. Iure et cauſſis* (ſup. *Vol. I. p. 296* ſq.). Vt tamen nunc ſummatim aliquid apponamus; antiquiorum coloniarum mittendarum neceſſitatem plerumque fecit nouae ſobolis ſubnatae frequentia, cui alendae ager non ſuppetebat, ſeu quia eo inter ciuium capita diuiſo nihil quod nouis ciuibus aſſignari poſſet ſupererat, ſeu agri ſterilitate, anni intemperie aut alia calamitate ſuborta. Aliarum autem coloniarum, inprimis poſt Olympiadum initia, cauſſas a diſſidiis et ſeditionibus ciuitatum per Graeciam repetendam eſſe manifeſtum fit; iuribus ciuium in adminiſtratione reip. populari non ſatis ſeu per ordines ſeu per ſtirpes aut ad cenſum deſcriptis. Factio itaque victa plerumque ad alias ſedes quaerendas proficiſcebatur. Fuere tamen etiam nouandarum rerum auctores, qui deſperato coeptorum ſucceſſu patria diſcederent; alii, qui fortunae caſibus caput obiicere et nouarum terrarum opportunitate circumſpecta meliorem ſortem expectare mallent. Vt vero in Italiam et Siciliam nauigarent, Aſiae, etiam Ponti, littoribus iam a Graecis occupatis, allicere eos debuit prioribus aetatibus locorum ſolitudo, mox cognita ac fama celebrata coeli ſolique felicitas, agrorum vbertas et popularium ex ea opulentia; etſi ipſa ſucceſſus ſimilis ſpes vim ad aliorum animos habere debuit: quo factum videmus, vt, poſtquam

poſtquam ſemel Doricae ſtirpis colonia Siciliam inſederat, mox magno numero aliae eiusdem ſtirpis ſuccederent; ſimiliterque Achaici generis coloniae per Italiae extremae oras.

Incrementa tam matura et tam laeta coloniis his per Italiam et Siciliam cum coeli ſolique felicitas, quae illa aetate fuit incredibilis, tum rei agrariae ſtudium iam tum inter Graecos aliquantum excultum vſuque ac peritia firmatum, mox etiam nauigatio et prouentus exportatio attulit. Ab vna et altera ciuitate (v. inf. de Sybaritis) veteres incolae, etſi barbari, in agrorum communionem adſciti, ab aliis aduenae in ciuitatem adſcripti frequentiam ciuitatibus facile addere debuere. Praeterea ex recentiorum ſcriptorum diſputationibus res vulgata eſt, quam celeres et faciles auctus ſint hominum, ſi victus cultusque vitae parata ipſis eſt copia.

I.

Digitized by Google

I.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHR. GUIL. FR. WALCHIVS D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

GE. HENRICVM AYRER

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. III. JULII CIↃIↃCCLXVII.

Legum Locris a Zaleuco ſcriptarum fragmenta.

Commentatio prior.

Exacto iam magiſtratus noſtri tempore, Commilitones amantiſſimi, quem quidem, quod vobis nobisque gratulamur, ita deponimus, vt modeſtiam veſtram, pudorem, legumque ac diſciplinae publicae reuerentiam, publica commemoratione dignam iudicemus, vtque omnino nos, obſeruatores potius et cuſtodes virtutis veſtrae, quam exactores ac cenſores, fuiſſe iuuet, ſuccedet nunc in locum noſtrum Vir illuſtris, omnique doctrinae inſigniumque cum in veſtras vtilitates tum in publicum Academiae noſtrae ſtatum meritorum laude cumulatiſſimus,

GEORG.

GEORG. HENR. AYRER D.

cuius quidem omni humanitate expolitiſſimi viri dignitate et auctoritate non minus, quam veſtrae laudis, quo perpetua illa ſit, retinendae amore et ſtudio adductum vos iri ſperamus, vt ſedulo curetis, quo ea, qua nunc cum maxime floretis, bene moratae praeclareque et animo et vita conſtitutae iuventutis laus integra vobis ſeruetur et illibata. Sollennia, in quibus more ſolito Prorectoris dignitas et inſignia publice transferuntur, habebuntur die III. Julii, hora X. quibus vt frequentia veſtra celebritatem addere nosque in ſuggeſtum eſcenſuros et, quae diuina prouidentia etiam per hoc ſemeſtre in nos cumulauit, beneficia enarraturos beneuole audire velitis, id vero eſt, quod humaniſſimis precibus noſtris a vobis contendimus.

Ceterum vt mori inſtitutoque Academiae noſtrae pareamus, quo nihil ne ſollennium quidem verborum concipitur, quin adiectum ſit aliquid vel coniunctum, quod ſiue honeſtam voluptatem afferre ſiue vtilitatem aliquam ad animos veſtros, Commilitones, habere poſſit, diſputatiuncula breui *Leges Locris a Zaleuco ſcriptas* illuſtrabimus. Quod commentationis genus ſi vobis non omni fructu carere videbitur, aliarum deinceps ex antiquitate ciuitatum, Magnae ſaltem Graeciae ac Siciliae, inſtituta et leges, quarum quidem memoria ad nos peruenit, pari cura et ratione recenſebimus. Nolite autem arbitrari, Commilitones, eſſe eam rem alienam a ſtudiis noſtris communibus; nec niſi ad iurium tantum vel antiquitatis ſcientiam ſpectare. Veteres enim,

enim, quod vel ex Cicerone de legibus notum eſſe poteſt, eum morem obſeruaſſe memineritis, vt in legum ſcribendarum tabulis non modo ius ciuile, aut, cum eo, publica et ſacrorum ac religionum iura, quod etiam in Romano iure fieri videtis, comprehenderent, verum etiam ea, quae ad morum ſanctitatem vitaeque publicae priuataeque integritatem vtiliter praecipi poterant, perſcriberent, et pleraque genera officiorum, quae non modo aliis, ſed et ſibi quisque et deo immortali, vt vulgo loquimur, praeſtare debet, conſignarent; vnde, quod facile ſentitis, ad ſuam quisque vitam ac publicam priuatamque virtutem fructum aliquem tollere ac percipere poteſt. Quod enim noſtrarum ciuitatum et imperiorum deſcriptione inſtitutum eſt, vt morum fingendorum, animorumque regendorum, et ad pietatem ac virtutem informandorum ratio ac diſciplina tantum non tota priuati cuiusque hominis et patris familias arbitrio relicta, aut ad eum inter nos ordinem, qui ſacra ac religiones curat, reiecta, eiusque operae, doctrinae, curae et vigilantiae commiſſa ſit: id aliter ſe habuit antiquis temporibus, cum ipſa nutriendae, educandae, erudiendaeque ſobolis ratio, publica priuataque diſciplina, legibus eſſet perſcripta iisque fere ſapientiſſimis. Quae ita apud veteres populos humaniore cultu expolitos ſeſe habuiſſe, mirari nolite. Scribebantur enim illae leges a ſummis philoſophis, multo rerum hominumque vſu ſpectatis, verſatisque in grauiſſimis reipublicae muneribus ac curis *a*): ſcribe-

a) *Opus eſſe coepit legibus, quas et ipſas inter initia tulere ſapientes.* Seneca ep. 90.

ſcribebantur in paruis ciuitatibus, non in magnis regnis et imperiis; in ſumma vitae ſimplicitate, rerum et negotiorum curis nondum ita impeditis et implexis, vt commerciorum crebritate et varietate ſuborta factum; et quidem ciuibus aequali libertate vtentibus, quibus legumlatores non id, quod vnius vel paucorum vtilitatibus conſentaneum eſſet, ex imperio iniungere, ſed rerum veritate et aequitate, ac publica ad omnes et ſingulos vtilitate, leges ſuas approbare debebant. Sequebantur porro eam rationem veteres legumlatores, vt non modo facinora ac ſcelera, in quae hominum audacia vel malitia erumpere ſolet, poenis propoſitis compeſcerent, verum vt ipſam illam audaciam ac malitiam ex animis ciuium euellerent et extirparent, publicam autem priuatamque virtutem infunderent. Quam ad rem duo ſe habere putabant grauiſſima praeſidia eaque in ipſa hominum natura fundata, in quibus tanquam ancoris tota ſtaret resp. alterum nutritionis et educationis, legum praeſcripto definitae et magiſtratus cognitioni et inſpectioni ſubiectae, alterum, quod ipſa illa educationis diſciplina efficitur, publici domeſticique exempli, et virtutis atque integritatis publicis decoribus et ornamentis honorandae *b*). Quibus ipſis rebus effectum eſt hoc, vt, quemadmodum noſtra aetas in omnibus facile rebus antecellit, quae ad diſputationis ſubtilitatem fuere deductae, ita antiquitas factis et vita praeſtaret.

Niſi

b) Pythagoras rogatus a Xenophilo quomodo filium optime inſtitueret, *εἰ πόλεως εὐνομουμένης γενηθείη*, *ſi*, inquit, *in ciuitate bonis legibus inſtituta vixerit*. Diog. Laert. VIII, 16.

Niſi enim in rebus noſtris nimium placere nobis volumus, concedendum id eſt antiquitati et largiendum, ad res agendas et bene gerendas vitam publicam priuatamque melius apud ipſam fuiſſe inſtitutam, ſanctiores mores, rectiorem diſciplinam, in illis ciuitatibus viguiſſe; non, quaſi ex iis omnes corruptelae exulauerint; verum ſalubris aliqua ſentiendi, viuendi, resque gerendi ratio ex ipſa nutritione vitaeque exemplis accepta, multo magis tum per vulgus erat ſparſa; generoſiores ſenſus, ſtudia et conſilia honeſta inter plures reperiebantur; nec pro vno ciue paullo liberalius inſtituto ducenti erant numerandi, qui, vix ipſis humanitatis rudimentis exculti, et egeſtatis ſordibus obſiti, aut ſtupore eſſent defixi aut non niſi humilibus et ſordidis curis oppreſſi. Nondum inuaſerat vitam multiplex hoc corruptelarum genus; nec fracta erant corpora animique hac deſidia, hac mollitie, quae malorum colluuiem in nos deriuauit, ad ea autem perferenda fortitudinem ac robur ademit. In illa vitae ſeueritate, nonnunquam etiam auſteritate, ſimplicitate ac frugalitate, et rebus agendis et malis ferendis paria idoneaque erant corpora. Nondum vmbratilia ſtudia et otioſorum hominum argutiae ciuium in ſe exiſtimationem et gloriam deriuauerant, neque animis ea labes inſidebat, quae deinceps ex monaſtica diſciplina multorum mentibus adhaeſit, poſſe aliquam eſſe laudem virtutis, quae nullis factis declaretur neque vllum ad alios habeat fructum. Quae omnia bona, quibus cognoſcendis vel vnius Plutarchi lectio ſufficit, ex ſuis legibus et inſtitutis, diſciplinaque publica priuataque, iis legibus conſtituta,

ſtituta, ciuitates illas habuiſſe, vt appareat: fragmenta, quae ex iis, tanquam e naufragio tabulae, ſunt ſeruata, colligere vobisque proponere haud pigebit.

In legum quidem ferendarum diſciplina praeſtantiſſimi facile auctores totiusque humani generis magiſtri habendi ſunt Graeci; praeclaris tamen legibus multo omnium maxime floruit Magna Graecia, non modo ab eo inde tempore, quo Pythagorica diſciplina eam illuſtrauit; qua quidem, ſecundum diuinam noſtram nec cum humanis inſtitutis comparandam doctrinam, nihil dici poteſt ſanctius et ad virtutem ac pietatem hominum animis inſtillandam melius comparatum fuiſſe; ſed etiam antiquioribus ſaeculis. Verum de hoc alio tempore *c*); nunc autem, vt vno aliquo ſpecimine eam rem declaremus, fragmenta legum Zaleuci apponemus. De *Zaleuco* quidem ipſo nunc non agemus. Nolumus enim docte magis quam vtiliter ſcribere. Satis eſt cognoſcere ac tenere, eum circa Olymp. XXIX. vixiſſe *d*), eſſeque adeo antiquiorem Pythagora Samio;

c) [Egit nunc de his accuratius, quam a me fieri potuiſſet, MEINERS noſter, V. C. in *Geſchichte der Wiſſenſchaften in Griechenland u. Rom* To. I. add. TIEDEMANNI V. C. *Griechenlands erſte Philoſophen.*]

d) Ante C. 664. cf. Bentleii diſſ. de Phalaridis Epiſt. pag. 337 ſqq. Weſſeling. ad Diodor. I. p. 490. Fabric. B. Gr. lib. II. c. 24. E loco tamen Demoſthenis adv. Timocr. p. 480. A. male ab iis ipſis doctis viris temporum ratio ſubducitur. Anni CC ibi commemorantur, non intra quos leges Zaleuci durauere, ſed intra quos nulla ex

mio; etſi eum multi inter Pythagoreos, falſo tamen, retulerunt. Leges ſcripſit *Locris*, quae colonia erat a Locris Graeciae in extremam Italiae oram, haud longe ab Epizephyrio promontorio, deducta *e*). Extat legum eius paſſim memoria; ſupereſt quoque prooemium legum: verene an falſo ſub eius nomine hoc feratur, alio tempore videbimus. Sufficit id valde antiquum eſſe, quandoquidem Ciceronem illud ante oculos habuiſſe manifeſtum eſt. Cognoſcetis ſaltem in iis, Commilitones, tam religioſam numinis reuerentiam, ſtudiumque honeſtatis ac pietatis tam praeclaris ſententiis commendatum, vt ne Chriſtiano quidem ſapiente illa, quae dicta ſunt, indigna iudicare poſſitis *f*).

A prin-

ex iis lex fuit abrogata; multo autem minus illi anni retro ab Olymp. CVI, 4. computari poſſunt.

e) Circa Ol. XXIV, 2. a. C. 683. adeoque paullo poſt Crotonem et Syracuſas conditas, quod et a Strabone confirmatur. De ceteris v. *Epimetrum*.

f) Stobaeus Serm. XLII. p. 279. Ex *eodem* fonte, vnde is ſua hauſit, fluxere ea, quae Diodorus XII, 20. ſuis hiſtoriis intexuit. Expreſſit ex iisdem praeclarum legum ſuarum prooemium Cicero de LL. II, 8. Nos vtriusque verbis comparatis ſententias probabiles conſtituimus: in ipſis verbis illuſtrandis nunc non haeremus. Totum hoc prooemium, cum Charondae altero, falſarii commentum eſſe contendebat Bentlej. in Diſſ. de Phalar. Epp., relegabatque illud corpus legum in Ptolemaeorum tempora, et Sophiſtae fetum eſſe aſſerebat. Refellere eum et vindicare illud antiquo Zaleuco voluit Ven. Praeſul Warburton. *divine Legat. of Moſes* B. II. Sect. 3. p. 110. Quae nobis hac de re conſtituenda eſſe videantur, in *Epimetro* apponemus.

Digitized by Google

* *A principio,* inquit, *ii, qui ciuitate noſtra vti volent, in animum inducant et perſuaſum ſibi habeant, eſſe deos, et, mente intuentes caelum mundumque, rerumque in eo diſpoſitionem pulcherrimam et ordinem, totam illam magnificentiam* ff) *non fortuitum neque humanum opus*

 eſſe

* Ap. Stobaeum l. c. Τοὺς κατοικοῦντας τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ καὶ νομίζειν, θεοὺς εἶναι, καὶ ἀναβλέποντας (leg. ἀναβλέπειν, aut del. καὶ ante ἀναβλ.) εἰς οὐρανὸν, καὶ τὸν κόσμον καὶ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν καὶ τάξιν· (interpolata haec: abeſt ap. Diodor. καὶ τὸν κόσμον. tum verbum deficit θεωρεῖν, ἐπισκοπεῖν aut ſimile quid; forte fuit καὶ ἀναβλέποντας εἰς οὐρανὸν τὴν διακόσμησιν καὶ τάξιν ἐπισκοπεῖν. cf. Diodori verba.) οὐ γὰρ τύχης οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι δημιουργήματα. σέβεσθαι δὲ τούτους καὶ τιμᾶν, ὡς αἰτίους ὄντας ἁπάντων ἡμῖν ἀγαθῶν τῶν κατὰ λόγον γιγνομένων. ἕκαστον οὖν ἔχειν καὶ παρασκευάζειν δεῖ τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν πάντων τῶν κακῶν καθαράν. ὡς οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπου φαύλου, οὐδὲ θεραπεύεται δαπάναις, οὐδὲ τραγῳδίαις τῶν ἀναλισκομένων, καθάπερ μοχθηρὸς ἄνθρωπος, ἀλλ' ἀρετῇ καὶ προαιρέσει τῶν καλῶν ἔργων καὶ δικαίων. (Ap. Diodor. eſt: ὡς τῶν θεῶν οὐ χαιρόντων ταῖς τῶν πονηρῶν θυσίαις τε καὶ δαπάναις, ἀλλὰ ταῖς τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν δικαίαις τε καὶ καλαῖς ἐπιτηδεύσεσι.)

διὸ ἕκαστον δεῖ εἰς δύναμιν ἀγαθὸν εἶναι καὶ πράξει καὶ διαιρέσει τὸν μέλλοντα ἔσεσθαι θεοφιλῆ, καὶ μὴ φοβεῖσθαι τὰς εἰς χρήματα ζημίας μᾶλλον τῶν εἰς αἰσχύνην τεινόντων· καὶ πολίτην ἀμείνονα ὀνομάζειν τὸν τὴν οὐσίαν προιέμενον μᾶλλον τοῦ καλοῦ καὶ δικαίου.

ff) κατασκεύασμα et paullo ante καὶ ταῖς διανοίαις ἐπισκοπεῖν τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν διακόσμησιν καὶ τάξιν, κρίνειν οὐ τύχης οὐδ' ἀνθρώπων εἶναι ταῦτα τὰ κατασκευάσματα. ap. Diod. At Stobaeus poſt εἰς οὐρανὸν apponit καὶ κόσμον, Pythagoricam vocem. Niſi tamen reliqua et ipſae ſententiae Pythagoreum auctorem proderent, huic vni argumento, quod multis modis ſolui poteſt, non tantum tribueremus, quantum Bentlej. p. 195.

eſſe cognoſcant et iudicent, deosque tanquam omnium, quae huic vitae inſunt honeſta et bona, vnicos hominibus auctores ac largitores, colant; animum autem ſuum vnusquisque ab omni vitiorum labe purum habeat et comparet, neceſſe eſt: ſiquidem numen non malorum ſacrificiis et in rem ſacram factis ſumtibus g), *ſed bonorum iuſtis et honeſtis ſtudiis vitaeque rationibus ac rectis factis gaudet* h).

Itaque vnumquemque, qui deo carus eſſe cupit, tum voluntate atque animo, tum facto, pro virili i) *bonum eſſe oportet; nullum porro grauius malum nec cum vlla fortunarum iactura comparandum ſibi accidere poſſe exiſtimet, quam dedecus ex flagitio contractum; et eum demum bonum haberi ciuem iudicet, qui facultates amittere, quam de recto et honeſto decedere, malit.*

Quotquot

g) *τῶν ἀλισκομένων* ap. Stobaeum legitur. Bentlej. p. 353 *τῶν ἀλισγουμένων impurorum* emendat. Neſcio an alia ſit auctoritas idonea vocis *ἀλισγεῖν contaminare*, quam τῶν LXX. Certe lenior medela loci ad manum eſt: *τῶν ἀναλισκομένων.* Verba enim ſunt: *ὡς οὐ τιμᾶται θεὸς ὑπ' ἀνθρώπου φαύλου, οὐδὲ θεραπεύεται δαπάναις οὐδὲ τραγῳδίαις τῶν ἀναλισκομένων, impenſarum, καθάπερ μοχθηρὸς ἄνθρωπος.*

h) Hactenus Stobaeus cum Diodoro. Quae ſequuntur, apud illum ſolum ſunt ſeruata. Ceterum cum poſtremis conueniunt verba Varronis e Manio a Nonio Marcello in voc. *patella* ſeruata: *Quocirca oportet bonum ciuem legibus parere et deos colere, in patellam dare μικρὸν κρέας.*

i) *εἰς δύναμιν.* Fac haec et quae ſequuntur omnia, non eſſe Zaleuci, ſed Pythagorei alicuius, annon vel ſic eorum aliqua auctoritas erit? talem vitae ſanctitatem, mentis pietatem, non mirabimur, aemulabimur? et homines iis ſenſibus imbutos virtutis laude et nomine priuabimus?

Digitized by Google

** *Quotquot vero animos ſuos ad haec adducere nequeunt, ſed ad iniquitatem proniores ſunt et procliuiores, eos omnes, cum ciues, viros et feminas, tum inquilinos, admonitos eſſe volumus, vt deos reputent et eſſe et ab iniuſto quoque et malo poenas expetere, vtque ſibi ante oculos ponant tempus illud, quo vnicuique ex hac vita eſt decedendum. Omnes enim iamiam morti vicinos iniuriarum, quas commiſere, et acris ſubit memoria et grauis inuadit poenitentia, vehemensque votorum ardor, quo vellent exactam ſibi vitam omnem fuiſſe iuſtam. Quamobrem vnumquemque oportet ſemper, et in ſingulis actionibus, illud tempus ſuis cogitationibus adeo familiare facere ac ſi praeſens eſſet; ita enim maxime recti honeſtique diligentem curam ac rationem habebit.*

*** *Si autem quisquam a malo genio, ad ipſum*

** ὅσοις δὲ μὴ ῥᾴδιον πρὸς ταῦτα τὴν ὁρμὴν πεπεῖσθαι, (neſcio an ſatis ſanum ſit: an f. πεπιέσθαι?) τὴν δὲ ψυχὴν ἔχουσιν εὐκίνητον πρὸς ἀδικίαν, ὧδ' ἡμῖν παρηγγέλθω πᾶσι τοῖς τοιούτοις πολίταις καὶ πολίτισι καὶ ξυνοίκοις, μεμνῆσθαι θεῶν ὡς ὄντων καὶ δίκας ἐπιπεμπόντων τοῖς ἀδίκοις· καὶ τίθεσθαι πρὸ ὀμμάτων τὸν καιρὸν τοῦτον, ἐν ᾧ γίνεται τὸ τέλος ἑκάστῳ τῆς ἀπαλλαγῆς τοῦ ζῆν. πᾶσι γὰρ ἐμπίπτει μεταμέλεια τοῖς μέλλουσι τελευτᾷν μεμνημένοις ὧν ἠδικήκασι, καὶ ὁρμὴ τοῦ βούλεσθαι πάντα πεπρᾶχθαι δικαίως αὐτοῖς. διὸ δεῖ ἕκαστον παρ' ἑκάστην πρᾶξιν ἀεὶ συνοικειοῦν τὸν καιρὸν τοῦτον ὡς δὴ παρόντα· οὕτω γὰρ ἂν μάλιστα τοῦ καλοῦ καὶ τοῦ δικαίου φροντιεῖν.

*** ἐὰν δέ τῳ παραστῇ δαίμων κακὸς τρέπων πρὸς ἀδικίαν· διατρίβειν πρὸς ναοῖς καὶ βωμοῖς καὶ τεμένεσι, φεύγοντα τὴν ἀδικίαν, ὡς δέσποιναν ἀσεβεστάτην καὶ χαλεπωτάτην, ἱκετεύοντα τοὺς θεοὺς συναποτρέπειν αὐτήν. Ἰέναι δὲ καὶ πρὸς ἄνδρας δόξαν ἔχοντας ἐπ' ἀνδραγαθίᾳ, ἀκουσόμενος (leg. ἀκουσόμενον) περὶ εὐδαίμονος βίου καὶ κακῶν ἀνδρῶν τιμωρίας, ἵνα ἀποτρέπῃ (f. ἀποτρέπηται) τῶν ἀδίκων ἔργων.

adſtante k), *ad delinquendum inſtigari ſe ſentiat: ad templa, aras et delubra confugiat, et apud ea verſans ab iniuſtitia, ceu impuriſſima et importuniſſima domina, ſe vindicet, deosque precetur, vt, ad propellendam ipſam, opem ſibi ferant. Accedat quoque ad viros virtutis exiſtimatione claros, vt, dum eos de vera vitae felicitate et malorum hominum poenis et miſeriis diſputantes audit, ab iniuſtis facinoribus animum auertat.*

Subiecta fuere alia de religionibus, ſed quae apud Stobaeum exciderunt. Ex ſcripturae veſtigiis inter cetera fuiſſe colligas haec:

* *Superſtitioſi homines, prauo deorum metu ac religione, infeſtos ſibi genios ex diis faciunt.*

** *Qui vrbem noſtram habitare volent, nullas religiones, niſi a maioribus acceptas, colunto; patrios ritus omnium eſſe optimos cenſento.*

Progre-

k) ἐὰν δέ τῳ παραστῇ δαίμων κακὸς τρέπων πρὸς ἀδικίαν. [Etiam hoc cum iis quae inf. ſequuntur ὡς μετὰ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ἥρωας etc. inter Pythagorea refertur, ducta tamen ex antiquiorum hominum ſenſibus et iudiciis: vt bene poſt illa docuit *Tiedemannus* V. C. l. c. p. 401 ſqq. In Charondae LL. ſunt δαίμονες ἑστιοῦχοι et δαίμονες ἐξοικισταὶ καὶ ἐχθροποιοί.] Ea itaque, quae omnis recte inſtituendae reip., omnis iuris omnisque felicitatis fundamenta ſunt, numinis prouidentiam et animi immortalitatem, primo loco ab hoc viro eſſe poſitam apparet.

* δεισιδαιμονῶν δαίμονας ἀλάστορας * * *

** πάντας δὲ τιμῶν * τοὺς * οἱ κατοικοῦντες τὴν πόλιν καὶ τοῖς ἄλλοις νομίμοις τοῖς πατρίοις τοὺς θεούς. πάτρια δὲ

Digitized by Google

Progrediendum nunc erat ad reliquas leges cum publicas tum priuatas; ſed eas in hanc diſputationem includere non poſſumus adeoque in aliud tempus reſeruamus.

P. P. Kal. Jul. cIↃ IↃ CCLXVII.

δὲ εἶναι τὰ κάλλιστα. Locus mutilus nec ſine libris reſtituendus. Ad ſenſum ille ſic forte poteſt conſtitui: πάντας δὲ τιμᾶν, οὓς τιμῶσιν ἱεροῖς οἱ κατοικοῦντες τὴν πόλιν, καὶ τοῖς ἄλλοις νομίμοις τοῖς πατρίοις, τοὺς θεούς· πάτρια δὲ ἡγεῖσθαι εἶναι τὰ κάλλιστα.

Digitized by Google

II.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR QVINTVM

GEORGIVS HENR. AYRER D.

CVM SENATV

TRICENNALIA ACADEMICA

IN A. D. XVII. SEPT. cIↃ IↃ CCLXVII.

RITE INDICIT.

Legum Locris a Zaleuco ſcriptarum fragmenta.

Commentatio poſterior.

Ad liberaliorem diſciplinam nutritionemque, Ciues amantiſſimi, inprimis pertinere videtur et hoc, vt mature adſuefaciamus animos noſtros ad ſenſum publicae felicitatis eorumque bonorum, quae ex egregie inſtituta adminiſtrataque rep., temporum tranquillitate ac ſecuritate, cultuque hoc vitae litterarumque lumine, proueniunt, quo tempora, in quae aetas noſtra incidit, illuſtrantur. Vulgaris enim inſtitutio et ratio ita in anguſtum contrahere ſolet animos et ad eam conſiliorum cogitationumque humilitatem deprimere, vt plane nullum, niſi eius boni et commodi, quod ad ſe directo ſpectet, ſenſum habeant; quicquid autem publice bonum et

et vtile et laetum ſit, id parum aut nihil ad ſe pertinere arbitrentur. Itaque nihil plane ab iis cogitari, ſuſcipi, agi, curari, deſignari poteſt, niſi in quo lucelli alicuius ſpes affulgeat, aut voluptatis ſpecies arrideat, aut vanae laudis aura adſpiret. Quo quidem cum animo et conſilio an quicquam praeclari in rep. geri poſſit, niſi forte caſus fortuitus et rerum aliquis commodus nexus ita ferat, vos ipſi, Commilitones, iudicate. Scilicet generoſiore ſpiritu, maiore animo et liberaliore indole opus eſt, vt vel ea, quae officii ac muneris ratio facere iubet, ita facias et exſequaris, vt honeſtam inde laudem et bonorum exiſtimationem conſequaris. Eosdem hos, ingenuis animis dignos, ſenſus afferre debetis, Ciues, ad ſollennia Academiae noſtrae anniuerſaria, quae nunc in ante diem XVII. Sept. rite indicimus. Parum liberalis ac potius ſordidi eſſet ingenii, rogare, quid illa publica vota ad me? Ad hominem et ciuem, nihil in rep. geri poteſt, quod non pertineat. Publica felicitate optimus quisque laetatur, vt non magis ſua domeſtica, cuius iſta et fundus et tutela eſt. Vos itaque, o Noſtri, et generis et animi nobilitate florentiſſimi, ſollennibus his pompa in Templum Academicum ducta celebrandis frequentes et fauentes adeſte; et Rhetorices Profeſſorem, C. G. Heyne, oratione ſuper noto illo dicto: *Vitam ſine litteris mortem eſſe* *), habita, noua vota publice ſuſcipientem beneuolis

*) Graece dixeris: *Βίος ἄμουσος ἀβίωτος.* Ductum ab illo Senecae Epiſt. LXXXII. *Otium ſine litteris mors eſt et hominis viui ſepultura.*

neuolis animis audite. Nos interea telam nuper de Zaleuci legibus coeptam nunc pertexemus.

Praemiſſo prooemio, quae ſubiectae fuere leges, eae ad ſequentia maxime, quantum quidem ex iis memoratum reperimus, capita reuocandae eſſe videntur: †)

Legibus omnes parento. Magiſtratus reuerentor: iis quisque aſſurgito, quod imperatum eſt, facito. Siquidem apud homines qui bonam mentem habent et ſaluti ſuae conſulunt, ſecundum deos, daemones et heroes, proximus honos habetur parentibus, legibus et magiſtratibus. Ciuitatem aliam, quam patriam ſuam, amiciorem ſibi nequis facito: ſi ſecerit, diis patriis iratis id ſe facere exiſtimato. Tale enim ſtudium proditionis initium fieri ſolet. Illud autem etiam grauius, ſi, patrio ſolo relicto, in aliena ciuitate degat. Patria enim nihil nobis coniunctius a).

Haec

†) Eſt de iisdem Jo. Wilh. Engelbrechti Diſſ. *Leges Locrenſium Zaleuco auctore promulgatae* Lipſ. 1699. Sed fere vulgaria, aut quae pro illis quidem temporibus non male diſputari poterant, in ea offendas.

a) Ap. Stobaeum Serm. XLII. p. 280. πεπεῖσθαι δὲ τοῖς νόμοις ἅπαντας, καὶ τοὺς ἄρχοντας αἰδεῖσθαι, καὶ ἐξίστασθαι, καὶ ποιεῖν τὸ παραγγελλόμενον. ὡς μετὰ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ἥρωας γονεῖς τε καὶ νόμοι καὶ ἄρχοντες σύνεγγύς εἰσι ταῖς τιμαῖς παρ' ἀνθρώποις νοῦν ἔχουσι καὶ σωθησομένοις. πόλιν δὲ φιλαιτέραν μηδεὶς ἄλλην ποιείσθω τῆς ἑαυτοῦ πατρίδος, ὡς θεῶν πατρώων νεμεσώντων. ἀρχὴ γὰρ προδοσίας φύεται τοῖς ταῦτα βουλομένοις. ἔτι δὲ χαλεπώτερον, τῆς οἰκείας γῆς στερόμενον ζῆν ἐπ' ἀλλοτρίας· οὐδὲν γάρ ἐστιν οἰκειότερον πατρίδος. Achaeorum legem de patria non deferenda ex Ovidio nouimus, vbi de Myſcelo: Met. XV, 29. *prohibent*

Haec in ciuitate, quae in medio multarum populari imperio vtentium rerump. ſita eſt, non inutiliter praecipi vnusquisque facile videt.

Nemo aliquem de ciuium numero, quos leges eadem rep. frui voluere b), *implacabili odio proſequitor. Neque enim vel magiſtratu vel iudicis munere recte fungi poteſt is, qui animum imperare ſinat menti* c). *Sed inimicitias quisque cum altero ita ſuſcipito, tanquam iterum in gratiam cum illo et amicitiam rediturus; qui ſecus fecerit, a ciuibus ſuis pro immani et feroci homine habetor* d).

In

bent diſcedere leges, Poenaque mors poſita eſt patriam mutare volenti. Sententiam verborum, vt in legum formulis, quam commodiſſime reddere ſtudemus, ſed ſingularum rerum rationes reddere in tali ſcriptione moleſtum eſſet. In vltimis: *ἔτι δὲ χαλεπώτερον, τῆς οἰκείας γῆς στερόμενον, ζῆν ἐπ' ἀλλοτρίας.* parum commode dictum *στερόμενον*, de eo qui patriam migratione deſerit.

b) Stob. ibid. *μηδὲ ἐχθρὸν ἀκατάλλακτον μηδεὶς μηδένα νομιζέτω τῶν πολιτῶν, οἷς ἐφήκασιν οἱ νόμοι μετέχειν τῆς πολιτείας.* Non de iis, qui reip. adminiſtrandae praeficiuntur, ſed omnino de ciuibus accipienda haec; nam hi tantummodo dici poſſunt *μετέχειν τῆς πολιτείας.* Et ſequitur: *ὡς ὁ τοιοῦτος οὔτε ἄρξαι δύναιτ' ἂν οὔτε δικάσαι καλῶς, τὸν θυμὸν ἔχων κυριώτερον τοῦ λογισμοῦ.* Scilicet e ciuium numero et *iudices* et *magiſtratus* leguntur. Sed et comparato Diodori loco XII, 20. vniuerſe haec omnibus praecepta eſſe intelligas: *προστάττων, μηδένα τῶν πολιτῶν ἐχθρὸν ἀκατάλλακτον ἔχειν* etc.

c) *τὸν θυμὸν ἔχων κυριώτερον τοῦ λογισμοῦ*, apud Stob. vt modo vidimus; philoſophico dicendi more et hoc dictum.

d) Haec apud Diodor. II, 20. *τὸν δὲ παρ' αὐτὰ ποιοῦντα, διαλαμβάνεσθαι παρὰ τοῖς πολίταις ἀνήμερον καὶ ἄγριον τὴν ψυχήν.* Si noſtra inſtituta hoc ita ferrent, aut, quod

In ciuitate enim libera multo grauiora et acerbiora odia inimicitiaeque ſuſcipi et exerceri ſolent, quam in aliis imperiis. Notabile vero hoc, quod animaduerſionis loco in hominem durum et implacabilem cenſura publica et iudicium ciuium de eo ſiniſtrum ſubiicitur.

Iniquis ſermonibus et maleuolis obtrectationibus ſiue in remp. omnino, ſiue in ſingulorum ciuium famam graſſari pro nefario ſcelere habetor. De iis, qui ita delinquunt, cognitionem magiſtratus, legum cuſtodes, habento, eos primum admonendo, mox, ſi non paruerint, multando e).

Ex propoſitis publice legibus ſi quam apparebit non bene latam eſſe, mutari eam in melius fas eſto; comprobatis et ſancitis omnes parento. Leges enim ſemel ſcitas ciuium voluntatibus eſſe obnoxias nec decet nec conducit f); *at legum tanquam ſummum imperium pati ac*

quod facile vnaquaeque ciuitas et vicinia et ſodalitas inſtituere poſſet, cenſura publica vel tacita vel expreſſa recte adminiſtraretur; ad emendandos homines plus forte effectum eſſet, quam aut doctrinis, quae captum vulgi excedunt, aut poenis ac ſuppliciis propoſitis.

e) Apud Stob. l. l. *μηδεὶς δὲ λεγέτω κακῶς μήτε κοινῇ τὴν πόλιν, μήτε ἰδίᾳ τὸν πολίτην. ἀλλ' οἱ τῶν νόμων φύλακες ἐπιμελείσθωσαν τῶν πλημμελούντων, πρῶτον μὲν νουθετοῦντες, ἐὰν δὲ μὴ πίθωνται, ζημιοῦντες.* Simile praeceptum inter leges eſt Platon. lib. XI. extr. Cic. II, 8. ad ferias traxit: *Feriis iurgia amouento.* quippe in quibus inprimis ex conuentu hominum et hilaritate rixae exoriri ſolent. Comprehenſum hoc idem ſub voc. *fauere linguis.* v. de Div. I, 45. cf. Turneb.

f) *τῶν δὲ κειμένων νόμων ἐάν τις δοκῇ μὴ καλῶς κεῖσθαι, μετατίθεμεν* (leg. *μετατιθέναι*) *ἐπὶ τὸ βέλτιον· μενόντων δὲ, πάντας πειθαρχεῖν. ὡς ὑπ' ἀνθρώπων μὲν ἡττᾶσθαι τοὺς κειμένους νόμους οὐ καλὸν οὐδὲ συμφέρον.*

ac perſerre, honeſtum iuxta et vtile eſt g). *In nec obedientes et noxios ciues animaduertitor, vt qui in ciuitatem imperii detrectandi licentiam, quod omnium malorum principium eſt, inſerant.* h)

Magiſtratus ab omni arrogantia et ſuperbia abſtinento, nec ad contumeliam ius dicunto. Omni amicitia et odio vacanto, iuſtitiam vnice ſpectanto. Ita demum et iudicia pronuntiabunt quam iuſtiſſima, et videbuntur eſſe digni, quibus ſanctiſſima res, ius ciuium, permittatur i).

Seruos quidem per timorem iuſte facere, par eſt; liberos vero homines per verecundiam et honeſtatem. Quocirca etiam magiſtratus tales eſſe oportet, vt ciuibus ſuis digni videantur apud quos erubeſcant k). Praeclare hoc! modo non exploratum haberetur, *bonos* magiſtratus,

g) ὑπὸ δὲ νόμου βελτίονος ἡττώμενον κατακρατεῖσθαι, καὶ καλὸν καὶ συμφέρον. ſecundum illud Pindari: νόμος πάντων βασιλεὺς θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων. De quo v. Rittershuſ. ad Porphyr. p. 84. et multo magis Valk. ad Herodot. III, 38. p. 215. Diodor. XII. 16. vbi haec inter Charondae leges memorat, paullo obſcurius expreſſit, τὸ μὲν γὰρ ἡττᾶσθαι ὑπὸ νομοθέτου (melius ὑπὸ νόμου) καλὸν εἶναι, ὑπελάμβανε, τὸ δὲ ὑπὸ ἰδιώτου, παντελῶς ἄτοπον, καὶ εἰ ἐπὶ τῷ συμφέροντι γίγνεται.

h) τοὺς δὲ παραβαίνοντας ταῦτα χρὴ κολάζειν ὡς κατασκευάζοντας τῇ πόλει μεγίστων κακῶν ἀρχὴν, ἀναρχίαν.

i) ἄρχοντας δὲ μὴ εἶναι αὐθάδεις μήτε πρὸς ἐπήρειαν κρίνειν, μηδὲ μεμνῆσθαι κρίνοντας φιλίας καὶ ἔχθρας, ἀλλὰ τοῦ δικαίου. οὕτω γὰρ ἀποδώσουσι τὰς κρίσεις δικαιοτάτας καὶ τῆς ἀρχῆς ἔσονται ἄξιοι. Stob. l.c. Diod. XII, 20.

k) Stob. p. 280. τοὺς μὲν οὖν δούλους προσήκει διὰ φόβον πράττειν τὶ τῶν δικαίων, τοὺς δὲ ἐλευθέρους δι' αἰδῶ καὶ τὸ καλόν. διὸ χρὴ καὶ τοὺς ἄρχοντας εἶναι τοιούτους, ἵν' ἔχωσιν οἱ ἀρχόμενοι τοὺς ἀξίους αἰσχύνης.

Digitized by Google

giſtratus, pariter ac *bonos* ciues, *non legibus*, ſed *moribus* contingere.

Sequitur de lege abroganda locus nobiliſſimus. *Si quis de legibus ſancitis aliquid derogare aut nouam legem rogare voluerit, is collo in laqueum inſerto de lege verba facito. Si ſuffragiis latis antiqua lex abroganda, aut noua, quae ad populum lata eſt, comprobanda eſſe et accipienda videbitur: indemnis maneto. Sin antiqua lex melius ſe habere, aut, quae noua proponitur, iniuſta eſſe videbitur, ei, qui legi abrogat, derogat, obrogat, aut nouam rogat: laqueo attracto gula frangitor* l).

De

l) ἐὰν δέ τις βούληται τῶν κειμένων νόμων κινεῖν ἢ ἄλλον εἰσφέρειν νόμον, εἰς βρόχον εἴρας τὸν τράχηλον λεγέτω τοῖς πολίταις περὶ αὐτοῦ· καὶ ἐὰν μὲν διαψηφιζομένων δόξῃ λελύσθαι τὸν νόμον, ἢ ὑπάρχειν (obtinere locum) τὸν εἰσφερόμενον, καὶ αὐτὸν ἀθῷον εἶναι. ἐὰν δὲ ὁ προυπάρχων μᾶλλον δοκῇ καλῶς ἔχειν, ἢ ὁ εἰσφερόμενος ᾖ ἄδικος· τεθνάναι τὸν κινοῦντα ἢ εἰσφέροντα νόμον, ἐπισπασθέντος τοῦ βρόχου. Stobenſis ibid. p. 280. et ex Hierocle idem Serm. XXXVII. p. 229. extr. Demoſth. adv. Timocr. p. 480. A. B. ed. Reiſk. p. 744. (vbi τὰ πάτρια περιστέλλειν eſt, *inſtituta maiorum munire*, *ſepire*) Polyb. Ecl. lib. XII, 7. e quo eum, qui nouam legem ſuaderet, in conſeſſu clo virum id feciſſe apparet. Eodem in loco de legis ſententia ſummus in vrbe magiſtratus, qui Coſmopolis erat dictus, cum priuato contendit. Zaleuci lege id factum diſerte ap. Polyb. editum. Demoſthenes Locrenſium modo legem memorat, auctoris non meminit. Charondae Thuriisque hanc legem, vti et alia, tribuit Diodorus XII 17. etiam legem de iure talionis mutatam, quam ad Locros retulit Demoſthenes. Sed grauior eſſe debet Demoſthenis auctoritas; in quo Bentlej. ſequimur p. 343–345. cf. Weſſeling. ad Diodor. l. c. et infra Proluſ. IV. de LL. Charondae. adde Valeſ. ad Harpocr. in ἑτερόφθαλμος.

Digitized by Google

De vtilitate talis legis multa paſſim a viris prudentibus diſputata ſunt; et eam quidem certis reip. temporibus accommodatiſſimam eſſe poſſe, non negatur, perpetuam tamen eandem eſſe non debere recte contenditur; poſſunt enim eae rerum viciſſitudines incidere, vt lex tum cum ferretur vtiliſſima aliquando perniciem reip. afferat. Praeclare etiam in eam ſententiam diſputatur, vt legum omnino cuſtodia certo magiſtratui mandetur, qui ſingulis decenniis vel vicenniis de legibus nouandis ad populum ferat, ſi temporum quidem viciſſitudines, reip. incrementa et opes, vel calamitas aliqua, vel nouae exortae cauſſae, quibus lex non prouiderat, quicquam in iis nouari iuſſerint. Sed quod ad Zaleucum attinet, eum meminiſſe debemus in ciuitate libera, in qua ſummum imperium non in vnum delatum ſed populo ſeruatum eſſet, leges ſcribere. Iam autem imperium populare multo pleniori et religioſiori legum obſequio multoque ſeueriori diſciplinae adſtrictum eſſe ſolet, quam alterius formae reſp.; tota eius ſalus legum perpetuitate et intacta ſanctitate continetur; vt legem male poſitam eſſe ſatius ſit, quam male tolli; nec facile vlla democratia ſoluta eſt, niſi legibus antiquis ſolutis; multaque eius rei exempla ante oculos Zaleuco verſari debebant. Porro et apud ipſos Locros magiſtratus, cui legum cuſtodia mandata eſſet, fuiſſe videtur, ſi quidem ſupra cognitio in eos, qui remp. aut ciues ſuos improbe et inuidioſe dictis laceſſerent, mandata dicebatur *legum cuſtodibus* m); atque etiam legem, ſi quam minus bene latam

m) νόμων φύλακες ap. Stob. p. 280.

latam eſſe apparuiſſet, emendari potuiſſe, paullo ſupra poſitum in his ipſis legibus vidimus. Quo ipſo intelligitur, legem illam tantum ad priuatos ſpectaſſe, vt eorum impetus reprimeretur, ne labefactarent leges patrias: at magiſtratum legitime conſtitutum de legibus ferre potuiſſe. Addit Demoſthenes narrationi, per plus quam CC annos non niſi ſemel vnam legem de talionis iure eſſe mutatam.

Progreſſus inde Zaleucus ad reliqua ſigillatim et per partes conſtituenda, ſuper ea, quae fere hiſce in rebus ſcribi a legumlatoribus ſolent, *ex proprii ingenii acumine multa ſapienter et egregie inueniſſe et ſanxiſſe* memoratur *n*). Inprimis autem ad bonam *feminarum diſciplinam* nonnulla praeclare conſtituiſſe videtur. *Cum enim alii legumlatores, qui mulierum pudori proſpicere vellent, luxuriam earum et impudicitiam, quae multarum calamitatum publice priuatimque cauſſa eſt, grauibus mulctis pecuniariis irrogatis reprimere ſe poſſe putarent, ipſe ingenioſo poenae genere incontinentiam earum continuit o*). Ita enim ſcripſit:

Mulierem ingenuam, niſi quae ebria ſit, plus vna ancilla ne comitator. Extra vrbem noctu pedem ne efferto, niſi adultero ſe proſtitutura p). *Aurum veſtemque clauo ſiue aureo ſiue purpureo diſtinctam ne geſtato; meretrici*

n) ap. Diodor. XII, 21.

o) Diodori verba ſunt l. l. vbi v. Weſſeling.

p) Non abſimilem rationem commentus erat Solon, qui et ipſe mulierum ingenia diſciplina domeſtica ac publica compeſcere voluerat, ap. Plutarch. p. 90. B. *De nocte iter ne facito, niſi curru vecta ad lucernam,* λύχνου προφαίνοντος.

Digitized by Google

meretrici geſtare fas eſto q). Candida ſcilicet veſte vti debebant matronae, vt ex Svida intelligitur. Porro:

Annulum aureum et veſtem operoſiorem et pretioſiorem r), *niſi qui ſcortatione ſe vel adulterio contaminat, ne quis geſtato.* s)

Hoc

q) *γυναικὶ ἐλευθέρᾳ μὴ πλείω ἀκολουθεῖν μιᾶς θεραπαινίδος· ἐὰν μὴ μεθύῃ· μηδὲ ἐξιέναι νυκτὸς ἐκ τῆς πόλεως, εἰ μὴ μοιχευομένην· μηδὲ περιθέσθαι χρυσία μηδὲ ἐσθῆτα παρυφασμένην, ἐὰν μὴ ἑταῖραν.* Apud Svidam in *Ζάλευκος* minus accurate hoc idem narratum: *προϊούσας ἐπ' ἀγορᾶς γυναῖκας, τὴν μὲν ἐλευθέραν λευχείμονα μετὰ οἰκείων βαδίζειν, παιδίσκην μίαν ἔχουσαν· τὰς δὲ ἄλλας ἐν ἀνθιναῖς.* Aurum et verſicolores veſtes etiam Syracuſanae leges non niſi meretricibus geſtare permittebant. Athen. XII. p.521.B. Similis lex Athenienſium v. Petit. LL. Attic. VI. tit. 5. § 7. Comparari quoque poteſt Romanorum inſtitutum, vt ingenuas mulieres ſtola cum inſtita ac vitta inſigniret; etiam Henrici IV Galliarum Regis edictum anni 1601, quo auri argentique vſus in veſtitu interdicitur omnibus; adiectum eſſe fertur, praeterquam meretricibus et nebulonibus: *excepté pourtant aux filles de joye et aux filoux, en qui nous ne prenons pas aſſez d' interêt, pour leur faire l' honneur de donner notre attention à leur conduite.* Memorabilis legis oratio eſſet, ſi vere haec in lege lecta fuiſſent. In edicti tamen verbis v. c. in *Grande Conference des Ordonnances et Edicts Royaux — par Jaques Joly* p. 779. non habentur. Sed probabilius eſt, ex interpretatione alicuius ſcriptoris eſſe ea profecta; vti v. c. in *Petro Matthieu*, qui etiam Charondae legem cum illo Edicto comparat. *Hiſtoire de France*, ſubiecta ſunt haec: (T. II. p. 140) *L' Edict devoit dire, que le clinquant eſtoit defendu à toutes ſortes de gens ſauf aux Baſteleurs, aux Comediens et aux Courtiſans.*

r) *μηδὲ τὸν ἄνδρα φορεῖν δακτύλιον ὑπόχρυσον μηδὲ ἱμάτιον ἰσομιλήσιον, ἐὰν μὴ ἑταιρεύηται.* Dixit *ἱμάτιον ἰσομιλήσιον*, *veſtem Mileſiae parem*; vtebatur hac voce in-

 primis

Hoc commento, inquit Diodorus, dum pro poenis foedas ac probroſas conditiones poneret, ſub quibus intemperantem et flagitioſum eſſe liceret, facile effecit hoc, vt, cum nemo turpis probri, pro poena inflicti, confeſſione ciuibus ſuis contemtui ac ludibrio eſſe ſuſtineret, a noxio luxu et intemperantia eos auerteret. Rationem autem legis ita melius tenebimus, ſi reputauerimus, perditos Etruſcorum mores totam Italiam, etiam ex Campaniae coloniis, tanquam contagio, contaminaſſe, et in Locrorum vicinia Sybaritas luxu diffluxiſſe. Apud hos inprimis infamis mos delicatos pueros alendi et ingenuos pueros in deliciis habendi viguit *t*).

Scilicet

primis Bentleius ad conuellendam harum legum auctoritatem; Miletum Aſiae longius abſuiſſe, Apuliae, Calabriae et Tarentinas lanas fuiſſe propiores. Poterat vel ſic reſponderi, nos legis vim, non ipſa verba, habere. Verum concidit tota Bentleii ratio, ſi teneamus, Sybaritas Mileſia lana ad veſtimenta eſſe vſos, eamque rem magnam inter Sybaritas et Mileſias amicitiam conflaſſe et commercia mutua conciliaſſe: v. Athen. XII. p. 519. B. ſecundum Timaeum, quem Diodorum quoque in deperditis exſcripſerat, vt ex fragmento intelligitur in Eclogis: Weſſel. ed. To. II. p. 549. Doctiſſimus hic vir ad Diodor. XII, 21. Bentleio adſtipulabatur: verum ad Herodot. VI, 21. ex Athenaei loco alia conſtare vidit.

s) Diodor. XII, 21. Ceterum etiam hanc legem transſcripſere Syracuſani. v. Athenaeus ex Phylarcho p. 521. B. Procliue eſt, cum Weſſelingio ad Diodor. p. 492. in eam deuenire opinionem, Dioclem haec in Syracuſanorum leges e Locricis transtuliſſe.

t) Athen. XII. p. 518. F. e Timonis Sillis, vt probabile fit: Ἔθος δὲ παρ' αὐτοῖς, καὶ τοὺς παῖδας μέχρι τῆς τῶν ἐφήβων ἡλικίας ἁλουργίδας τε φορεῖν καὶ πλοκαμίδας.

Scilicet et has leges in ciuitate ad popularis imperii formulam deſcripta ſancitas eſſe tenendum eſt; qualis ciuitas, vti morum ſanctitate ac caſtimonia diſciplinaeque ſeueritate vel maxime continetur, ita legibus ſumtuariis, iisque accuratius perſcriptis, carere non poteſt. Etſi autem in ipſo legum harum argumento nonnulla ſint, quae reprehendi poſſe non negemus: in eo tamen hominis acumen facile agnoſcas, quod honoris et infamiae ſenſu apud ciuium ſuorum animos, ad reprimendam libidinem et luxuriem, vnice ſibi vtendum eſſe vidit. Fruſtra enim leges ſcribuntur, mulctaeque et poenae proponuntur, ſi modo proponi poſſunt, in eos, qui in corpora ſua et bona aut in ſuos ſuamque poſteritatem flagitioſe ſaeuiunt. Ab exiſtimationis bonae malaeque et famae ſenſu ac ſtudio, ipſa diſciplina publica priuataque animis ciuium iniecto, quodcunque hic eſt praeſentis remedii, petendum eſt. Magno igitur tempora noſtra praeſidio ad rectam diſciplinam carent, quandoquidem dedecus, probrum ac turpitudo, a flagitio, libidine ac ſcelere, ad paupertatem, rei familiaris anguſtias et generis humilitatem, migrauit; in contemtu haberis propter loci et fortunae tenuitatem in erogando ſumtu ad externum vitae cultum; contra auctoritate flores etiam cum animi ſordibus et inter vitae flagitia, modo genere et opibus valeas.

Ad diſciplinae ſeueritatem et auſteritatem pertinet et illa Zaleuci lex, qua ebrietatem e ciuitate ſua proſcribere voluiſſe videtur. Cum enim alii legumlatores facinora tantum e temulentia orta puniant: ipſe facinorum cauſſam praecidere voluit:

Digitized by Google

Si quis merum biberit, niſi id medici iuſſu, valetudinis recuperandae cauſſa, factum fuerit, id ei capitale eſto u). En legem Mohammedicam ante Mohammedem, et ſub caeli plaga diuerſa; ab eadem tamen cauſſa, vt probabile ſit, profectam, cum, animaduerſis exitioſis effectis, non haec, ſed cauſſam ipſam, tollendam eſſe iudicaret legum auctor. Quod legum et inſtitutorum genus cum naturae humanae vim faciat, vim habere ſolet quamdiu morum aſperitas vitaeque auſteritas durat. Cum ipſo vitae cultu, multo magis luxus contagione, ſolui neceſſe eſt.

Hae et ſimiles leges aliae feciſſe videntur, vt pro ſeueriſſimis haberentur omnino eae, quae a Zaleuco ſcriptae ſunt, veteri prouerbio: *Zaleuci lex* x).

Mulctam idem *dixiſſe* fertur *ei, qui e peregrinatione redux, quaeſiuerat: num quid noui.* Sed an hoc a Zaleuco conſtitutum ſit, dicere vix habeas. Plutarchus, a quo hoc fluxit, Egregie, inquit, Locrorum

u) *εἴτις ἄκρατον ἔπιε, μὴ προστάξαντος ἰατροῦ, θεραπείας ἕνεκα* (hoc itaque exceptum lege fuit). *θάνατος ἦν ἡ ζημία* ap. Athenaeum X. p. 429 A. At Aelianus V. H. II, 37. qui aut Athenaeum exſcripſit, aut ex eodem fonte hauſit, rem ita effert: *Si quis aegrotans vinum merum bibiſſet, iniuſſu medici, etiamſi conualuiſſet, mortis ei ſupplicium erat conſtitutum, quod, cum non praeſcriptum ipſi eſſet, tamen biberat, ὅτι μὴ προσταχθὲν αὐτῷ ὅδε ἔπιεν.* Sed huic exſcriptori fidem minus habeas, quandoquidem ille interpretandi et ornandi ſtudii reus habetur infinitis exemplis.

x) ap. Zenob. Cent IV, 10. Diogenian. Cent. IV, 94. Mich. Apoſtol. IX, 50.

Digitized by Google

Locrorum magiſtratus *y*) in hoc ſunt verſati, qui peregre venientem et quaerentem, ecquid noui, mulctarunt.

Hactenus de iis, quae ad morum diſciplinam pertinuiſſe videntur. De *criminibus publicis priuatisque* haec dicenda habemus:

Ephorus apud Strabonem *z*) hoc a Zaleuco inprimis noue inſtitutum memorat, quod, cum priores legumlatores ſingulis delictis imponendae poenae modum ac definitionem iudicibus permiſiſſent, ipſe in legibus poenas expreſſerit, in quibus nihil iudicum arbitrio vel libidini relictum eſſet; *ratus* ſcilicet *ſententias iudicum de iisdem cauſſis non ſemper eſſe easdem, poenas autem eiusdem criminis ſemper easdem eſſe debere* *). Paullo obſcurior eſt

 ſententia

y) *οἱ τῶν Λοκρῶν ἄρχοντες.* Plutarchus de Curioſitate p. 519. B.

z) lib. VI. p. 398. C.

*) *ἡγούμενος τὰς γνώμας τῶν δικαστῶν οὐχὶ τὰς αὐτὰς εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν, δεῖν δὲ τὰς αὐτὰς* – – hic hiat oratio in libris vulgatis Videtur aliqua lux affundi poſſe ex loco Diodori XII. 16. vbi eadem lex, cum aliis, ad Charondam transfertur. Coniungitur enim haec iudiciorum lex cum illa, vt nemini quicquam in legibus ſemel ſancitis mutare integrum eſſet. *Ea cum maxime ratione eos, qui in iudiciis praetextus et ſenſus* (voluntates legislatoris) *pro expreſſis verbis introducunt, compeſcuiſſe, ne cauillationibus ſuis legum auctoritatem labefactarent.* Addit idem *factum eſſe ideo, vt in cauſſis capitalibus actores interdum hoc dicto vterentur: aut legem, aut reum ſeruari neceſſe eſſe;* cum ſcilicet pro eo multa ex aequitatis rationibus poſſent diſputari.

Digitized by Google

ſententia; illud tamen ſatis conſtare videtur, apud Locros in declaranda legis ſententia nihil ad *interpretandum* acumini iudicis fuiſſe datum, ſed *intra* litteram legis omnem rationem ſubſtitiſſe. In quo tamen mirandum illud videri poteſt, quomodo in tam modico legum numero omnia tam plene et accurate definita eſſe potuerint, vt ipſa legum ſententia omnes cauſſae viderentur eſſe deciſae. Morum ſimplicitati, litium paucitati et iudicum dilectui et ſanctitati id forte tribuendum. Sed et in poenali tantum rei iudiciariae parte ſeueritatem illam interpretationis obtinuiſſe tenendum eſt.

Viguit etiam inter Locros lex Moſaica, certiſſimum ſimplicitatis et vitae et temporum documentum *a*), *vt oculo lueres oculum alteri eliſum, neque ea poena vlla aeſtimatione redimi poſſet.* Quae lex quas turbas dederit, cum vnoculo oculus excuſſus eſſet, nota eſt narratio *b*). Ex ſuperiore tamen lege diſceptatio ſtatim diremta eſſe debuit, cum in ipſis legum verbis iudici eſſet manendum. Eius tamen, qui vnoculus erat, ſuaſione legi hactenus derogatum narrat Demoſthenes, vt, qui ei vnum oculum excuſſiſſet, vtroque priuaretur. Etiam Diodorus, qui hanc legem ad Charondae tabulas transtulit, diſerte narrat, eius, qui oculo quem vnum habebat excuſſo fuerat excaecatus, ſuaſione legem fuiſſe abolitam (XII, 17); minus tamen probabile hoc de Thuriis quam de Locris traditum bene monuit Bentleius.

In

a) Etiam inter Solonis leges fuit v. Diog. Laert. I, 57.

b) v. Demoſth. in Timocr. p. 480 B. (p. 744. ed. Reiſk.)

Digitized by Google

In adulteros lex conſtituta, *vt oculis*, quibus male vſi eſſent, *priuarentur* c). Quam legem in filio adulterii reo ita temperaſſe fertur Zaleucus, vt alterum oculum filio, alterum ſibi ipſi excuteret. Neque tamen hoc memoratum vidimus, an multi excaecati incedentibus per vias vrbis occurſauerint. Potuit autem ſeuerior aliquis illud ipſum, quod alii a Zaleuco factum mirantur, in fraudem legis factum dicere, cum legum verbis eſſet inhaerendum, non verbi aut facti cauillatione verborum vis eludenda.

De *Iuribus priuatis* quod commemoremus, habemus illud, quod apud Strabonem ex Ephoro affertur *d*), Zaleucum *de contractibus ſimplicius*, quam alios Legumlatores, *leges ſuas deſcripſiſſe.* Quod quam ſalubriter factum eſſet, non animaduertentes Thurii *e*), cum contrario modo ſingula ad ſum-

 mam

c) Aelian. V.H. XIII, 24. Val. Max. VI, 5, 3. Heraclides Ponticus de Politiis, qui furtum memorat, aut potius is qui eum excerpſit, tit. περὶ Λοκρῶν, vix audiendus. v. Perizon. ad l. l. Aeliani. Simſon. Chron. ad 3560. *Aduerſus plagiarios, itidem in adulteros ac fugitiuos, a Locris poenas eſſe conſtitutas*, etiam Timaeus, qui ad eos profectus erat. deprehenderat ap. Polyb. Exc. de V. et V. (To. III. Opp. p. 40.) Quam vim leges ad deterrendos amatores a vi amaſio inferenda habuerint, vt mallent gulam laqueo frangere, exemplum ap. Maxim. Tyr. diſſ. 26. p. 28 R. occurrit, quod vnde ille habeat non ſuccurrit.

d) Strab. VI. p. 398. extr. p. 399.

e) Debent itaque Thurii Locrorum leges adoptaſſe. Et ſane apud Athenaeum XI. p. 508. Thuriorum legumlator appellatur Zaleucus; et apud Scymnum Chium v. 349 ſq. Sybaritae periiſſe memorantur, cum Zaleuci leges

mam ſubtilitatem exigerent, et, quod in quaque re ſummum eſſet, perſequerentur, factum eſt, vt maiorem illi quidem inde celebritatem conſequerentur, ſed deteriorem haberent remp.; Quippe bonis regi legibus non eos, qui legibus ſuis omnem calumniae locum volunt praecludere, quod fieri quidem nequaquam poteſt, ſed qui leges ſimpliciter ſcriptas omni fide et cura tuentur. Atque ita etiam Plato ſenſit, dum, apud quos plurimae ſint leges, apud eosdem plurimas ait eſſe lites et mores peſſimos; ſicut morbi eſſe ſoleant plurimi, vbi multi ſint medici. Haec quidem Strabo.

Ne ſyngrapham pro pecunia foenebri dari liceret, lege Zaleuci interdictum fuiſſe, apud Zenobium *f*) legimus. Non ſatis explorata nobis legis mens eſt; ſed aut foenori, graui in rep. malo, omnino occurrere, aut fidem bonam ita fundare voluiſſe videtur, vt nuda ſtipulatione conſtaret, non autem in ſyngrapharum laqueos et cauillationes induceretur. Habuiſſe ea lex hunc exitum memoratur, vt multi eſſent, qui contractus inficiarentur. Requirebat ſaltem lex antiquam fidem et iuriſiurandi ſanctitatem, quae inter priſcos homines ſumma fuit; ab eadem cum deſciſcerent ſeriores, ſcripto opus fuit, quod idem nouis fraudibus excogitandis locum fecit. Verum omnino diuerſis modis definita fuiſſe

leges ſoluiſſent. Quae loca niſi rem declararent, poſſent ſane Ephori verba in alienam ſententiam accipi. cf. Fabric. B. Gr. T. I. p. 535.*

f) Zenob. Prov. Cent. V, 4. *συγγραφὴν ἐπὶ τῶν δανεισμάτων μὴ γίνεσθαι.* Niſi forte hic homo legem Charondae dicere voluit: v. inf. Proluſ. VIII.

fuiſſe videtur lex; quod ignoramus; colligere tamen licet ex alia lege ab Ariſtotele commemorata: *ne quis patrimonium ſuum vendat, niſi manifeſtam calamitatem ſibi oſtendat accidiſſe* *). Scilicet fuere Locri ex eo ciuitatum genere, in quibus bonorum aequalitas ſeu fundorum aequa ſingulis portio erat.

Mulctas etiam pecuniarias in Zaleuci legibus irrogatas fuiſſe, ex Heſychii loco *g*) apparet.

Ius aliquod interdicto *vti poſſidetis* ſimile, aut potius cum iure *vindiciarum* apud veteres Romanos comparandum, apud Locros locum habuiſſe, ex Polybio *h*) conſtat. Lex enim Zaleuci fuit, *vt*

C 5 *rem,*

*) de Rep. II, 7. p. 430 f.

g) In Λεπτὰς καὶ παχείας (ſc. δραχμάς). His quoque vocibus inter argumenta vtebatur Bentleius, quibus euincere volebat codicem hunc LL. Zaleuci Sophiſtae fuiſſe fetum; nam verba illa Attica eſſe. Nec tamen hoc per ſe, niſi alia adfuerint, magnam habere poteſt vim. Potuit Heſych. ex ſcriptore laudare, qui Zaleuci LL. intexuerat ſuis ſcriptis, vel obiter meminerat, et ad ſuae ciuitatis morem accommodauerat verba et computum numorum.

h) Ecl. lib. XII, 7. τοῦτον δεῖν κρατεῖν τῶν ἀμφισβητουμένων ἕως τῆς κρίσεως, παρ' οὗ τὴν ἀγωγὴν συμβαίνει γίγνεσθαι. Controuerſia in hoc tanquam cardine verſabatur: legis verba erant, *vt rem, de qua ſit controuerſia, ille poſſideat penes quem erat tum, cum in ius fuit adducta,* παρ' οὗ τὴν ἀγωγὴν συμβαίνει γίγνεσθαι, h. qui manu iniecta rem vindicatam in iudicium adduxerit. *Adduxerat* autem *is* in vindiciarum iudicium, qui mancipium ante poſſeſſum et a ſe abductum iterum repetierat. At alter contendebat ſibi mancipii ſeruandi ius competere, *ex ſua* enim *domo* illud eſſe abductum, etſi ab altero. Re a iudicibus ad ſummum magiſtratum Coſmopolidem dictum delata, videtur

rem, de qua ſit controuerſia, ille poſſideat, quamdiu lis pendebit, penes quem erat, cum in ius fuiſſet adducta. Narratio eodem loco eſt de controuerſia ſuper huius legis ſententia orta, cum alter alteri mancipium, quod is adhuc poſſederat, per vim abduxiſſet, prior autem mox mancipium manu prehenſum in iudicium adduxiſſet, ac ſponſores daret. Iam enim vterque, et actor et reus, poſſeſſionem rei litigioſae ad ſe pertinere contendebant. Sed ad cauſſam ſingularem deſcendere nunc non poſſumus.

Sunt ſcilicet adhuc ſubiicienda nonnulla, quae ad legum a Zaleuco latarum rationem omnino et indolem ſpectant. Laudatur itaque in eo et Charonda, qui Thuriorum legibus ſcribendis inclaruit, quos etiam Plato imitatus eſt, et Cicero, et probauit Poſidonius, quod in legibus non ſimpliciter et nude et imperioſe, quae facienda vel omittenda eſſent, perſcriberent, verum, priusquam lex ipſa proponeretur, in commendationem legis nonnulla praemitterent, quibus perſuaderent ciuibus, vt eam ſibi ſalutarem eſſe putarent *i*). At Seneca (Ep. 94) impro-

detur, hic ita ſtatuiſſe, vt huic alteri vindicias daret et rem pendente lite poſſidendam addiceret. Legis itaque verbis magiſtratus pertinaciter inhaeſit. Ita ſaltem accipienda videntur verba Polybii p. 334. *τὸν δὲ διαστεῖλασθαι* etc. et ſecundum hanc interpretationem etiam iudices ſententiam tulere.

i) Cicero de LL. II, 6. *Sed vt — fecit Plato — id mihi credo eſſe faciendum, vt priusquam ipſam legem recitem de eius legis laude dicam; quod idem et Zaleucum et Charondam feciſſe video.* Vix in ſingulis legibus putabimus id factum, ſed in ſolo prooemio. Subiungit

improbauit hoc. *Legem enim*, inquit, *breuem eſſe oportet, quo facilius ab imperitis teneatur: velut emiſſa diuinitus, vox ſit; iubeat, non diſputet. Nihil videtur mihi frigidius, nihil ineptius, quam lex cum prologo. Mone, dic, quid me velis feciſſe; non diſco, ſed pareo.* In tam diuerſa iudicia eadem res diſtrahi poteſt pro diuerſo hominum ſenſu, pro diuerſoque rerum hominumque reſpectu; alter ſeruilibus ingeniis imperari, ingenuis et ciuilibus praecipi vult alter. Reputandum vero erat, aliam veterum iſtarum legum indolem fuiſſe, aliam Romanarum, quas Seneca reſpiciebat. Sane ea quae de iure perſonarum, contractuum, et ſic porro, iure ciuili conſtituuntur, vix prooemia, vulgus de iuris aut ratione aut aequitate edocentia, admittunt; at in iſtis legibus ea, quam nos politiam vocamus, vel maxime continebatur vna cum ethicis. Prooemium itaque non male accommodatum videri poterat, quo leges tanquam paterno affectu ſuaderent ac monerent ciues et ad obſequium hortarentur; neque adeo, quae in eo occurrunt, poenarum minationes pro ſanctione haberi poſſunt ac debent *).

Neque

Subiungit paullo poſt ipſe Cicero prooemium legis ſuae, cuius ſententia eſt: eſſe deum eumque res humanas curare ac bona malaque reſpicere. *Legis laudem* dixit, h. e. commendationem, eandem, quam mox prooemium vocat; etſi hoc non tam in legibus omnino commendandis verſatur, ſed tantum ad prima legis capita reſpicit; in quibus de religionibus agitur.

*) Non itaque tam abſonum in his prooemiis Zaleuci et Charondae ad deorum ac daemonum poenas provocari. Potuit hoc idem facere Moſes; et in prooemio

Neque vero Locrenſes in rep. talibus legibus conſtituta male rem geſſerunt. Magna enim eorum fuit per plura ſaecula felicitas hominumque et opum affluentia et ſumma ευνομιας laus *k*). Inprimis memorabile eſt Pindari praeconium, qui poſt CC. a ſcriptis inde legibus annos, (circa Olymp. LXXIV). *Iuſtitiam* ait *Locrorum vrbem regere et eſſe iis Calliopen non minus quam Martem curae l*). Et altero loco: eos *hoſpitii facilitate*, *rerum honeſtarum et litterarum ſtudiis et fortitudine* commendat *m*). Quo ipſo refellitur iniquiſſima eorum opinio, qui *humanarum legum* prudentia publicae priuataeque felicitati parum prouideri poſſe cenſent. Nec ſoluta eſt resp. Locrorum, niſi vi externa; quae ſi maior fuerit, nihil rerum humanarum eſt, quod non ab ea infringatur et deſtruatur. Dionyſius iunior Ol. CVI, 1. *n*); Syracuſis excluſus, cum ſuis opibus et ſtipatoribus, Locros, vnde maternum genus ducebat, confugit, paulloque poſt tam atroci violentia in eos eſt graſſatus,

mio ſimili conſilio ſcripto quid ni noſtra adhuc aetate numinis metus et vitae futurae praemia ac poenae oſtendi poſſint?

k) v. Strabo VI. p. 397. D. πλεῖστον χρόνον εὐνομηθέντες. Plato de LL. I. p. 638. A. Steph. et in Timaeo pr. vbi cf. Proclus in Timaeum p. 22. Demoſth. aduerſ. Timocr. p. 480. A. Aelian V. H. II, 37.

l) Olympion. X. 17. Νέμει γὰρ Ἀτρέκεια πόλιν Λοκρῶν Ζεφυρίων. μέλει τέ σφισι Καλλιόπα καὶ χάλκεος Ἄρης. Quod ad Muſarum ſacra attinet, praeſtantiſſimus citharoedorum, Eunomus, ex ea vrbe oriundus fuit. Strabo VI. p. 399. 400.

m) Ol. XI, 17 ſq.

n) a. C. 356; et 327 annis poſt leges a Zaleuco ſcriptas.

tus, vt tota ciuitas peſſundaretur. Sed videndi hac de re, quos infra laudabimus *o*).

Haec quidem hactenus. Nos autem legibus patriis et maiorum inſtitutis immanentes non minorem proſperitatem conſequi poſſe exiſtimare debemus. Priuatae enim vitae felicitas aliqua in quacunque reip. deſcriptione eſſe poteſt; tanto ea maior et certior, ſi Optimi Principis, Regis Indulgentiſſimi, pietate, clementia et iuſtitia, Immortalium Virorum ſapientia et cura ac fide, et publicae et priuatae cuiusque ſecuritati, tranquillitati et felicitati prouidetur. PP. d. XVI. Sept. cIↃIↃCCLXVII.

o) Strabo VI. p. 397. 398. cf. Athen. XII. p. 541. D. E. e Clearchi libro V. Vitarum. Aelianus V. H. IX, 8. Ad ea reſpiciunt Plutarch. Timol. p. 242. C. et Aelian. V. H. VI, 12.

Epimetrum

Digitized by Google

Epimetrum I.

de Locris.

Sunt hi Locri (Epizephyrii) *colonia eorum Locrorum qui in ſinu Criſſaeo habitant* (Locrorum Ozolarum) *ab Euanthe deducta, non multo poſt Crotonem et Syracuſas conditas.* Eſt haec Strabonis auctoritas eaque grauiſſima (lib. VI. p. 397. C.). Addit idem *falſo ab Ephoro a Locris Opuntiis eos fuiſſe repetitos.* Ephoro tamen adſtipulati ſunt alii ſcriptores, in his ipſe Virgilius (Aen. VII, 399): *Hic et Narycii poſuerunt moenia Locri;* eſt enim Naryx Opuntiorum *a*). Et videntur ipſi Locri hoc probaſſe, quandoquidem heroem ſuum Ajacem Locrum colebant, qui Opuntios duxerat, et eius comites poſt reditum a Troia diſperſos hoc littus adiiſſe narrabant. v. ad Virgil. l. c. add. Pauſ. III, 19. extr. Conon. c. 18.

De *originibus vrbis* valde inter ſe diuerſa narrata fuiſſe apparet ex fragmento Polybii lib. XII. in Exc. de V. et V. (To. III. p. 38 ſq.) de diſſidio inter Ariſtotelem et Timaeum: quorum prior *b*) coloniam ex fugitiuis mancipiis, moechis et plagiariis

a) v. ad e. l. et Cluver. *Ital. ant.* p. 1302. Salmaſ. ad Solin. p. 48. Rem in medio relinquit Scymnus Chius v. 315. εἰσὶ δ' ἄποικοι τῶν Ὀπουντίων Λοκρῶν. ἔνιοι δὲ Λοκρῶν φασι τῶν ἐν Ὀζόλαις.

b) Ariſtoteles in πολιτείᾳ τῶν Λοκρῶν, puto, (quam Clemens T. I. p. 352. A. Sylb. laudat.)

Digitized by Google

riis, collectam eſſe dixerat *c*), hic (hiſtoriarum libro IX.) ingenuorum ciuium ex Locris Graeciae profectorum fuiſſe aſſeuerauerat. Polybius ex iis quae vterque attulerat, neutrum fide ſatis explorata, verum fama et opinione accepta narraſſe, Ariſtotelem tamen ait probabiliora dixiſſe. Timaeum quidem ſibi inde fidem adſtruere velle, quod ſe Locros Graeciae adiiſſe et ibi foedus inter metropolin et coloniam ſcriptum vidiſſe aſſerit *d*), quo commune inter eas ciuitatis ius conſtitutum erat, adiiſſe quoque Locros Italiae, et apud hos leges reperiſſe fugitiuorum et ſimilium hominum ingeniis prorſus diſſimiles. Verum fidem horum omnium Polybius ita eleuat, vt Timaeum mentitum eſſe foedus illud dicat; forte etiam ipſe in hoc paullo iniquior: nam potuit tale foedus inter Locros Graeciae et Italiae eſſe; ſed forte ſerioribus annis, ita vt originis conditionem probare non poſſet. Polybius ipſe (v. Eclogas libri XII. To. III. p. 327.) a Locrenſibus famam ab Ariſtotele traditam firmari audierat: pro argumento quoque affert nobilitatem gentium a feminis apud eos ductam.

Ceterum

c) Polyb. l. l. Ariſtotelem *εἰπόντα τὴν ἀποικίαν αὐτῶν εἶναι δραπετῶν οἰκετῶν, μοιχῶν, ἀνδραποδιστῶν.*

d) *συνθήκας ἐγγράπτους — αἷς ἐπιγεγράφθαι τὴν ἀρχὴν τοιαύτην· ὡς γονεῦσι πρὸς τέκνα*: ſollenni formula, de qua cf. Opuſc. To. I. p. 312. At p. 42. Polyb. vbi Timaeus ait: *τήν τε πολιτείαν καὶ τὰ λοιπὰ φιλάνθρωπα τοῖς Λοκροῖς ἀμφοτέροις Ἀριστοτέλη καὶ Θεόφραστον κατεψεῦσθαι τῆς πόλεως*, leg. *ἀμφοτέρους* Ἀ. *καὶ* Θ. nam de ſolis Italiae Locris nunc agit.

Digitized by Google

Ceterum de Locrorum ortu a fugitiuis narratio repetita eſt etiam ab aliis *e*). A Tarentinis acceſſiſſe colonos Locrenſibus ſuſpicatur *Io. Gillies*, V. C. qui nuper hiſtorias Graecas iterum conſcripſit To. I. p. 385. quid tamen ſuſpicandi opportunitatem fecerit non aſſequor *f*).

Vt tam varie de Locrorum origine traderetur, cauſſam forte inuenire licet etiam in hoc, quod iterum iterumque deducta fuit colonia. Sane celeberrima fuit illa, quae ſub Ol. XXIV, 2. ante C. N. 683 facta eſt, (Chron. Euſeb. ad h. a.) paullo poſt Crotonem et Syracuſas conditas Strab. VI. p. 397. C. Acceſſiſſe tamen iam tum aliquid Dorici generis videtur: obſcura enim et ambigua fama erat de Syracuſanis nouos colonos inter ſe diſſidentes placantibus: v. Strabo VI. p. 397. B. Archiam Corintho ad Syracuſas condendas proficiſcentem illic appuliſſe et Dorienſes a Megaris Siciliae profectos ſecum abduxiſſe alio loco memoratum p. 414. B. etſi in his temporum ratio ſibi non ſatis conſtat. Tum Scymnus 277. loca ad Epizephyrium ait Dorienſes inſediſſe: quibus aſſumtis Archias Syracuſas mox condidit. Verum praeceſſerat alia colonia a Lacedaemoniis iam ſub Rege Polydoro miſſa: qui circa Ol. XIV, 1. obiiſſe fertur: Pauſ. III, 3. Effectum forte

e) Apud Dionyſ. Charac. in Deſcr. Orbis v. 365. vbi conditores fuiſſe dicuntur, qui cum ſuis dominabus conſueuiſſent: σφετέρῃς μιχθέντες ἀνάσσῃς. vbi diſertius rem exponit Euſtath.

f) Temporum ratio toto illo de coloniis loco parum accurate habita eſt.

forte eſt his colonis antiquioribus admixtis, *vt Locri,* qui *Aeolicae ſtirpis* erant, *Dorici generis haberentur* *) *Doricaque loquendi forma vterentur;* etſi huius quidem ſermonis Dorici cauſſae potuere eſſe aliae, inprimis ex cognatione veteris Aeolici et Dorici ſermonis, tum ex Dorici ſermonis vſu per Italiam regnante ductae. Si vero Cononi (Narrat. 3.) fidem tribuas, qui priſcam famam diuerſarum vrbium collegerat, praeceſſerat adeo tertia aliqua colonia e Phaeacibus Corcyrae, vnde fuerat cognatio inter Locrenſes et Corcyraeos *g*).

Iam ſi apud Polybium (Ecl. libri XII. To. II. p. 328) „Locri cum Siculis, qui illas terras tenebant, foedus pepigiſſe„ dicuntur, quod illorum fraude mox fuit violatum, non hoc ad recentiorem coloniam ſpectare poteſt; exceſſerant enim Siculi, ſi quidem ad famae veteris fidem, quam et Thucydides et Ariſtoteles ſequuntur, res exigenda eſt, antiquiſſimis iam temporibus, cum Pelasgi in haec loca immigrarent. Potuit tamen ſimile quid *de barbaris* narratum eſſe, qui haec loca incoluerant; eos Siculos fuiſſe poſthaec aliquis ſcriptor de ſuo adiecerat.

Leges

*) cf. inf. Proluſ. XIV. vbi etiam de Locrorum coloniis. Etiam in expeditione Athenienſium aduerſus Syracuſas Locri partes Dorienſium tuebantur. Thucyd. VI, 44.

g) *διὰ ταῦτα ὡς συγγενεῖς Φαίακες Λοκροὺς τοὺς ἐν Ἰταλίᾳ προσεποιοῦντο.* Exponitur ibi Graeca narratio de Locro Alcinoi fratre in Italiam ad Latinum profecto. Neumannus V. C. ad cognationem ingenioſe retulit nonnullorum Locrenſium numorum typum, Palladem et Pegaſum, Corinthiam originem prodentes; Corcyram autem aliquando Corinthiorum coloniam factam eſſe, vel ex Thucyd. notum eſt: in *Numis inedd.* p. 34. ſqq.

Digitized by Google

Leges Locros ſcriptas habuiſſe, eosque *primos* fuiſſe, *qui legibus ſcriptis vterentur;* et *leges iis ſcriptas eſſe a Zaleuco*, hiſtorica fide exploratum eſt. v. *Epimetrum* II. Quod in his legibus, etiam nemine monente, expectes, erit hoc vt ab omni ſubtilitate longiſſime abſint. Et ſane ſummam legum vt antiquitatem ita ſimplicitatem paſſim in fragmentis pluribus facile agnoſcas. Potuere tamen vel ſic leges Zaleuci ſequentibus ſaeculis, per quae Locrorum resp. ſtetit aut reſtituta iterum conualuit, prudentium virorum curis eſſe emendatae. Certe Timares aliquis ſeu Timaretus inter Locrorum legumlatores cum Zaleuco memoratur *h*). Celebrata quoque vrbs eſt eximie bonarum legum nomine, et floruiſſe fertur earum beneficio. Teſtatur locus Pindari (X. Olymp. 17.) et Demoſthenis ac Strabonis verba iam alio loco laudata. cf. Bentlej. (*Lennep.* p. 191.) Eſt apud Porphyrium (V. P. s. 56.) e Dicaearcho narratio de Pythagora exule a Locris non recepto quoniam in ſuis legibus nihil haberent quod diſpliceret *i*). Leges autem Zaleucus ſcripſit non ſub ipſa ſtatim vrbis incunabula; verum ad multas diſcordias et turbas res iam fuerat deducta, vt ex Ariſtotelis fide traditum accepimus *k*). Si tamen Zaleucum circa Ol. XXIX. vixiſſe, Locrorum autem vrbem

h) Ap. Iamblich. V. P. n. 130. et 172.

i) *ἀλλ' ἐπὶ τοῖς ἰδίοις νόμοις οὐδὲν ἔχομεν ἐγκαλεῖν· αὐτοὶ μὲν ἐπὶ τῶν ὑπαρχόντων πειρασόμεθα μένειν.*

k) In Schol. Pindari Ol. 10, 17. Ad easdem ſeditiones ſpectat Strabonis locus lib. VI. p. 397. C. vbi *Locri aduenae tres quatuorue annos in Zephyrio habitaſſe, mox inde vrbem transtuliſſe* dicuntur, *opitulantibus Syracuſanis.*

Digitized by Google

vrbem Ol. XXIV, 2. conditam eſſe, probabiliter conſtat, non adeo multis annis poſt vrbis primordia leges acceſſiſſe apparet.

In legibus illis *plus quam ducentis annis* vnicam tantum legem nouam eſſe latam, ſeu verius veteri legi eſſe derogatum, Demoſthenis notus locus, vbi de talione vnoculi agit, teſtatur *l*). Quod ſi inde ab Ol. XXIX annos computes CC. incidimus fere in tempora Dionyſii iunioris Ol. CVI, 1. qui crudelitate in Locros et impietate vſus incredibili eorum res afflixit quod iam ſup. (p. 44. 45.) eſt commemoratum.

Reip. Locrorum formam fuiſſe *ariſtocraticam* vix dubites. Diſerte inter ariſtocratias eam refert Ariſtoteles (lib. V, 7. p. 530) eo loco, quo de ea per Dionyſii affinitatem euerſa monet. Eamque retinuere etiam cum Romanorum ciuitas foederata facti eſſent: nam bello Punico II. ad Poenos defeciſſe narrantur, *prodita multitudine a principibus:* Liv. XXIII, 30. cf. XXIX, 6. In Zaleuci legibus (apud Stob. et Diod.) ἄρχοντες memorantur, quibus cauſſarum diſceptationes et iudicia mandata ſunt.

Summum magiſtratum habuere *Coſmopolidem*, a quo in iure controuerſo legum interpretationem petitam eſſe videmus in cauſſa de rei vindicatione

 ap.

l) In Timocr. p. 744. ed. Reiſk. *καὶ τοῦτον μόνον λέγονται Λοκροὶ θέσθαι τὸν νόμον ἐν πλείοσιν ἢ διακοσίοις ἔτεσιν.* Ap. Strab. eſt *πλεῖστον χρόνον εὐνομηθέντες.* Diodorus, qui Charondae illam legem fuiſſe narrat lib. XII, 17, tres a Thuriis leges eſſe abrogatas memorat.

ap. Polybium *m*); tum *Senatum* cIↃ virorum (*ibid.*) in quo de lege abroganda agendum erat. Etiam *Polemarchum* nominatum reperimus *n*); et Νομοφύλακας, quos aliquo loco videmus maledicos et admonendo et multando coercere potuiſſe; vt adeo ius animaduertendi eos in certis cauſſis habuiſſe appareat. Erat idem magiſtratus Athenis et in aliis Graeciae ciuitatibus, non eadem tamen vi ac poteſtate: (v. Harpocration h. v. Suidas h. v. et viros doctos.) Cicero *de LL.* III, 20. conqueſtus legum cuſtodiam Romae eſſe nullam, itaque eas ab apparitoribus et librariis peti, ſubiicit: *Graeci hoc diligentius, apud quos Nomophylaces creantur; nec hi ſolum litteras — ſed etiam facta hominum obſeruabant ad legesque reuocabant.*

In numis tamen *o*) raro magiſtratus nomen aut nota occurrit. Numi aurei, argentei et aerei, quos a numis Locrorum, Opuntiorum et Ozolarum diſcernere interdum difficile eſt, tanquam proprium typum habent Jovis caput barbatum; cum quo frequenter aquilam lepori inhiantem aut eum diſcerpentem videas, aut etiam fulmen. Jupiter quoque ſedens occurrit. Palladem cum Pegaſo ad originem Corin-

m) Exc. lib. XII. (To. II. p. 334.) ea tamen conditione, quantum intelligitur, vt, ſi legem in aliam partem interpretabatur, ipſe non minus quam alter ex litigantibus laqueo de ceruice pendente diceret: quod forte minus accurate narratum.

n) In Heraclid. fragm. p. 30. Crag. vbi de periuro homine a muſtelis diuinitus immiſſis punito. Νομοφύλακας inuenies ap. Stob. p. 280, 18.

o) v. Magnan. *Bruttia numiſmatica* tab. 67 ſqq.

Digitized by Google

Corinthiam per Corcyraeos ſpectare videri ſupra memoratum eſt. Ad agri fertilitatem ſpica, vua, et cornu copiae, et Cereris caput appoſita face. Etiam Proſerpinae, eximie a Locris cultae, caput obſeruare mihi videor *p*). In vno numo Dioſcurorum capita occurrunt, quod ad illa reſpicere poteſt, quae de eorum praeſentia in pugna ad Sagram narrari infra ex Juſtino XX, 3, 8. videbimus, vbi et aquila, quam in numis ſignari diximus, circumuolaſſe pugnantes Locros narratur, quoad vincerent. In alio eſt Juno ſedens, ſi modo ad noſtros Locros ſpectat. Caduceum qui occurrit ad Mercurii cultum in his oris refert Neumann. l. c. p. 37. Ad Romanorum foedus illi numi, in quibus Romae ſedenti corona ab vrbe Locrenſi imponitur, adſcripto: Ρωμα πιστις Λοκρων, *q*) ſpectant.

Inſtituta Locrenſium, praeter illa quae iam in Proluſione memorata ſunt, reperiri a me potuere haec: primo, quod *nobilitas generis a feminis apud eos ducta erat*: ita *orti e centum gentibus* eminebant inter ceteros; erat autem eorum ortus talis: apud Locros Graeciae ad expiandum Aiacis Oilei ſacrilegium, rapta Caſſandra in conſpectu Palladis, quotannis mittendae erant virgines Ilium ſorte legendae ex C. gentibus illuſtrioribus *r*): ex his virgines nonnullae

 vna

p) Vt tab. 71. VIII.

q) Digeſſimus in ordinem hunc ea, quae in Magnano occurrunt, et diligenter expoſita ſunt ſigillatim in Raſchii Lexico Numiſmat. voc. *Locri*.

r) Strabo XIII. p. 896. 7. add. Plut. de ſera num. vind. p. 557. D. et laudd. ibi a Cl. Wyttenb. in ed. libelli p. 66. Toup. Ep. crit. p. 162.

Digitized by Google

vna cum ceteris in coloniam exierant: v. *Polyb.* Exc. (To. II. p. 327. 8.) ab his oriundi erant *illi* quos diximus

Idem mox (p. 328. 9.) ex Locrorum ipſorum narratione refert, Locros, qui primi haec loca adierant, cum patria inſtituta nulla haberent, *Siculorum*, cum quibus communem agrum haberent, *ritus moresque plures aſſumſiſſe*, ſed mutatos et emendatos a ſe: inter quos etiam exponit vnum puellae phialephori *s*).

Magnam *vitae fragalitatem ſeueritatemque, et auſteritatem priſcam*, inter Locrenſes viguiſſe multa cum inſtituta tum leges teſtantur; ex inſtitutis etiam illud, *quod nullis mancipiis vſi ſunt*, Timaeo aſſerente *t*), *niſi recentibus demum aetatibus;* vt nec Graecis olim omnino patrio more ſerui emtitii nec ancillae fuere. Quod ſi forte Timaeus nimis abſolute et praefracte hoc pronuntiauit, omnino tamen hactenus verum eſt, quod in antiqua vitae ſimplicitate multo maior Graecis vſus fuit operarum mercede conductarum: Paſſim quoque apud Homerum aut ἔριθοι aut θῆτες memorantur; adeoque libera capita agros colebant *u*). Primos poſt Theſſalos et Lacedaemonios mancipiis emtitiis vſos eſſe Chios a Theopompo Hiſtoriarum libro XVII. traditum erat: v. Athen. VI. p. 265. hos quidem e barbaris, at illos

s) Φιαληφόρου.

t) Athen. VI. p. 264. C. p. 272. A.

u) Hactenus bene Palaeph. c. 3. *οἱ γὰρ τότε ἄνθρωποι αὐτουργοὶ ἦσαν.*

Digitized by Google

illos ex Achaeis, Theſſalos e Magnetibus et Perrhae-*bis* victis, adeoque ex hominibus ſuae gentis.

Porro apud Locrenſes morem fuiſſe, *vt non lugerent mortuos, ſed, cum extuliſſent, epularentur*, in Heraclidis fragmentis occurrit: (p. 28. 30. ed. Crag.) alterum inſtitutum erat, quo *inſtitorias tabernas habere non licebat et rem cauponariam exercere, ſed agricolarum quemque apud ſe natos fructus in forum apportatos vendere neceſſe erat:* Quod inſtitutum ſi viguit, non adeo magna mercaturae celebritas apud Locros eſſe potuit; tanto vero minus auaritiae et luxus fomenta ſubminiſtrata ſunt.

De caeteris *Locrorum rebus* pauca ſunt, quae tenemus. Mirum tamen eſt vel ſic, cum ne magnorum quidem imperiorum ac rerumpublicarum memoria ſatis explicita ad nos peruenerit, ſingularum ciuitatum notitias non contemnendas erui et colligi poſſe.

Locri Crotoniatis, a quibus bello petiti fuerant, cladem illam nobilem ad Sagram fl. (ante Ol. LV, 1.) intulere; de qua v. in Proluſ. X. *de Crotoniat. rep.* Eo bello eueniſſe videtur, quod apud Livium (XXIX, 18) Romae in Senatu a legatis Locrenſium de templo Proſerpinae eiusque theſauris narratur: *Maiores quondam noſtri, graui Crotonienſium bello, quia extra vrbem templum eſt, transferre in vrbem eam pecuniam voluerunt. Noctu audita ex delubro vox eſt: abſtinerent manus, deam ſua templa defenſuram. Quia mouendi inde theſauros incuſſa erat religio; muro circumdare templum voluerunt. Ad*

aliquantum iam altitudinis excitata erant moenia, quum ſubito collapſa ruina ſunt. Eodem bello territi Locrenſes auxilium a Spartanis petierant, qui cum eos auxilium a Caſtore et Polluce repetere iuſſiſſent, deos illos habuere propitios (Juſtin. XX, 2), in pugna autem Ajacem Oilei f. in ordine ſtantem ſuis rebus conſulere experti ſunt: Pauſ. III, 19 extr. Conon. c. 18. Mirum videri poteſt, Locros in Spartanis ſpem auxilii obtinendi poſuiſſe, cum quibus communia iura nulla haberent. Enimuero in memoriam reuocanda eſt antiquior illa, quam ſupra commemoraui, coloniae origo a Lacedaemone ducta regis Polydori aetate.

Bellum iis intulerat Anaxilaus tyrannus Rheginus eosque internecione deleuiſſet, niſi Hiero minis eum deterruiſſet *x*). Factum hoc paullo ante Ol. LXXVI, 1. quo anno tyrannus obiit, cum inde ab Olymp. LXXI, tyrannidem tenuiſſet. Ol. XCVII, 4. cum Dionyſius magnae Graeciae vrbes armis peteret, eſcenſione ad Cauloniam facta et vrbe oppugnata, victis autem iis, qui ad eam liberandam aduenerant, ſeu tum ſeu paullo poſt vrbs capta, atque ſolo aequata eſt (v. Diod. XIV, 103-106): agrum autem Cauloniatarum Locris donauit Dionyſius. Paullo diuerſa ſunt, quae a Juſtino narrantur, dum (lib. XX, 5.) Dionyſium ait *expugnatis Locris* Crotonienſes aggreſſum eſſe, qui fortiter reſtiterunt. Suſpicari licet Juſtinum

x) Pind. P. 2, 34 ſq. et Schol. Pind. P. 1, 99. qui ad Epicharmum ἐν Νάσοις prouocat. Idem ad P. 2, 34.

Digitized by Google

num in nomine erraſſe et Cauloniatis Locros ſubſtituiſſe. Nam Locrenſes ſocietate et amicitia potius cum Dionyſio iuncti fuiſſe videntur: etenim Ol. XCV, 3. Dionyſius ad populum Locrenſem legatis miſſis et impetrato nuptiarum iure Doridem, Xeneti clariſſimi ciuis filiam, in matrimonium duxerat: Diodor. XIV, 44. Poſt Cauloniatarum agrum iis aſſignatum, ſimile beneficium paullo poſt (Ol. XCVIII, 1.) adiecit Hipponiatarum agro Locris attributo *y*), nec non agri parte Scylletici Crotoniatis ademti (Strab. VI. p. 401. B.). Quicquid eſt, Dionyſio mox in Siciliam reuerſo facile libertatem priſtinam recuperauere. Ex iſta tamen affinitate, quod Ariſtoteles monuit, Locris exitii cauſſae natae ſunt *z*). Nam ſuſceptus ex eo connubio Dionyſius iunior Syracuſis fugatus Locros venit et ab iis receptus mox per ſatellites omni contumelia in eos ſaeuiit, vt iam ſupra eſt narratum (p. 44. 5.). Poſt eius tamen diſceſſum praeſidio deiecto acerbe et crudeliter iniuriam in eius coniuge et liberis vlti ſunt *a*), nullis precibus Dionyſii per legatos admiſſis, tolerata quoque obſidione a Tarentinis et agrorum direptione.

 Nec

y) Diod. XIV, 107. vbi addit Diodor. *κατὰ τὸ συνεχὲς γὰρ ἐφιλοτιμεῖτο τοὺς Λοκροὺς εὖ ποιεῖν διὰ τὴν συγχωρηθεῖσαν ἐπιγαμίαν.*

z) de Rep. V, 7. p. 530. B. vbi inter cauſſas ariſtocratiae euerſae refertur affinitas nobilium cum potentibus extraneis contracta: — *καὶ* (ſcilicet) *κηδεύειν ὅτῳ θέλωσι· διὸ καὶ ἡ Λοκρῶν πόλις ἀπώλετο ἐκ τῆς πρὸς Διονύσιον κηδείας.*

a) v. inprimis Strabo l. c.

Nec tamen hac calamitate ita peſſundati videri debent, quin iterum aliquas opes recuperaverint: nam cum Bruttiis bella geſſiſſe eosque pugna fugaſſe, ex Noſſidis epigrammate nouimus, quod Bentleius illuſtrauit (*Diſſ. in Phalar.* p. 198. *Len.*)

Grauior fortuna iis imminebat inter Romanorum bella cum Tarentinis et Lucanis. Pyrrhus in Italiam accitus ſeu foedere ſeu vi ad ſocietatem ſecum ineundam eos compulerat: facto inde eius in Siciliam diſceſſu, Locri, praeſidio Pyrrhi praefectoque, quorum iniurias diutius perpeti nequibant, trucidatis, ad amicitiam Romanorum ſe contulerunt (ante C. N. 277. V.C. 477); quo tempore Romani primum in Bruttios arma mouerunt. Mox vero ille (anno inſequenti) e Sicilia redux, ciuitate, animatis praeſentia ſua regiae factionis hominibus, recepta, multa in Locrenſes foeda facinora edidit, caedibus et rapinis in miſeros graſſatus; inde ad ſacrilegium conuerſus ingens auri pondus e templo Proſerpinae terra effoſſum abſtulit, quod tamen claſſe tempeſtate afflicta mari obrutum eſt; vnde tamen aeſtu maris eiecta ſpolia in templo iterum repoſita ſunt *b*).

Poſt Pyrrhi diſceſſum Locros in foedere cum Romanis perſtitiſſe, et ab hoc tempore inter *ciuitates* Romanorum *foederatas* habendos eſſe non dubitamus. Itaque bello Punico priore Hamilcarem claſſe

b) De his v. Freinsh. Suppl. Livii lib. XIV, 23 ſqq. inpr. Appian de reb. Samnit. Ecl. in ed. Schweigh. To. I. p. 69. 70. Liv. XXIX, 18.

claſſe ad Italiam deuaſtandam profectum agros Locrenſium et Bruttiorum late deuaſtaſſe reperimus (V. C. 506 ante C. N. 248, Oroſ. IV, 10). At pugna ad Cannas facta fuere Locri inter ſocios, qui a Romanis deficerent (V. C. 538. ante C. 216. Liv. XXII, 61. et XXIII, 30); itaque anno ſequente Appio Claudio ad vrbem aduenienti portas clauſerunt (Liv. XXIII, 41). Ex iis tamen, quae paullo poſt inter acta anni eiusdem V. C. 539. Livius narrat lib. XXIV, 1. Locros iterum ad Romanos ſe applicuiſſe apparet. Nam Poenis tum ad muros accedentibus, deducto in portum Romanorum praeſidio vt Rhegium deueheretur, dediderunt ſe, *foedere aequis legibus facto:* Locrenſibus iuſſu Hannibalis data pax, *vt liberi ſuis legibus viuerent; vrbs pateret Poenis, portus in poteſtate Locrenſium eſſet; ſocietas eo iure ſtaret, vt Poenus Locrenſem, Locrenſisque Poenum pace ac bello iuuaret.* Recepere paullo poſt Locri multitudinem Crotoniatarum, quae ex vrbe capta a Bruttiis in templum Junonis Laciniae confugerat: (ib. c. 3.) Ad vrbem recuperandam cum T. Quinctius Coſ. V. C. 546. fruſtra copias et tormenta admouiſſet (Liv. XXVII, 25): res tandem fraude et inſidiis perfecta eſt, decimo defectionis anno, quarto decimo Punici belli (V. C. 547. a. C. 207). Vrbs dedita Scipioni: v. Liv. XXIX, 6 ſqq. et Q. Pleminius legatus cum praeſidio vrbi relictus. At enim ſcelere et auaritia Romani etiam Poenos ſuperarunt: inde anno ſequenti Locrenſium legatis Romam miſſis miſericordia ſenatus motus Praetorem M. Pomponium cum decem legatis Locros miſit ad cauſſam cognoſcendam:

dam: qui *Locrenſibus* edixere *libertatem legesque ſuas populum Romanum ſenatumque reſtituere* (Liv. l. c. c. 9. 16-21). Reddita quoque theſauris Proſerpinae pecunia; quinto tamen hinc anno nouo ſacrilegio pecunia nocte clam ſublata (Liv. XXXI, 12. 13). Ab hoc inde tempore inter *foederatas populi R. ciuitates* fuere, vt ſuis legibus vterentur, ex foedere tamen publice ad ea, de quibus conuenerat, praeſtanda tenerentur: erat in his vt copias maritimas mitterent, quoties Romanis opus eſſet. Narrat Polybius (Ecl. XII, 3), qui tum Romae inter euocatos Achaeorum erat et gratia multorum florebat, ſua opera factum eſſe, vt Romani Locrenſibus, propter attritas forte eorum res, remitterent, ne cum in bellum Hiſpanienſe auxilia (forte aduerſus Celtiberos) tum aduerſus Dalmatas (V. C 596. ante C. N. 156) copias maritimas mittere tenerentur. Poſtea nihil quod de iis memorabile occurrat meminimus: niſi quod Strabo ita memorat, vt vrbem adhuc rebus non prorſus profligatis fuiſſe intelligas. Inde nomen vrbis occurrit apud Plinium et forte alios.

Inter haec tempus eſſe debuit, quo et ipſi Locri luxuriem et impudicitiam in vrbem admitterent, ſi quidem eodem modo, vt apud Lydos et Cyprios, puellae apud illos publice proſtitiſſe narrantur apud Athenaeum (lib. XII. p. 516), qui id antiquae alicuius iniuriae monumentum eſſe putabat. Potuit hoc adeo ſerius eſſe Dionyſii contumelia, quam diximus; poteſt tamen quoque narratio ex hac Locrorum calamitate eſſe efficta. Locricum

Digitized by Google

cricum carmen apud eundem (p. 516. B.) c moechae perſona cani ſolitum, (quod emendat Bentlej. p. 199) pro argumento certo haberi nequit.

Ex ciuibus nobile nomen fuit *Euthymi*, qui pugilatu victor Olymp. LXXIV. VI. VII. (v. Pauſ. VI, 6), idem oraculi iuſſu viuus ſentiensque conſecratus, ſacrificatumque ei imagine eius et Olympiae altera poſita (Plin. VII, 48). Alium Locrum in pueris pugilem, *Ageſidamum*, Pindarus binis carminibus celebrauit: Ol. 10. et 11. *Xenocritus* inter antiquiſſimos paeanum auctores a Plutarcho (p. 1134. B. C. To. II.) et inter eos refertur, qui ſecundae conſtitutionis muſices principes habendi eſſent: idem ex quo natus erat oculis captus fuit, vt in fragm. Heraclidis legitur, in quibus ille cum *Eraſippo*, et ipſo Locrenſi poeta, memoratur. Verum adeo quod Pindarus praedicat: μέλει τέ σφισι Καλλιόπα.

Epimetrum

Epimetrum II.

de Zaleuco.

De Zaleuco in diuerſas partes diſputatum eſt a viris doctis *a*). Inprimis ſubtiliter de eo commentatus eſt Bentleivs in *Diſſ. ſupra Phalaridis Epiſtolis* p. 337 ſqq. verum tam impotenti animo, vt, dummodo aduerſarium Boylium laederet et exagitaret, ipſe parum curaret ſi aliis latus ipſe nudaret. Saltem vera et falſa, dubia et explorata, eadem lance appenduntur. Non meum eſt in iis excutiendis et ſeu refellendis ſeu firmandis, operam conſumere: praeſtat ſingulis aequa trutina expenſis apponere ea, quae ſeu veriora ſunt ſeu veris ſimiliora, eaque ad certas claſſes redigere. Quod Timaeo ille tantum tribuit, vt ſecundum eum omnino neget, Zaleucum vnquam fuiſſe, id eius cupiditati et irae in aduerſario conficiendo condonabimus. Nam primum Timaeus hoc non ex fide hiſtorici ſed *ad ſuam opinionem* tradiderat; ita vero non auctoritas viri, ſed iudicii ratio erat exquirenda *b*); iam autem Timaeum odio et ira, tum perti-

a) v. Congeſta ap. Fabric. B. Gr. To. I. p. 531 ſq. et Weſſeling. ad Diod. XII, 20.

b) Eadem hac fere via Polybius Timaeum refellit, ab Ariſtotele in iis, quae de Locrorum originibus tradita erant, diſſentientem: *vtrumque*, ait, *tantum ex coniectura locutum eſſe, Ariſtotelis vero narrationem eſſe veriſimiliorem, cuncti ex iis, quae diſſerui, ſatis intelligent.* Exc. de Virt. e lib. XII. (p. 38. To. III.)

Digitized by Google

pertinacia occaecatum, multa perperam tradidiſſe ſatis conſtat. Quomodo igitur huius hominis iudicium et opinionem ſatis magnam vim habere dicemus ad euertendam omnem antiquitatis fidem? De Locrorum rep. libri erant Ariſtotelis et Theophraſti, *περὶ τῆς τῶν Λοκρῶν πολιτείας*: iam vterque Zaleucum legum Locris ſcriptarum auctorem ediderat; Timaeus tamen in Theophraſtum ſaltem inuectus erat, vtque eum tanto grauiore ictu perculſum proſterneret, Zaleucum omnino vllum fuiſſe negauerat *c*). Sane vel ſic comparata vtriusque auctoritate haud difficile erat pronuntiare, vtri aſſentiendum eſſet. Verum accedebant Theophraſti auctoritati, perpetua omnium temporum fama, tot auctorum conſenſus, et Locrorum ipſorum commemoratio. Diſertior erat locus Ariſtotelis [ap. Schol. Pind. Olymp. X, 17] *d*), in quo narratum, *Locros, cum multis diſcordiis agitarentur, conſulto deo, reſpon-*

c) Cic. de Legg. II, 6. ad Att. VI, 1. Omnino ex his locis nihil recte confici poteſt, non enim ſatis conſtat, quidnam illud fuerit, quod Timaeus negauerat: altero loco *Zaleucum leges Locris ſcripſiſſe* a Timaeo reprehenſum erat; altero: *Zaleucum iſtum negare vllum fuiſſe Timaeum.* At quam diuerſa haec ſunt. Ipſum Timaeum audire opus eſſet, ſi eius aſſertum ſatis exploratum aliquis dare ſe velle ſponderet.

d) *Φησὶν Ἀριστοτέλης· ἐπειδὴ γὰρ ἐχρῶντο τῷ θεῷ, πῶς ἂν πολλῆς ταραχῆς ἀπαλλαγεῖεν, ἐξέπεσεν αὐτοῖς χρησμὸς, ἑαυτοῖς νόμους τίθεσθαι, ὅτε καί τις ποιμὴν, ὄνομα δ' ἦν Ζάλευκος, πολλοὺς νόμους δυνηθείη τοῖς πολίταις εἰσενεγκεῖν δοκίμους. γνωσθεὶς δὲ καὶ ἐρωτηθεὶς, πόθεν εὕροι; ἔφησεν ἐνύπνιον αὐτῷ τὴν Ἀθηνᾶν παραστήσεσθαι* (immo *παραστήσασθαι*). *διὸ αὐτός τε ἠλευθέρωται καὶ νομοθέτης κατέστη.*

Digitized by Google

reſponſum accepiſſe, vt ſibi leges conſtituerent, quandoquidem paſtor aliquis, nomen ei erat Zaleucus, multas bonas leges illis ferre poſſit. Agnitus ille paſtor et interrogatus vnde illas accepiſſet, a Minerua ſibi per ſomnum eas traditas eſſe narrauit. Itaque ille libertate donatus et legumlator conſtitutus eſt. Aduerſus haec diſputare velle, tanquam parum credibilia, hominis eſſet aut otio aut doctrina abundantis. Narravit Ariſtoteles, quid enim in iſta antiquitate aliud narrare potuit? rem priſca fama acceptam: in qua nihil eſt, quod genio ſaeculi antiquioris aut fidei aut probabilitati repugnet, nihil ſaltem aliud potiori cum fide tradi poteſt. Fuere illa aetate multi in ſeruitute habiti, qui generis nobilitate domeſtica et liberali inſtitutione dominos ſuos longe antecellerent. Si Locrus ipſe fuit, in ſeruitutem ille barbarorum abſtractus eſſe potuit, vt nunc ciuibus redderetur. Armenta autem paſcere non erat res adeo illiberalis, vt ad leges ſcribendas nemo a paſtione procedere poſſet: habemus vel Moſis exemplum. Contra ad certum conſilium deflexam eſſe apparet narrationem, quam Diodorus ſequitur XII, 20., fuiſſe Zaleucum virum ſtirpe clarum et magnae in ciuitate ſua auctoritatis.

At illud alterum, quod a multis aſſertum fuit, *Zaleucum Pythagoreum fuiſſe*, bene refellit Bentleius. Satisque conſtat ante Pythagoram Zaleucum ſaltem CXX annorum interuallo vixiſſe, ſi quidem circa Olymp. LX. Pythagorae, Zaleuci autem circa Ol. XXIX. collocanda eſſe tempora probabile fit.

Certe

Certe in Euſebiano Chronico ad Ol. XXIX. adſcriptum erat: *Zaleucum Locrum tunc floruiſſe e)*.

Quae alia de Zaleuco tradita ſunt, quippe e tam remota antiquitate, non magis aliunde quam fama accepta tradere potuere ſcriptores *f*). Eum Locrum fuiſſe communi fide produnt ſcriptores. Quod Λόκρον ἐκ Θουρίου traditum videmus apud Suidam, parum certa fide nititur, cum, vnde hic ſua hauſerit, non conſtet; apud eundem pro patria obiiſſe narratur pugnando. In eo autem haerendum non eſt, nec hoc fraude aut aſtutia factum dicendum, quod a Minerua leges ſuas accepiſſe narratur *g*); ex antiquorum hominum ſenſu, is, qui eiusmodi quid pronuntiabat, cum fide id tradere poterat. Nemo enim *vir magnus ſine aliquo afflatu diuino*

e) Ζάλευκος ὁ νομοθέτης Λοκρῶν ἤκμαζε. Quod ap. Ariſtot. de Rep. II, 12. ille a nonnullis ἀκροατὴς Thaletis ſ. Thaletae Cretenſis editus erat, ad paullo rudiorem antiquitatis declarationem ſpectare puta.

f) Imaginem eius Vrſinus inter Imagg. n. 150 ex numo argenteo protulit, ſed fuit ille adulteratus nomine Zaleuci inſculpto; eſt enim caput Jovis in aliis Locrenſium numis obuium.

g) Cum *Ariſtotele* etiam *Chamaeleon*, eius diſcipulus, idem tradiderat, teſte Clem. Alex. Strom. I. p. 352. et ſcripſerat ille plures Vitas (βίους) in quibus adeo et Zaleuci vitam fuiſſe credas, niſi Clemens adieciſſet ἐν τῷ περὶ μέθης. Quod Heraclidem, et ipſum Heracleotam, plagii accuſauit, ap. Athen. V, 92. id tantum ad vitam Homeri et Heſiodi ſpectat. Plutarchum, Valer. Max. Theodoretum, qui de Minerva in auxilium a Zaleuco vocata idem tradiderant, iam Bentleius excitauit et Fabric. B. Gr. To. I. p. 531.

diuino vnquam fuit, neque ſibi viſus eſt eſſe. Sapientia conſilia a diis dari animisque inſtillari qui crederent, leges ferendas, rem arduam, aggreſſi, ad certum numen, ſeu Jouem ſeu Mineruam, ſeu Apollinem recte referebant ſua inuenta *h*).

Quae ad *leges ab eo ſcriptas* ſpectant, ad plures propoſitiones reuocabimus videbimusque discrete de ſingulis; hac enim maxime via ac ratione diſpellere licebit nebulas et difficultates in toto hoc argumento a viris doctis collectas et obductas, dum miſcentur plura admodum inter ſe diuerſa.

Iam primum Locrorum remp. legibus iisque praeclaris conſtitutam fuiſſe conſtans eſt antiquitatis fama; accedit quod eadem fama habitum fuit, fuiſſe eos, qui primi *ſcriptis* vterentur *legibus*. Hoc ex Scymno Chio et ex Strabone notum eſt *i*). Iidem auctores ſunt, *a Zaleuco* eas fuiſſe ſcriptas; accedit Ariſtoteles *k*), auctor grauiſſimus. Nam alios ſeriores commemorare nihil attinet. Fuit omnino

h) Nec minus alienum eſt, ad theocratiam aliquam haec referre velle.

i) Scymnus *Orb. deſcr.* 313. 4. Locri – *τούτους δὲ πρώτους φασὶ χρήσασθαι νόμοις Γραπτοῖσιν, οὓς Ζάλευκος ὑποθέσθαι δοκεῖ.* Strabo VI. p. 397. D. *Πρῶτοι δὲ νόμοις ἐγγράπτοις χρήσασθαι πεπιστευμένοι εἰσὶ, καὶ πλεῖστον χρόνον εὐνομηθέντες.* Clementem Alex. Strom. I. p. 309. A. indocte Zaleucum primum omnino legumlatorem appellantem iam Bentleius notauit.

k) de Rep. II, 12. *νομοθέται δὲ ἐγένοντο Ζάλευκος τε Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις* —

Digitized by Google

omnino Zaleuci et Charondae nomen tam clarum, vt, quoties de praeſtantia legum et auctoritate, aut de auctoribus bonarum legum agitur, nomina illa plerumque apponantur. Sic etiam apud Joſeph. in Apion. II, 15. Scriptores autem aequales vel aetate proximos, habemus omnino nullos; eos tamen habemus, qui vixere, cum Locrorum resp. nondum eſſet euerſa. Ad *Ephorum* Strabo prouocat; ex quo illud inſuper addit *l*), *Zaleucum leges iſtas ex Cretenſium, Laconum et Areopagitarum inſtitutis compoſuiſſe.* Quo ipſo Thaletae, qui inter Cretenſium legumlatores fuit, diſcipulus a nonnullis haberi ſeu appellari potuit, quod Ariſtoteles, vt ſupra monitum eſt, tradit. Inter haec, quae ab illis, Cretenſibus inprimis, mutuata videri poſſint, refero auſteritatem ac ſimplicitatem vitae, tum τὰ συσσίτια. Fuerintne leges Zaleuci aliis ciuitatibus communicatae, non traditur. Vnis Sybaritis eas aſſignatas vidimus a Scymno Chio (v. 345) vix tamen recte (v. ad LL. Sybaritar.).

Dubitari itaque nequit *Zaleucum vixiſſe*, et *Locris leges ſcripſiſſe:* verum ita nondum effectum eſt, etiam leges Zaleuci eſſe aut prooemium, quod a Stobaeo et Diodoro ſeruatum habemus. Alio modo probanda erant haec, quae ſigillatim conſtituenda ſunt. Videndum eſt, primo, *durauerintne illae Zaleuci leges ad ſeriora tempora, quibus a ſcriptoribus conſignari potuere? conſignataene ſint ipſis legum*

l) p. 398. B. τῆς δὲ τῶν Λοκρῶν νομογραφίας μνησθεὶς Ἔφορος, ἣν Ζάλευκος συνέταξεν ἐκ τε τῶν Κρητικῶν νομίμων, καὶ Λακωνικῶν, καὶ ἐκ τῶν Ἀρεοπαγιτικῶν, etc.

legum verbis an ſuis cuiuslibet ſcriptoris, ad verbum an ſummatim? fuerintne illae ipſae quas Stobaeus et Diodorus ſeruarunt? legum autem exordium, quod ab his inſertum eſt, *fuitne ipſis Zaleuci legibus praeſcriptum?* an *argumentum ſaltem eius habemus, aliis verbis conceptum?* an *prorſus eſt commentitium:* Dirimenda haec erant, vt diximus, non in vnum permiſcenda: alioqui, quicquid aſſeritur, et verum et falſum eſſe poteſt.

Quamdiu igitur *leges Zaleuci ſuperſtites* fuerint, etſi diſerta auctoritas commemorari nequit: probabilitas tamen eſt ſatis magna, vsque ad ea tempora, quibus vixere, qui earum meminere, eas durare potuiſſe atque etiam duraſſe.

Locrorum opes fractae ſunt a Dionyſio iuniore Ol. CVI, 1. ante C. N. 356. Iam autem eadem aetate vixit Ephorus, Ariſtoteles et Theophraſtus. Si fractae fuere, non fuere euerſae res Locrorum; immo vero ex illa tempeſtate emerſere iterum Locri et per multa ſaecula floruere, vt nullo modo dubitari poſſit, an Locri antiquas ſuas leges etiam poſt Dionyſii tempora ſeruare potuerint; idque multo minus, ſi reputes, non, vt Lycurgi leges, ore modo ac carmine traditas, verum, ab initio ſtatim, litteris perſcriptas eas fuiſſe.

Iam autem a *Ioanne Stobenſi*, inter excerpta veterum ſcriptorum loca, adſcripta exſtant *fragmenta legum Zaleuci* et *Charondae* vna cum *prooemiis;* non diſſimilia inſerta ſunt hiſtoriis Diodori; ita vt

Digitized by Google

vt vtrumque aut in eundem fontem, aut in eos incidiſſe neceſſe ſit, qui ex vno eodemque fonte hauſerant. De Charonda alio loco videbimus; nunc de Zaleuco diſpiciendum. Quod ad leges attinet, ſunt ſane ex iis nonnullae, quarum etiam apud alios ſcriptores mentio fit. Quod autem non ipſis verbis Zaleuci antiquis ad nos peruenere, non eam vim habere poteſt, vt omnino commentitiae ſint. Quot tandem aut Lycurgi aut Solonis aut Regum et Decemuirorum Romae leges ipſis eorum verbis expreſſae! negabimusne illis quicquam veritatis ineſſe? De his adeo videtur ſatis tuto pronuntiari poſſe: vim et argumentum legum non eſſe commentitium, ſed cum fide traditum; nequaquam tamen ipſis legum verbis, quorum omnino nihil ad nos perlatum eſt.

Quis tamen ille auctor fuerit, qua aetate, qua fide et auctoritate ille fuerit, e quo Jo. Stobenſis et Diodorus ea petiere, quae ab iis tradita ſunt, hoc in incerto eſt. Sane inter πολιτείας et νομοθεσίας Ariſtotelis, Theophraſti et Heraclidis, leges Locrorum haud dubie fuere adſcriptae, vix tamen ipſis legum verbis antiquis. Potuit etiam eſſe, qui Locrorum leges, forte et res, ex ipſis Locrenſium tabulis, collegiſſet et ſingulari opere propoſuiſſet. Potuit etiam eſſe, qui ex vno alteroue, aut ex pluribus, nouum opus concinnaſſet, certo conſilio, ad philoſophiam, inprimisque ad legum ferendarum rationem, attemperato. Quod ſi ille ipſa legum verba haud reddidit, forte nec expreſſit; ſi plura de ſuo addidit: non tamen ſtatim dicen-

 dus

dus eſt omnia commentus eſſe et mentitus. *Quod* ſi haec ab hiſtorico narrata fuere, cui oratio *in* alium modum erat inflectenda, priſca verba is multo minus retinere potuit Quod Bentleius ita colligit: has Zaleuci leges, quae ferri ſolent, aut Timaei aetate nondum extitiſſe aut ab eo pro impoſtoris fetu habitas fuiſſe, parum ſubtiliter factum. Nihil enim aliud conſequitur, quam: Timaeum illum codicem legum ignoraſſe: illo autem tempore etiam doctiſſimus homo innumera ignorare potuit, quae tamen ſcripta extarent, cum nondum ea eſſent litterarum commercia, quae noſtra aetas vidit. Idem Ptolemaeorum tempore, quando libri quaeſtus cauſſa fingi coepere, fuiſſe contendit, qui corpus legum confingeret idque Zaleuci inſcriberet, addito luculento aliquo indicio, fuiſſe eum Pythagoricum. Redeunt haec ad ariolationem non indoctam; verum non minus coniectare licet multa alia, quibus confici poteſt, ſine omni fraude, et mero iudicii errore eueniſſe, vt liber ille Zaleuci nomine inſcriberetur, vtque ille Pythagoreus haberetur. Fac fuiſſe aliquem, qui legum bonarum digeſtum condere vellet, atque fundum earum faceret leges Locris ante multos annos ſcriptas; ſubiiceretque iisdem leges Charondae forte et aliorum: ita tamen vt pro conſilii ſui ratione eas aliis verbis ac modis enuntiaret, legum cauſſas aliaque ad legum vim declarandam adderet. Ita nulla fraus, nullum fallendi ſtudium in illo homine fuit; contra Diodori culpa, cum parum ſubtile iudicium ea in re adhibuiſſet, accidit, vt in hiſtoriarum corpus ſuum eas admitteret; quod ille tanto cupidius

pidius fecit, quia propoſitum hoc ipſi in eo opere erat, vt ad morum virtutisque diſciplinam in animos demittendam illud componeret *l*).

Enimuero difficilior quaeſtio exoritur ſuper prooemio legum, quod in Diodoro et Stobaeo proditum eſt. Quod quidem a vetere Zaleuco ſcriptum eſſe, quale nunc habemus, nemo facile in animum induxerit, qui orationem a priſcae aetatis, in qua Zaleucus vixit, genio abhorrentem etiam in eo, quod vetere dialecto Dorica illud perſcriptum eſſe debuerat, ſi a Zaleuco eſſet profectum, reputet *m*); etſi mihi pro multo grauiore argumento eſt ſententiarum ratio et indoles in multis pro temporum antiquiorum ratione paullo ſubtilior, et orationis copia nimis exuberans, cum in vetere ſermone breuitatem expectares; inprimis vero in ſententiis, de diis maxime et daemonibus, multa ſunt, quae Pythagoricam doctrinam redhibent, pro Zaleuci vero aetate nimis docte dicta ſunt *n*).

 Verum

l) v. Commentatt. ſoc. Gott. To. VI. et VII. *de Diodori fide ac fontibus.*

m) Hic Bentl. praeclare egit partes critici l. c.

n) Sane quidem etiam Numae, qui eadem fere aetate cum Zaleuco vixit, non minus ſubtilem doctrinam tribuunt v. c. Plutarch. in Numa p. 65. A. B. eum *negaſſe, ſenſui aut vlli affectioni* (dolori) *obnoxium eſſe numen, ſed eſſe inuiſibile et ſola mente comprehenſibile;* vetuiſſe eum porro, *diuinae naturae vllam effigiem ſiue ab humana ſiue ab alterius animantis forma ductam tribuere; quippe nefas eſſe, auguſtiora exprimere humilioribus; neque etiam deum aliter quam mente attingi poſſe* (καθάπτεσθαι θεοῦ). Praeclara haec ſunt, quis dubitet, verum haud dubie a ſeriore aliquo philoſopho Numae ſubiecta, ſeu cum ita ipſe ſtatueret, ſeu vt ſuis dictis auctoritatem compararet.

Verum temere ruimus in contrarium errorem, ſi omnia iſta a falſario ſuppoſita aſſeueramus. Si ipſa Zaleuci verba non tenemus, at potuit fama aliqua ſupereſſe prooemii a Zaleuco et Charonda legibus praemiſſi, potuere ſententiae, potuit argumentum eius prooemii traditum eſſe, quod is, qui illud quale nunc habemus, ſcripſit, ſequeretur *).

Quod ſi igitur in verbis non minus quam in ſententiis multa ſunt a Zaleuci aeuo aliena: nihil amplius inde confectum eſt, quam verborum, quibus haec perſcripta ſunt, auctoritatem Zaleuco vindicari non poſſe. Quantum ſibi veteres in verbis aliorum ad ſuam orationem accommodandis permittant, ex ipſa comparatione Diodori et Stobaei intelligas; aut idem exemplum aut exempla eodem fonte profecta vterque ſunt ſequuti: at quam diverſe ab iis enuntiatae, auctae vel imminutae ſunt ſententiae! Quid? quod in Stobaeo eſſe poſſunt nonnulla a ſeriore interpolatore, etiam a Chriſtiano homine, intertexta! Haec et ſimilia cautum reddent lectorem in ſingulis, non vero ita labefactabunt, vt totum commentum hominis fraudulenti et falſarii protenus abiiciendum eſſe pronuntiet. Sane

*) *Warburtonus Divine Legation of Moſes* B. II. S. III. p. 116 ſqq. legum verba cum temporum progreſſione mutata eſſe cenſebat ad vulgarem hominum vſum ſermonisque morem mutatum; idem exemplo Ocelli Lucani vtitur, cuius libellum dorice exaratum nunc in vulgarem ſermonem translatum habemus; eodem exemplo Zaleuci leges potuiſſe in vulgarem ſermonem redactas ab aliquo ad nos peruenire. Cum grauiora ſint alia, quae hoc prooemium premant, equidem in verbis, de quibus multa dici poſſunt, non haereo.

Digitized by Google

Sane ſententiae et verba Pythagoreum produnt *o*). Hoc nemo facile inficias eat, eoque ipſo conſtat, fuiſſe aliquem, qui Zaleuci nominis auctoritate vſus eſt; vt vero omni fundo deſtitutum eum fuiſſe et falſarii fraude graſſatum eſſe dicamus, effectum non eſt. Habetur praeterea huius prooemii auctoritas ſatis antiqua, cum Cicero manifeſte illud reſpiciat *p*): ſaltem prooemium, quod huic noſtro non diſſimile omnino eſſet. Atqui vel ſic effectum eſt, a Chriſtiano homine id profectum non eſſe; vt adeo iniquiores ſint in genus humanum et in numinis optimi beneficientiam, quae intelligentia et mente nos inſtruxit, iniurii, qui nihil bonae frugis aut virtutis inter homines ante illud tempus nec quenquam fuiſſe contendunt, qui de natura diuina et humana recte ſentiret.

o) Warburtonus quidem ea ratione vti malit, vt dicat, ſententias has iam ante Pythagoram per Italiam fuiſſe. Totus tamen orationis color ac tenor Pythagoricis ſimilior eſt, Ita enim Pythagoras ſentiebat, ad ſtabiliendam iuſtitiam nihil eſſe efficacius prouidentia numinis et cura rerum humanarum, ſi mentibus hominum de ea recte perſuaſum ſit; itaque initio ab hac facto remp. et leges et iura conſtituebat. cf. Jamblich. V. P. ſ. 174.

p) de Legg. II, 6.

III.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GEORG. HENRICVS AYRER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

PHIL. GEORGIVM SCHROEDER

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. II. JANVARII CIↃIↃCCLXVIII.

Legum Charondae fragmenta.

Sectio prior.

Legitimum magiſtratus noſtri *), Ciues, tempus cum ipſo anno feliciter nunc exire, quanquam per ſe laetum et dulce eſt feſſo id genus ſtudiis curisque animo et geſtienti iam redire ad ſolita negotia vitaeque officia, in quibus tanquam per gratas vices recreet ſe atque recipiat; habet tamen ea res nunc dulcedinem aliquam praecipuam atque eximiam

*) Ex perſona Ge. H. *Ayreri*, cuius nomen praeſcriptum eſt, dicta haec eſſe puta.

Digitized by Google

eximiam adiunctam, quod magiſtratum noſtrum, quintum ſuſceptum, inter res conſtanter et aequabiliter proſperas geſtum, nunc ita deponimus, vt nec publicae nec priuatae noſtrae felicitati vlla facta ſit imminutio aut obſcuratio; quod in tanta rerum humanarum inconſtantia et viciſſitudine quis non notabili aliqua fortuna nobis contigiſſe exiſtimet? Veſtra autem inprimis, Cariſſimi Ciues, modeſtia, verecundia et obſequio, tam pacatam ac tranquillam habuimus remp. vt abeuntes nunc magiſtratu ſine vlla dubitatione remp. ſaluam iurare poſſimus. Ob quem ſecundum rerum noſtrarum curſum debitae agentur Deo O. M. gratiae eo die. erit autem is a. d. II. Januarii, quo academici magiſtratus inſignia rite et inter publicam gratulationem transferentur in

PHILIPPVM GEORG. SCHROEDERVM D.

Virum Experientiſſimum, cuius beneuolentiam et humanitatem, quam vel ipſum medici nomen ac profeſſio oſtendit, quum vos multis ſtudioſiſſimae voluntatis documentis a viro praeſtantiſſimo declaratam habeatis, non dubitamus, quin vos non minus amore in eum ducti, quam laudis veſtrae retinendae ſtudio incenſi, ſitis daturi operam, vt legum ſanctitas, magiſtratus reuerentia, honeſtatis et ingenui pudoris modeſtiaeque decor, vt haec omnia, inquam, propria vobis ſint atque perpetua. Quam noſtram ſpem de virtute veſtra ac fiduciam vanam et inanem non fore, in ipſis his noui anni auſpiciis hoc veſtro quaſi auſpicio et omine declarabitis, Illuſtriſſimi Comites, Generoſiſſimi et Nobiliſſimi Ciues, ſi ad ſollennes caerimonias dicta die

die in templo academico habendas frequentes conuenietis votisque noſtris pie et religioſe fauebitis.

Ne tamen apud vos, Commilitones, nihil aliud egiſſe videamur, quam vt tanquam alicuius praeconis voce atque opera, quae publice indicenda erant, ſollenni formula indiceremus, ſed vt potius amicitiae atque familiaritatis morem ſeruemus, quo poſtquam de grauioribus rebus actum eſt, ad familiares et hilariores ſermones ac collocutiones dilabitur oratio; tenebimus vos per horulae ſpatium diſputatione de re nec iniucunda nec inutili inſtituenda.

Magnum inter eos, qui legibus olim ſcribendis claruerunt, fuit nomen *Charondae*, nec Zaleuci fama obſcurius, quanquam minus certa de eo memorari poſſunt. Nos, vt in Zaleuco fecimus, primum legum, quae ſub eius nomine veniunt, fragmenta vndecunque conferemus, tum nonnulla, quae de harum legum auctoritate, deque tanti viri vita factisque diſputari poſſunt, breuiter ſubiiciemus.

Et legum quidem praeclarum *prooemium* a Joanne Stobenſi *a*) ſeruatum primo loco erit ponendum;

a) Joannes Stobis oriundus Serm. XLII. p. 289. a quo quidem homine verae et vtilis ſapientiae maior apparatus nobis eſt ſeruatus quam per infinita ſubtilium philoſophorum volumina. Diſſertationibus aliquot Leges Charondae expoſitae ſunt a *Sam. Strunkio* Vpſaliae ſub finem ſuperioris ſaeculi; quarum quartam 1670. 8. in manibus habemus, quae tamen ceterarum deſiderium non facile faciat; tam occupata eſt tota in rebus ac locis communibus.

Digitized by Google

nendum; de quo quid ſtatuendum ſit, alio loco videbimus; auctoritatem eius ipſe Cicero pro ſe laudat *b*).

Conſultantes aliquid et agentes a diis auſpicari ſas eſt. Optime enim res, vt vulgare dictum fert, ſe habent tum, ſi eorum, quae ſuſcipiuntur, deum auctorem habeamus et auſpicem omnium. A malis porro ſacinoribus abſtinendum eſt, idque maxime propter hanc ipſam cum deo conſiliorum communicationem. Cum iniuſto enim numen nihil commune habere poteſt c).

Debet autem vnusquisque inſtare ſibi ſeque excitare d) *ad capeſſenda iuſta conſilia et peragenda ſic, vt quaeque res poſtulat* e). *Nam aequalem in paruis iuxta ac magnis contentionem et ſtudium adhibere, puſilli animi eſt et illiberale. Quare videndum, ne parua aeque ac magna nimis animoſe aggrediare, ſed vt unamquamque rem,*

b) Cic. de Legg. II, 6. *vt, priusquam ipſam legem recitem, de eius legis laude dicam, quod idem et Zaleucum et Charondam feciſſe video — Quos imitatus Plato, videlicet hoc quoque legis putauit eſſe, perſuadere aliquid, non omnia vi ac minis cogere — Habes legis prooemium, ſic enim hoc appellat Plato.*

c) Τὼς βουλομένως καὶ πράττοντάς τι ἀπὸ θεῶν ἄρχεσθαι χρή. τὸ γὰρ ἄριστον, ὥσπερ ἁ παροιμία φατὶ, τὸν θεὸν ἦμεν αἴτιον πάντων τούτων. ἔτι δὲ φαύλων πράξεων ἀπέχεσθαι καὶ μάλιστα, διὰ τὰν πρὸς τὸν θεὸν ξυμβουλίαν. οὐδενὸς γὰρ ἀδίκω θεὸν κοινωνεῖν.

d) Ita int. *βοηθεῖν ἑαυτῷ καὶ ποτικελεύεσθαι.* Verba ſunt: *βοηθεῖν δὲ ἕκαστον ἑαυτῷ καὶ ποτικελεύεσθαι, κατ' ἀξίαν τῶν δικαίων μεταλαμβάνεν καὶ πράσσεν. τὸ γὰρ ὑπὲρ μικρῶν καὶ μεγάλων ὁμοίως διατείνεσθαι ἄγχυ μικροπρεπὲς δοκεῖ ἦμεν καὶ ἀνελεύθερον.*

e) *κατ' ἀξίαν τῶν δικαίων μεταλαμβάνεν καὶ πράσσεν.*

rem, ex dignitate eius et efficacitate aeſtimatione facta, ſuſcipias f). *Quo ipſo conſequeris auctoritatem et dignitatem.*

Qui meminerit, in magnis iuxta imperiis ac paruis ciuitatibus quantae nimium ſaepe rerum turbae, diſſenſiones, diſcordiae, odia et bella internecina, hoc ipſo excitata ac mota fuerint, quod res paruae, leues et inanes, magno conatu ac molimine, ſcenico aliquo apparatu, auguſta verborum, ſententiarum, vultus denique grauitate agebantur, dum interea ad ea, quae in re ſumma erant et ipſam publicae priuataeque rei ſalutem continebant, nemo animo vacaret, is forte intelliget, hoc quidem legis caput egregiam et exquiſitam latoris prudentiam tanquam ſpecimine aliquo prodere.

Viro aut mulieri ob iniuſtitiae culpam a ciuitate notatis g) *ne quis opem ferto, neque cum iis verſator; qui*

f) Reſtituenda ſcilicet Joanni et ſententia et lectio ſua: *διὸ Φροντίζεν* [*δεῖ*] *τῷ* (pro *τοῦ ἐμπίπτειν* dorice) *μὴ σφόδρα ἐς τὰ ἄκιστα* (pro *ἥκιστα*· male *μάκιστα* ſcribitur) *καὶ τὰ μεγάλα ἐμπίπτεν. ἀλλὰ κατ' ἀξίαν τὰν ἑαυτῶ* (pro *ἑαυτοῦ*, non autem *ἑαυτῷ*) *καὶ δυναμίαν* (non *δύναμιν*?) *μετρέοντα, ἑκάστῳ πράγματι* (non *πρᾶγμα*) *ἐπιβάλλεν.* Hactenus prooemii verba apud Stobaeum dorice ſunt perſcripta.

g) *Ἀδίκῳ ἀνδρὶ ἢ γυναικὶ κεκριμένοις ὑπὸ πόλεως ἐπαρκγὴν μὴ ποιεῖσθαι. μηδὲ ὁμιλεῖν μηδένα, ἢ ὀνειδίζεσθαι ὡς ὄντα ὅμοιον ᾧ ὁμιλεῖ.* Acciperes verba hoc modo, vt ciues vetiti ſint, ſubuenire vllo modo iis, qui iudicati ſint iniuſti eſſe, h. e. in quos actione iniuſti facta ſententia lata fuerit. Sequitur mox lex, quae reſpondeat huic: *πολίτῃ δὲ ἀδικουμένῳ βοηθεῖν.* videtur tamen

Digitized by Google

qui *ſecus fecerit, ei ignominia inuritor, vt ſimilis habeatur illi, quicum verſatur.*

Diodorus hanc eandem legem recitat, qua malorum conſuetudine (κακομιλίᾳ), quae maxima vitae humanae peſtis eſt, et partim prauis exemplis conſiliisque a virtutis ſtudio reuocat, partim integerrimos ſaepe animos tanquam contagione aliqua contaminat, vrbem liberare voluerit. Sed is rem ita eloquitur, ac ſi malorum conſortio ac familiaritate non modo ſeuere interdixerit, ſed et *actionem prauae ſocietatis inſtituerit, grauemque huius delicti multam reis impoſuerit* h): egregia lex, ſi de virtutis ſtudio et vero eius fundamento quaeritur! ſed ab auctoribus adiectam vellemus *rationem ac modum, quo talia iudicia tractari potuerint.* Iam porro:

Viros bonos, qui virtute ceteris praeſtare exiſtimantur, amare quisque et frequentare, atque vere eos imitando, et virtutem ſibi propriam faciendo, initiis *illis*, maximis omnium et ſanctiſſimis, honeſtati, initiari *ſtudeto* i). *Sine hac enim nemo vir perfectus* k).

Ciui

men eadem lex eſſe, de qua Diodor. XII, 12. ἔγραψε δὲ ὁ Χαρώνδας καὶ περὶ τῆς κακομιλίας νόμον — ἀπηγόρευσε τῇ τῶν πονηρῶν φιλίᾳ τε καὶ συνηθείᾳ χρήσασθαι. Formata autem vox κακομιλία non vt καχεξία, ſed vt κακοείμων.

h) καὶ δίκας ἐποίησε κακομιλίας. καὶ προστίμοις μεγάλοις ἐπέγραψε τοὺς ἁμαρτάνειν μέλλοντας. idem Diod.

i) τοὺς δὲ προκεκριμένους ἄνδρας ἀγαθοὺς ἀγαπᾷν, καὶ ἐντυγχάνειν αὐτοῖς, τελεῖσθαί τε τὴν μεγίστην καὶ τελειοτάτην τελετὴν, ἀνδραγαθίαν μιμουμένους (immo μεμυημένους initiatos) ἐπ' ἀληθείᾳ, καὶ κτωμένους τὴν ἀρετήν. quanto potentior atque efficacior ad honeſtatis ſtudium in animis inflammandum debuit eſſe haec religioſiſſimae rei imago, quam ieiuna virtutis definitio!

Ciui iniuria affecto in patria iuxta ac peregrina terra ſuccurrunto. Nec minus hoſpitem quemuis, cui in patria ſua et ex ſuis legibus l) *honos habetur, honorifice et familiariter excipiunto et dimittunto, Iouis hoſpitalis memores, tanquam numinis, quod communi apud omnes gentes religione colitur, quodque hoſpitii iura ſeu ſeruata ſeu violata inſpicit.*

Senes iunioribus et exemplis et monitis auctores ſunto, vt verecundiam habeant, et praua quaeuis erubeſcant; idcirco ipſi verecundia et pudore conſpicuos ſe praebento. Nam in quibus ciuitatibus ſenes ſunt inuerecundi et improbi, in iisdem liberi etiam et nepotes m) *impudentiam retinent. Impudentiam autem et proteruitatem*

k) τέλειος, vti ex initiis, quibus initiatus aliquis eſt. οὐδεὶς γὰρ ἀνὴρ τέλειος ἄνευ ταύτης (ſc. τῆς ἀρετῆς.) Quae vero ſequuntur, ita ſe habent: πολίτῃ δὲ ἀδικουμένῳ βοηθεῖν καὶ οἴκοι καὶ ἐπὶ ξένης. ξένον δὲ πάντα, τὸν ἐν τῇ ἑαυτοῦ πατρίδι σεβόμενον καὶ κατὰ τοὺς οἰκείους νόμους, εὐφήμως καὶ οἰκείως προσδέχεσθαι, καὶ ἀποστέλλειν, μεμνημένους Διὸς ξενίου, ὡς παρὰ πᾶσιν ἱδρυμένου κοινοῦ θεοῦ καὶ ὄντος ἐπισκόπου φιλοξενίας τε καὶ κακοξενίας.

l) Nihil maiore iudicio potuit declarari; ne aliorum virtutem e ſuis opinionibus aeſtimarent. Quid igitur iſtos homines iudicaturos fuiſſe putabimus de hoc hominum genere, quod leges, religiones, mores, ſanctiores ac perfectiores habere videri vult, et aliorum dignitatem, honeſtatem ac virtutem, ex verborum nominumque profeſſione iudicat!

m) παίδων παῖδες. Verba ſunt haec: ἡγεῖσθαι δὲ καὶ παραγγέλλειν πρεσβυτέρους νεωτέροις τὸ αἰδεῖσθαι καὶ αἰσχύνεσθαι τὰ κακὰ, φανεροὺς ὄντας αὐτοὺς αἰσχυνομένους καὶ αἰδουμένους. ὡς ἐν αἷς πόλεσι πρεσβυτέρων ἀναισχυντίαι [εἰσὶ], φύονται παῖδες αὐτῶν καὶ παίδων παῖδες ἀναίσχυντοι.

Digitized by Google

tatem intemperantia et iniuſtitia ſequitur, atque huic ſuccedit exitium. Ideo inuerecundiam auerſantor, et verecundiam amplectuntor, tanquam hoc ipſo deos habituri propitios ſuasque res ſaluas et incolumes. Nullus enim improbus deo carus eſt n).

Honeſtatem et veritatem vnice colunto; turpitudinem et mendacium odio habento: Nam hiſce notis o) *virtus et malitia diſcernuntur. His ſtatim a pueris aſſuefaciunto, caſtigando mentiendi ſtudioſos, diligendo ac fouendo veritatis amantes, vt vniuscuiusque animo innaſcatur et naturam quaſi induat illud, quod pulcherrimum eſt et virtutis ſemina habet fecundiſſima* p).

Frugi

n) *ἀκολουθεῖ δὲ ἀναισχυντίᾳ καὶ ἀναιδείᾳ ὕβρις καὶ ἀδικία· τούτοις δὲ ἕπεται ὄλεθρος. μηδεὶς δὲ ἔστω ἀναιδής, ἀλλὰ σωφρονείτω ἕκαστος, ὡς τούτῳ τευξόμενος θεῶν ἵλεων καὶ σωτηρίας. οὐδεὶς γὰρ κακὸς θεοφιλής.*

o) Veritatis et mendacii, honeſtatis et turpitudinis. *τιμάτω δὲ ἕκαστος τὸ καλὸν καὶ τὸ ἀληθὲς, καὶ μισείτω τὸ αἰσχρὸν καὶ τὸ ψεῦδος. ταῦτα γὰρ ἀρετῆς σημεῖα καὶ κακίας. διὸ χρὴ συνεθίζειν ἐκ παίδων κολάζοντας μὲν τοὺς φιλοψευδεῖς, φιλοῦντας δὲ τοὺς φιλαλήθεις.*

p) ſc. veritatem et honeſtatem. Quam praeclara praecepta! et quam praeclare illa, ad inſinuandum ſe in animos hominum, verbis expreſſa! *ἵν' ἐμφυσιῶται ἑκάστῳ τὸ κάλλιστον καὶ σπερμωδέστατον τῆς ἀρετῆς.* O quam multa in rebus ad publicam priuatamque felicitatem ſpectantibus caeci illi Gentiles videbant, in quibus nos Chriſtiani caecutimus! Si ſenſu et affectu imbibitum, monitu et exemplo inſtillatum, non inanium verborum ambagibus traditum, fuerit honeſtatis ac veritatis ſtudium, quanto meliores quanto feliciores ciues habituri eſſemus! Super voce *ἐμφυσιοῦν*, quae et infra occurrit *ἵν' ἐμφυσιῶται ἑκάστῳ τὰ παραγγέλματα*, grauis eſt cenſura Bentleii p. 376. qui adeo barba-

Frugi potius eſſe quam ſapere videri vnusquisque ciuium ſtudeto. Nam ſapientiae exiſtimationem affectare, indubitatum ſtolidi et anguſti animi eſt ſignum q). *Frugi autem eſſe et modeſtum ſe praebere ita ſtudeto, vt eſſe velit, non autem videri. Verbis egregiam virtutem iactare ne quis audeto, qui nec factis nec animi habitu profeſſionis fidem fecerit* r). Audiant haec, et tanquam a philoſopho dicta, improbent, vel ii ipſi, qui, quanquam formulariae tantum pietatis ſtudioſi, a pietate tamen nomen mutuantur!

Ergo

barbarum auctorem prodi hoc ipſo contendebat, quod vocabulum, vulgari vſu pro ἐμφυσᾷν, *inflare*, adhiberi ſolitum, vſurpauerit tanquam a φύσις ductum, vt ſit *in naturam et indolem conuertere.* Iniquiſſima vero ſtrictura. Eſt enim voc. Pythagoreis ſeu veris, ſeu imitatoribus, hoc ſenſu frequentatum: ſic Hippodamus de rep. apud Stob. XLI. τὰ δὲ ἔθη καὶ ἐπιτηδεύματα πλάσσει καὶ κηροχυτεῖ τὰν ψυχὰν, φυσίωσιν ἐμποιεῦντα διὰ τῆς συνεχέος συνεργίης: h. *habitu in naturam verſo.* Apud Porphyr. de Abſtin. I, 29. ἡ κατὰ τὰ ὄντως ὄντα φυσίωσις καὶ ζωή. III, 11. φυσιοῦσθαι *a natura vim habere.*

q) Προσποιείσθω δὲ ἕκαστος τῶν πολιτῶν σωφρονεῖν μᾶλλον ἢ φρονεῖν. ὡς ἡ προσποίησις τοῦ φρονεῖν μέγα σημεῖον ἀπειροκαλίας καὶ σμικρότητος. Quanto melius aureum hoc praeceptum noſtris legum tabulis eſſet inſerendum, cum in τῷ φρονεῖν ſumma nunc omnis ſapientiae poni ſoleat. Quid? quod, niſi quaeſtiunculis et opiniunculis animum onerare maluiſſent noſtri maiores quam paucis veritatis fructuoſae et virtutis actuoſae praeceptis imbuere ipſoque vitae vſu firmare, quanto meliorem nunc remp. haberemus!

r) ἔστω δὲ ἡ προσποίησις τοῦ σωφρονεῖν ἀληθής. μηδεὶς γὰρ πλαττέσθω γλώσσῃ καλὰ ἔργα, πράξεως καὶ διανοίας στερόμενος ἀγαθῆς.

Digitized by Google

Erga magiſtratus, tanquam parentes, beneuolentia affecti ſunto, obediendo ac venerando ipſos. Qui aliter ſenſerit, poenam mali conſilii dabit daemonibus ciuitatis praeſidibus s). *Nam et ipſi magiſtratus ciuitati praeſunt et ciuium ſaluti.*

Magiſtratus autem ipſi ciuibus, tanquam liberis ſuis, cum iuſtitiae cura praeſunto. Inimicitias iuxta atque amicitias, irasque in iudicando reprimunto t).

Laudantor et concelebrantor illi, qui, locupletes cum ſint, tenuioribus ſubueniunt; quippe qui patriae ſuae, communi parenti, liberos ſimulque propugnatores ſeruent. Subueniunto autem iis, qui fortunae, non otioſae et intemperantis vitae, culpa pauperes ſunt v).

Fortunae

s) Ita int. *δαίμοσιν ἑστιούχοις* et mox *ἄρχοντες γὰρ ἑστιαχοῦσι πόλεως καὶ πολιτῶν σωτηρίας.* Verba ſunt: *Χρὴ δὲ καὶ πρὸς τοὺς ἄρχοντας εὔνοιαν διαφυλάττειν, καθάπερ πατρικὴν, εὐπειθοῦντας καὶ σεβομένους. ὡς ὁ μὴ διανοούμενος οὕτως τίσει δίκην κακῆς βουλῆς δαίμοσιν ἑστιούχοις. ἄρχοντες γὰρ ἑστιουχοῦσι πόλεως καὶ πολιτῶν σωτηρίας.* De Daemonibus vid. ſup. ad LL. Zaleuci Proluſ. I. Voc. *ἑστιοῦχος* in verbis Aeſchyli legitur ap. Longin. ſ. 3. vbi et Toup. in Ind. raram vocem eſſe notauit. Ceterum lex haec cum nonnullis aliis etiam eo eſt notabilis, quod diris quodammodo deuouetur is qui aduerſus legem deliquerit; cuius generis multae leges ſunt inter Moſaicas. Legem hanc reſpexit Cic. de LL. III, 1 *Nec vero ſolum vt obtemperent obediantque magiſtratibus, ſed etiam vt eos colant diligantque praeſcribimus, vt Charondas in ſuis fecit legibus.*

t) *Χρὴ δὲ καὶ τοὺς ἄρχοντας δικαίως προεστάναι τῶν ἀρχομένων, καθάπερ τέκνων ἰδίων, ἔχθραν καὶ φιλίαν καὶ θυμὸν ἐν τῷ κρίνειν κοιμίσαντας.*

v) *Ἐπαινείσθωσαν δὲ καὶ εὐδοκιμείσθωσαν, ὅσοι ἂν ὄντες εὔποροι τοῖς ἐνδεεστέροις ἐπαρκῶσιν, ὡς τέκνα καὶ ἀμύντορας*

Fortunae enim caſus omnibus communes ſunt: otioſa autem et incontinens vita malis hominibus propria eſt u).

Item honeſtum habetor, indicare eum, cuius quis facinoribus conſcius eſt, vt resp. ſalua ſit, multos habens bonae conſtitutionis cuſtodes x). *Qui indicaturus eſt, pietatem adhibeto: etiam genere proximos deſerto; patria enim nihil eſt coniunctius* y). *Indicium autem faciunto non eorum, quae per imprudentiam praeter voluntatem commiſſa, ſed quae conſulto peccata ſunt. Ceterum is, qui indicio delatus fuerit, ſi aduerſus indicem inimicitias ſuſceperit, ab omnibus odio habetor, atque ingrati animi poenas dato tanquam is, qui mercede defraudet eum, per quem quaſi medicum, a peſſimo morbo, ſcelere, liberatus eſt* z).

Periculoſa

τορας σώζοντες τῆς ἑαυτῶν πατρίδος· ἐπαρκείτωσαν δὲ τοῖς διὰ τύχην πενομένοις, καὶ μὴ διὰ βίον ἀργὸν καὶ ἀκρατῆ.

u) Sic int. ἡ μὲν γὰρ τύχη πᾶσι κοινὸν, ὁ δὲ ἀργὸς καὶ ἀκρατὴς βίος κακοῖς ἀνδράσιν ἴδιος.

x) Καλὸν δὲ ἔστω καὶ μηνύειν, ἐάν τίς τῳ συνίδῃ ἀδικοῦντι, ἵνα ἡ πολιτεία σώζηται πολλοὺς ἔχουσα τῆς εὐκοσμίας φύλακας.

y) ὁ δὲ μηνύων εὐσεβὴς ἔστω, καὶ κατὰ τῶν οἰκειοτάτων ἐξαγγέλλων. οὐδὲν γὰρ ἐστὶν οἰκειότερον πατρίδος. reſpectusque adeo patriae debet eſſe maior quam conſanguineorum.

z) Ita int. μισείσθω ὑπὸ πάντων, δίκην διδοὺς ἀχαριστίας, ἧς (δι' ἧς μισθοῦ) ἀποστερῇ τὸν ἰατρεύοντα, μεγίστην νόσον ἰατρευόμενος, ἀδικίαν. Antecedentia vero ſic ſe habebant: ἐμφανιζόντων δὲ μὴ, τὰ δι' ἀκούσιον ἄγνοιαν γιγνόμενα, ἀλλ' ὅσον ἂν ἐκ προνοίας τι ἁμαρτάνωσιν. ὁ δὲ ἐμφανισθεὶς, ἂν ἀπεχθῆται τῷ μηνύσαντι, μισείσθω etc.

Periculoſa forte lex et admodum lubrica, et quae vmbratilem potius, quam verum legumlatorem prodat, qua ſycophantis et delatoribus, et cum his omni ſceleri, flagitio et infamiae, cum odiis, inimicitiis, caedibus, aditus in forum parari videtur! niſi forte in ipſo legum codice alia fuere ſubiecta, quibus his malis occurreretur. Et alia ſane apud Diodorum *a*) Charondae lex memoratur, quae non tam ſuperiori abrogare quam potius huius ipſius legis deprauationi cauere debuiſſe videri poteſt: *Calumniae enim*, inquit, *conuictis* b) *poenam irrogauit hanc, vt myrica coronati per vrbem circumducerentur, quo eos malitiae palmam eſſe conſequutos manifeſte appareret.* Sed ſunt adhuc nonnulla alia ad hanc legem monenda, quae in aliam commentationem differenda eſſe videmus. Vos, Ciues amantiſſimi, iis, quas ab initio propoſuimus, precibus monitisque vt locum apud vos eſſe velitis, iterum iterumque rogamus. P. P. Kal. Januar. cIↃ IↃ CCLXVIII.

a) Diodor. XII, 12.

b) malitioſae delationis, *τοὺς δὲ ἐπὶ συκοφαντίᾳ καταγνωσθέντας προσέταξε περιπατεῖν ἐστεφανωμένους μυρίκῃ, ὅπως ἐν πᾶσι τοῖς πολίταις φαίνωνται πρωτεῖον τῆς πονηρίας περιπεποιημένοι.*

IV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

PAVLVS JACOB. FOERTSCH D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA XXXII.

IN A. D. XVII. SEPT. cIↃIↃCCLXIX.

RITE INDICIT.

Legum Charondae fragmenta.

Sectio altera.

Solent vulgo homines ea tantum tempora pro memorabilibus habere, in quibus aliquid ad vtramque fortunam inſigne et a vulgari rerum curſu deflectens euenerit; quemadmodum omnino ea, quibus adſueuimus, quamuis notabilia et praeclara, vix obiter contemplamur; in iis autem, quae noua et inſolita ſunt, vnice haeremus ac ſtupemus. Quid? quod adeo, *cum ſuſpicimus magni caeleſtia mundi Templa ſuper, ſtellisque micantibus aethera fixum,* Vix *venit in mentem ſolis lunaeque viarum;* at nunc, cum

cum *crinitum ſidus* apparet, cuius non oculi animique ad caelum conuerſi ſunt? Sed *adſiduitate quotidiana*, vt Ciceronis verbis vtamur, *et conſuetudine oculorum, adſueſcunt animi, neque admirantur neque requirunt rationes earum rerum, quas ſemper vident; proinde quaſi nouitas nos magis quam magnitudo rerum debeat excitare.* Sapiens itaque, non ille ex porticu nec ex ſchola formularia, ſed qui ad vitae vſum et felicitatem transferendam ſibi eſſe philoſophiam cenſet, magnam ſui ſtudii partem ponit in eo, vt obvia quaeque et vulgaria, quae ante pedes, in omnium conſpectu oculisque poſita, omnium manibus trita tractataque ſunt, excutiat et exploret, quaeque iis ſiue ad vitae miſeriam minuendam, ſiue ad felicitatis publicae priuataeque materiem augendam inſint, extundat et exquirat. Idem ille ſapiens, dum ſortem aequabilem et in neutram partem conſpicuam eminenti et inuidioſae fortunae anteferre non dubitat, eum demum vitae ſuae curſum ſecundum iudicet neceſſe eſt, quem inter res modice proſperas animo aequo et tranquillo nullaque fortunae in alterutram partem viciſſitudine turbato exegerit.

Scilicet mortalibus ſi qua vita beata contigit, ea eſſe iudicanda eſt, quam te viuere vix ſentiebas, vixiſſe recordaris, tanquam ſomnium, quod modo effluxit. Nam qui eam felicitatis menſuram eſſe velit, vt nullam diem, nullam horam, feliciter exegiſſe arbitretur, niſi cum apud ſe diceret: at beatum me! nae is, veremur, vt magnam vitae ſuae partem cum felicitate coniunctam fuiſſe dicere poſſit.

Redeuntibus nunc, Ciues, ſacris Academiae noſtrae anniuerſariis, exactoque adeo iterum anno, *qui* ſacro huic computo accedit, (et vtinam in immenſam annorum ſummam excreſcat!) ſi nihil nec admodum laetum nec admodum triſte, quod euenerit, memorare poſſumus, habemus in eo ipſo, quod de rep. ſalua et incolumi, rerumque ſtatu integro et ſtabili, gratulari poſſimus; quanquam, in hac ipſa aequabiliter proſpera fortuna, multa publice laeta et ſecunda contigerunt, cum beneuolentiae Regis Optimi erga nos tot tamque praeclaras ſignificationes, curae autem ac tutelae Parentis noſtri communis, Munchhuſii, tam plena affectus ſigna, ac potius monumenta, enumerare in promtu ſit; nuper quidem etiam hoc, quod Regis Optimi frater amantiſſimus Sereniſſ. Dux Gloceſtriae, res *noſtras* inſpicere non eſt dedignatus. Quae cum ita ſint, habemus vtique, quod ſollennia anniuerſaria et ſupplicationes publicas in a. d. XVII. Sept. e Senatus academici decreto, rite indicamus; cumque ille dies ex iis ſit, quos maiorum mos et ritus cultui diuino publico conſecrauit, ducetur quidem a. h. IX. pompa ex more in templum academicum, ſed orationis loco, quam haberi mos eſt, inter ſacra publica, Vir Summe Reuerendus, Collega noſter coniunctiſſimus, *G. T. Zachariae* D., qui illo die verba e ſuggeſtu faciet ad piam concionem, expoſitis pro ſolita facundia ceteris, quae pietatis ſenſum in animis excitare poſſint, deo aget immortali gratias ac vota publica perſoluet. Vos igitur, Iuuentutis florentiſſimae Principes, Comites Illuſtriſſimi, ceterique Ciues genere, ingeniis, moribus Nobiliſſimi,

liſſimi, quorum ſtudium amorque noſtri aliis rebus cognitus nobis perſpectusque eſt, ſollennibus his intereſſe frequentes tanto minus recuſabitis, quo magis ipſius diei ſanctitas, ſacrarum rerum reuerentia, pietatisque in adorando Numine O. M., omnis felicitatis fonte et auctore vnico, teſtandae neceſſitas, hoc idem a vobis exigunt et flagitant.

Satis nunc factum eſt, Ciues amantiſſimi, ei, quod indicendorum anniuerſariorum ſollennium nobis incumbebat, officio. Reſtat altera officii pars, vt de quaeſtione aliqua docta et vtili vobiscum agamus; paucis vtique, quippe qui docta et vtilia non ſemper ad animos perdiu tenendos eſſe accommodatiſſima bene teneamus.

Subſtitimus tum, cum de Charondae legibus agere inſtituiſſemus *a*), in ea lege, qua indicii munus et officium vnicuique ciuium erat impoſitum, *ſi cuius facinoribus erat conſcius* b). Securitatem et tranquillitatem publicam inter ciues Charondae in hoc inprimis fuiſſe propoſitam, ex ipſa lege intelligitur *c*); ad omne autem criminum flagitiorumque genus, etiam ad morum prauitatem vitaeque profligatae turpitudinem, neceſſitatem hanc indicii pertinuiſſe, ex iis, quae mox ex eadem lege ſubiicien-

F 5 tur

a) In Proluſ. Kal. Jan. 1768. *Legum Charondae fragmenta.* Sectio prior.

b) *ἐάν τίς τῳ συνίδῃ ἀδικοῦντι.*

c) *ἵνα ἡ πολιτεία σώζηται, πολλοὺς ἔχουσα τῆς εὐκοσμίας φύλακας.*

tur *), patebit. Habere tamen eam aliquid *incivile*, forte illiberale et ingenuo homine *indignum*, erit forte, qui exiſtimet. Quis enim, niſi qui ex aliorum miſeria creſcere publicoque odio exultare malit, eorum, quae ab altero, familiari interdum ac collega, praue et ſiniſtre geſta ſint, index apud magiſtratum eſſe ſuſtineat? Sed, dum a tali indicio, tanquam cum honeſtate parum coniuncto, abhorremus, adſperſa fere et admixta calumniae, odii vel cupiditatis, nota aliqua animo inſidet; cum tamen ab odiis iuxta ac ſtudiis prauis intactum ſeruare ſtudeat animum bonus quisque ciuis; et, quod in ipſa lege adiicitur, maior haberi debeat ratio patriae, qua nihil cuiquam eſſe poteſt coniunctius, quam familiarium, liberorum ac parentum. Verum primo, ſi non ipſa lege, tamen ipſa re et inſtituto, multa potuere eſſe definita, quae hanc delationem circumſcriberent. Potuit ea locum habere in criminibus conceptis, inchoatis, deſignatis. Tum ſubiicitur recenſus eiusmodi ſcelerum (*ἀδικημάτων*), quae a malo animorum habitu proficiſcuntur: deorum contemtus, parentum violatio, magiſtratuum et legum neglectus, et iuſtitiae eleuatio ac deſpectus. Huic animi deprauati malitiae niſi mature occurratur, in deterrima ſcelera et facinora erumpere illa poteſt. Tandem, idque primarium erat, lex haec tolerabilis eſſe potuit duntaxat in ea ciuitate, in qua diſciplinae magna eſſet ſeueritas, morum ſimplicitas et

*) *ἐμφανιζόντων δὲ — ὅσον ἂν ἐκ προνοίας τὶ ἁμαρτάνωσιν. — ἔστω δὲ μέγιστα ἀδικήματα θεῶν καταφρόνησις* etc. v. Proluſ. ſequ.

et ſanctitas, deorumque vigeret reuerentia et iurisiurandi religio.

Neque maiores adeo noſtri talis indicii honeſtatem ſuſpectam habuerunt; quod cum omnino ex antiqua rei iudiciariae inter Germanos forma, tum ex iis conuentibus iudiciariis intelligitur, qui inde in nonnullis tractibus, ad Loganam inprimis, etiamnum frequentari ſolent, in quibus ciues omnes ac ſinguli, inprimis tamen ii, qui publico aliquo munere vel miniſterio funguntur, iureiurando adacti, quidquid contra leges a quopiam ciuium ſuorum commiſſum peccatumque nouerint, publico indicio edere tenentur; quod ipſum indicium pro accuſatione habetur, vt ſtatim res in iudicum conſeſſu diſceptanda proponatur. Sane quidem finibus contineri ſatis anguſtis et ad certa tantum crimina et flagitia, inprimis ea, quae bonam ciuitatis vel pagi conſtitutionem bonamque politiam turbare poſſunt, ſpectare hoc iudiciorum genus videtur: habet tamen, niſi fallimur, hoc maiorum noſtrorum inſtitutum bona multa et praeclara, adeo vt nuper a viro docto horum conuentuum vtilitas egregie ſit commendata *d*). Quid? quod in *Epiſcoporum olim placitis* excitati ex media parochianorum turba aliquot, numero fere ſeptem, *teſtes ſynodales* vulgo dicti, de iis, quae clandeſtina celarentur, criminibus et flagitiis, etiam de vita moribusque ſuorum conterraneorum indicium profiteri iureiurando obligati cogebantur; etſi etiam hoc indicium intra adulterii

d) J. F. Ehrhardt *von dem geſchwornen Montage, oder den Ruge-Gerichten an der Lahn.* Marb. 1768.

adulterii ſere, caedis ac rapinae, ſimiliaque crimina, quibus ſi ſe contaminet aliquis, vir bonus eſſe nequit, ſubſtitiſſe videtur; niſi quod de magicis artibus, et impietate ſuſpectaque religioſi cultus formula quaeſitum praeterea fuit *e*).

Omne tamen indiciorum genus (nam de maieſtatis delatione, quam nemo ſine horrore nominat, non agimus) in nullo populo ac rep. retineri, multo minus recipi, poteſt, quandocunque morum integritas fidesque antiqua corrumpi, et cum diuitiarum opumque ſtudio ſycophantarum delatorumque calumnia et malitia iudicumque auaritia et cupiditas graſſari coepit. Fingunt quidem plerumque leges hominum ingenia; nec tamen minus legum naturas hominum ingenia temperant. Nec ſcriptis in ſycophantas et calumniatores legibus ad rerum ſummam multum effici putamus; etſi Thurios etiam legem habuiſſe memorauimus, qua falſae calumniae poena infligebatur haec, vt *myrica coronatus* calumniator per vrbem circumduceretur. Myrica, quod tamaricis genus eſt, propterea ad hanc contumeliam delecta eſſe videtur, quod infelix is frutex habitus, quippe qui circa ſaxa ſolitaria *f*) ſerpat, adſpectu parum gratus. Poena autem talis, quod

e) v. Boehmeri Ius eccleſ. Proteſt. lib. III. t. 39. § 37. 63 ſqq. et nuper Koppius de Iudiciis Haſſiac. med. Sec. (P. I. *von den Heſſiſchen geiſtl. und Civil-Gerichten* II. *St.* IV. *Abth.* § 85 ſqq.) Originem inde ducere videntur corycaei et indices in Wurtembergenſ. terris, *Gemeinsmänner* dicti, quos Keislerus memorat T. I. p. 80. Sed de his circumſpicere non vacat.

f) cf. Plin. XIII, 21. ſ. 37.

quod facile quisque pro ſe intelligit, in ea tantum republica malos deterrere poteſt, in qua bonae malaeque famae, decoris dedecorisque, ſenſus animis inſitus ſit paullo acutior. Is autem niſi diſciplina publica priuataque et ipſa puerilis aetatis inſtitutione inſtillatus fuerit, ciuium animis ſponte non facile innaſcitur. Ad hunc tamen honeſtatis pudorisque ſenſum in ciuium ſuorum animis eliciendum et excitandum vetuſtarum ciuitatum diſciplina mirifice erat concinnata, non, vt nullam niſi in Regis ſeruitio gloriam poſitam eſſe putarent, verum vt recte factorum praemium ſummum ac certiſſimum ex ciuium exiſtimatione et laude peterent, malefacti poenam acerbiſſimam et omni ſupplicio atrociorem arbitrarentur infamiam. Itaque illam ipſam myricae geſtandae ignominiam Diodorus narrat *g*) inter Thurios plerisque adeo intolerabilem viſam, vt, cum eam ſibi iudicum ſententiis inflictam audirent, morte ſuis ſibi manibus illata eam occuparent. Omnino autem, vt violenta imperia terrore ac metu tranquillitatem, hoc eſt ſeruitutem, publicam retinere ſtudent, ita ciuitates, quae in eam reip. formam deſcriptae ſunt, quae hominibus ingenuis conſentanea ſit, ciuium pudorem habent ſalutis ſuae cuſtodem fidiſſimum.

Ne ille itaque animis, tanquam ſpeculis, deiiciatur, ſed vigilanter et fideliter excubet, ipſas leges in iis ciuitatibus eo temperatas eſſe neceſſe eſt, vt in poenis ac ſuppliciis ignominiae et infamiae, non autem atrocitatis ac tormentorum ſaeuitiae,

g) Diodor. XII, 11.

Digitized by Google

tiae, quod peſſimum tranquillitatis publicae praeſidium eſt, ratio habeatur. Falſo enim natura accuſatur, quaſi quaedam ingenia tam ferocia ac belluina finxerit, vt niſi belluarum more regi nequeant. Suam inhumanitatem accuſent, qui culpa ſua commiſerunt, vt illa ingenia ſortis ſuae duritie et immanitate efferarentur. Scilicet, quod noſtra vel aſperitate vel ſocordia miſeri ſunt, hoc in ipſos poena vindicandum arbitramur? Sed de his ſatis a viris ſapientibus ac doctis et ſaepe actum eſt. Nos ad aliam inter Thurios ab ignominia ductam poenam progredimur.

Adulterii poena inter Thurios conſtituta fuit haec, *vt moechum ludificari facetisque ac dicacibus conviciis exagitare poſſet quiuis.* Quae quidem poena an inter nos ab adulterii flagitio multos ſit reuocatura, forſitan dubites, multo magis ex quo Gallica elegantia Germanorum mores adeo infecit, vt etiam honori ſibi aliquis ducat, flagitioſum et eſſe et haberi. Sed pudorem omnem iam dudum eo vsque eiurauimus, vt in ipſa rep. litteraria, in qua Honeſtas et Bona Mens magiſtratum gerere debebant, verendum ſit, ne, quicunque regnum affectet, aut ſaltem aliquo loco eſſe velit, id ſe inquinatis moribus, flagitioſa aliorum inſectatione et perfrictae frontis impudentia facile conſequi poſſe putet. Enimuero quaeri poteſt non minus ac dubitari de toto hoc genere poenae ciuilis, quod petitum eſt a cauillatione et irriſione, ſatisne graue illud ſit et legum auctoritati conſentaneum? quod tamen in ea ciuitate minus in reprehenſionem venire poteſt,

in

Digitized by Google

in qua exiſtimationis bonaeque famae ac pudoris omnino aliqua ratio habetur: ea res tamen, niſi in magna morum ſimplicitate locum vix habet. Expeditiorem reprehenſionem habet illud inſtitutum, quo ludificationi publicae, et laſciuiae plebis ac puerilis aetatis, reus exagitandus conceditur. Exempla eius generis ſunt mali debitores apud Tyrrhenos, qui marſupio vacuo ad collum religato per vias ducebantur irridendi pueris; (fragm. Heraclid. *de Tyrrhenis*) aut apud Boeotos, cophino capiti ſuperiniecto vt in foro ſederent. (Nic. Damaſc. in fragm.)

Sed inter Thurios eadem ludibrii poena in *curioſos* et de alienis negotiis ſatagentes ardelionesque erat ſtatuta *h*). Sapienter vtique in peſſimum animi vitium plurimorumque peſſimorum vitiorum fomitem animaduerti Charondas voluit. Nam nemo facile aliarum rerum curioſus eſt, qui non ſuarum negligens ſit et otioſe agat, et idem loquax ſit et aliis male cupiat. Quod autem Plutarchus vtrumque hominum genus et moechos et male ſedulos vna enuntiatione complexus eſt, id, dum breuitatis ſtudio plura ſub vnum caput reuocabat, temere

h) Plutarch. de Curioſ. p. 159. B. *εὖ δὲ καὶ ὁ τῶν Θουρίων νομοθέτης· κωμῳδεῖσθαι γὰρ ἐκώλυε τοὺς πολίτας, πλὴν μοίχους καὶ πολυπράγμονας.* Nolim *κωμῳδεῖσθαι comoediis traduci* proprie dictum accipere; quanquam eſſent, quae pro hac interpretatione memorari poſſent. Epigrammatiorum dicacitas igitur tum pro virgarum ſaeuitia erat, qua carnifices nunc noxiorum terga caedunt. Ceterum alienorum negotiorum male curioſos multari etiam apud Locros, altera de Zaleuci legibus proluſione vidimus: ſup. p. 36.

temere factum putare malumus, quam, quanquam ipſe hoc facere videtur, alterum alterius ſimile arbitrari. Ceterum dum de hac *cauillandi licentia* per Charondae legem *in ſycophantas, impudicos et male curioſos, permiſſa* agimus, Lycurgi inſtitutum illuſtrare licebit, quo cauillari et dicteria iacere aſſuefaciebant pueros ſuos Lacedaemonii *i*). Spectaſſe enim Laco videtur partim hoc, vt ingenia acuerent et cum ſollertia hilaritatem aliquam induerent animis, partim vt cauillorum et dicteriorum aculeos extimeſcentes pueri nihil ſtulte vel praue committerent, quo ſodalium ſalibus perfricandos ſe traderent. Haec quidem hactenus. P. P. a. d. XVI. Sept. cIↄ Iↄ CCLXIX.

i) v. Cragius de rep. Lac. lib. III. t. 8. inſt. 8.

V.

Digitized by Google

V.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

PAVLVS JACOB. FOERTSCH D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

GE. LVDOVICVM BOEHMER D.

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. II. JANVARII CIƆIƆCCLXX.

Legum Charondae fragmenta.

Sectio tertia.

Pergit Joannes Stobenſis in legum Charondae recenſu in hunc modum: *Pro maximis autem ſceleribus habentor deorum contemtus, parentum mala tractatio voluntaria, magiſtratuum legumque neglectus et prauum ius fasque in contemtum adducendi ſtudium. Contra iuſtiſſimus idemque ſanctiſſimus ciuis aeſtimator, qui eadem illa honore habeat, eosque, qui illa contemnunt, apud ciues et magiſtratus indicet a).* Cum antecedente de indicio

a) Ἔστω δὲ μέγιστα ἀδικήματα, θεῶν καταφρόνησις, καὶ γονέων κάκωσις ἑκούσιος, καὶ ἀρχόντων καὶ νόμων ὀλιγωρία

indicio coniunctam fuiſſe hanc legem manifeſtum eſt. Bene autem et hic Charondas ethicum praeceptum inſerit idque longe grauiſſimum. Nam legum ſanctitas et reuerentia atque quodam modo horror animis vel maxime erat inſtillandus, ſi expectabat hoc, vt ciues aliquando haberet vitae puritate, integritate et ſanctitate conſpicuos. Quod noſtris temporibus et noſtris moribus contra ſe habere videtur. Nam ad puerilis inſtitutionis formulam vix quisquam hoc refert, vt legum reuerentia imbuantur animi. Contra autem non facile eſt aliquis tam obtuſi ingenii, qui non audeat in leges dicax eſſe; et, dum ediſcuntur iura, eorum maieſtatem et ſanctitatem pauci ita animis ſuis habent propoſitam, vt legem aliquando ſiue fraude ac dolo malo ſiue interpretatione vel ſiniſtra vel indocta violare, religioni ſibi ducere mature adſueſcant.

Ad cuſtodiendam hanc et muniendam legum reuerentiam referenda eſt lex Charondae, cuius veſtigia ſeruauit Diodorus: *Legi, inquit, parendum eſſe ſtatuit, etiam iniquae et male ſcriptae b)*; melius ſcilicet

γωρία, καὶ ἑκούσιος ἀτιμία δικαιοσύνης. δικαιότατος δὲ ἔστω καὶ ὁσιώτατος πολίτης, ὁ ταῦτα τιμῶν, καὶ ἐμφανίζων πρὸς πολίτας καὶ ἄρχοντας κατὰ τῶν καταφρονούντων. Jo. Stob. Serm. XLII. p. 290. Dicta haec vltima ſunt vt εἰσάγειν δίκην κατά τινος. Sic κατηγορεῖν, καταδικάζειν et multa in re forenſi. Et ſic paullo ante: κατὰ τῶν οἰκειοτάτων ἐξαγγέλλων (quod communi ratione εἰσαγγέλλων vel ἐπαγγέλλων eſſe debebat.)

b) Diodor. XII, 16. προσέταξε γὰρ ἐκ παντὸς τρόπου πείθεσθαι τῷ νόμῳ, κἂν ᾖ παντελῶς κακῶς γεγραμμένος. vbi in ſeqq. late de hac lege diſputat Diodorus.

Digitized by Google

ſcilicet arbitratus et honeſtius, auctoritati legum aliquid concedere priuatum hominem, quam vt priuati hominis libido vel temeritas legis auctoritatem cauillatione ſua eleuaret. Fecit tamen emendandi legem, quae emendatione indigere videretur, poteſtatem. Subiicit enim eodem loco Diodorus narrationem ſimilem ei, quae in Zaleuci legibus a nobis iam memorata eſt, vt qui quicquam in legibus nouandum publice proponeret, is interea, dum de emendanda lege deliberaretur, collum funi inſereret mox adducendo, niſi lex eſſet abrogata. Niſi itaque ſeu Diodori ſeu eorum quos ille ſequutus eſt, memoria vacillauit: aut alter legis auctor ab altero id petiit, aut vtriusque auctoritas fecit, vt communia vtrique tribuerent, quae alterutri tantum erant relinquenda. Zaleucus certe magnam in legibus acerbitatem et auſteritatem eſt ſequutus; Charondae vero leges ſanctiones habent mites et ad lenitatem temperatas.

Sequitur apud Stobenſem lex praeclara et homine libero ingenuoque digna, modo in ciuitate libera et in ea patria viuat, in qua liberum hominem aliquo loco haberi videas: *Pro patria mori honeſtius ducitor, quam viuendi cupiditate patriam et honeſtatem deſerere. Praeſtat enim honeſte mori, quam viuere turpiter et cum opprobrio* c).

 Aut

c) Jo. Stob. l. c. p, 290. *ὑπὲρ πατρίδος ἀποθνήσκειν σεμνότερον ἔστω, ἢ γλισχόμενον τοῦ ζῆν ἐγκαταλιπεῖν αὐτὴν καὶ τὸ καλόν. Κρεῖττον γὰρ τεθνάναι καλῶς, ἢ ζῆν αἰσχρῶς καὶ ἐπονειδίστως.*

Aut breuiter nimis haec a Stobenſi excerpta ſunt, aut in ipſis legum tabulis alia lex fuit in eandem rem ſcripta, quam Diodorus ſeruauit: *Signorum ordinumque in bello deſertores, aut arma pro patria ſumere omnino detrectantes, muliebri veſtitu amicti per triduum in foro deſidento* d). Communis ea omnium ciuitatum Graeciae, et quorum non populorum! fuit lex, vt id genus homines capite plecterentur e). Quod quidem ſupplicium acerbum et iniquum haberi non poteſt in ea rep. in qua aequo omnes iure vtuntur et libertatis publicaeque ſalutis fructus non minus ad egenos et infimos quam ad diuites et principes pertinent, habetque adeo vnusquisque, cur remp. ſaluam eſſe velit; cum pro noſtris quidem regnis et imperiis tuendis vita ſit impendenda iis maxime hominibus, quorum nihil refert, quo tandem ſtatu ac loco ſumma rei ſit, quique ex funeſtiſſimo quamuis reip. caſu nihil aliud habent, quod ſperent vel metuanr, quam vt alii miſeriae generi adſueſcant. Thuriis tamen qui leges ſcripſit, humanitatem ſequi maluit; forte et publicam vtilitatem, quam cum hac lege coniunctam eſſe arbitrabatur maiorem. Nam, quod et Diodoro obſeruatum, ſeruabat ciuitati ciuis caput (magnum vero lucrum,

d) Diodor. XII, 16. *ἕτερον δὲ ἔθηκε νόμον κατὰ τῶν λιπόντων τὴν ἐν πολέμῳ τάξιν. ἢ τὸ σύνολον μὴ ἀναλαβόντων τὰ ὅπλα ὑπὲρ τῆς πατρίδος. Τῶν γὰρ ἄλλων νομοθετῶν κατὰ τῶν τοιούτων τεθεικότων θάνατον τὸ πρόστιμον, αὐτὸς προσέταξε τοὺς τοιούτους ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐφ' ἡμέρας τρεῖς καθῆσθαι ἐν ἐσθῆσι γυναικείαις.*

e) Nolumus in loco communi haerere. v. Petit. LL. Att. VIII, 3. Cragius de rep. Laced. lib. III. tab. XII. inſt. XI. et multi alii ſuper *λειποταξίου* et *λειποστρατίου* poenis.

lucrum, ſi recte rerum naturas aeſtimes!) eique, qui repentina animi perturbatione et metus vi correptus fugerat, locum poteſtatemque faciebat, vt tanto acriore magisque ſtrenua virtute adſperſam ſibi maculam eluere poſſet. Quanquam et ipſa memorata illa ignominia, quam lex inurebat, talium ciuium, quales ſuos Thurios eſſe volebat Charondas, animis omni ſupplicio atrocior eſſe debuit, vt eius adeo metu honeſtam quisque mortem alacriter peteret. Paris ceterum humanitatis et aequitatis lex in ordinum deſertores ſcripta erat apud Aegyptios *f*).

Porro: *Defunctos morte honoranto non quidem lacrymis nec lamentis, ſed bona recordatione, et ſrugum hornarum quotannis oblatione. Ingrati enim in Manes animi eſt, luctum immodicum retinere* g); quatenus ſcilicet laedi videntur Manes luctu immodico. Notum illud Tibulli: *Tu Manes ne laede meos, ſed parce papillis* &c. Id autem, quod lege hac conſtitutum eſt, infinitis modis praeſtat more hoc

f) Diodor. I, 78. vt iam Weſſel. monuit.

g) *Χρὴ δὲ καὶ τῶν τελευτάντων ἕκαστον τιμᾶν, μὴ δακρύοις, μηδὲ οἴκτοις, ἀλλὰ μνήμῃ ἀγαθῇ καὶ τῇ τῶν κατ' ἔτος ὡραίων ἐπιφορᾷ, ὡς ἀχαριστίας οὔσης πρὸς δαίμονας χθονίους λύπης ὑπὲρ τὸ μέτρον γιγνομένης.* Scilicet *τὰ ὡραῖα*, h. flores, poma fructusque verno aeſtiuoque tempore ex arboribus fruticibusque naſcentes, pro inferiis inferebant ſepulcris vel apponebant tumulis; notiſſimus veterum mos; ortus ille et compoſitus haud dubie ad illum alterum, qui tempore prior fuit, cum numen, omnium bonorum mortalibus impertitorum fontem et cauſſam, quocunque tandem nomine, frugum primitiis appoſitis colebant. *Δαίμονες* autem *χθόνιοι* non ſunt dii inferi, ſed Manes, vt ſaepe alibi.

hoc inter monachorum clauſtra nato, quo mortem omni terrorum et minarum genere, funera miſerabili rerum ſpecie proſequimur, ritu nec ad pietatis ſenſum nec ad luctus ſignificationem ſatis compoſito.

Nemo damnum iniuſte paſſus vlla ſuper re conuicia facito. Diuinior enim res eſt bene dicere quam male dicere h). *Etiam is, qui iram reprimit, melior ciuis habetor, quam is, qui ira immoderate effertur* i). Praeclare!

Qui templa et publica ciuitatis aedificia priuatarum aedium ſumtu ſuperat, nequaquam nominis claritatem ſed infamiam conſequitor. Nihil enim eſto priuatum magnificentius et auguſtius publicis *).

Quem hic verbis expreſſum habemus praeclarum morem, eum tacito quondam conſenſu ſequutae ſunt veteres ciuitates liberae fere omnes, vt in aedificia publica ſumtus facerent ingentes, cum priuatim humili quisque vteretur ac parua domo. De Athenis quidem alio tempore vidimus *k*). Roma modici in priuata aedificia ſumtus et

h) Βλασφημείτω δὲ μηδεὶς ἐπ' ἀδίκῳ βλάβῃ περὶ μηδενός. Θειότερον γὰρ εὐφημία κακηγορίας.

i) Νομιζέσθω δὲ πολίτης ἀμείνων ὁ τῆς ὀργῆς κρείττων μᾶλλον τοῦ διὰ ταύτην πλημμελοῦντος.

*) Ibid p 291. Ὁ ἱερὰ καὶ ἀρχεῖα ὑπεραίρων τῇ πολυτελείᾳ (non πολυτελείῳ) τῶν ἰδίων μὴ εὐδοξείτω, ἀλλ' ὀνειδιζέσθω· μηδὲν γὰρ ἔστω ἰδιωτικὸν μεγαλοπρεπέστερον καὶ σεμνότερον τῶν δημοσίων.

k) De publicis priuatae frugalitatis vtilitat. Prol. poſtr. Kal. Jan. 1766. ſupra Vol. I. p. 246. Et Horatius de Romanorum maioribus: *Priuatus illis cenſus erat breuis; Commune magnum* etc.

Digitized by Google

et publicae libertatis eundem vidit finem; nec praetoriorum magnificentia niſi cum publica ſeruitute ciuitatem inuaſit. Hinc, cum priuatim quisque impenſis parceret, in paruis quoque ciuitatibus Italiae et Graeciae templa, baſilicae ac porticus, regum noſtrorum aut ſuperabant opes, aut aequabant. Neſcio an a ſimili cauſſa repetendae ſint aedes paſſim per Europam ſacrae immenſae molis ac mirandae magnificentiae, iis tamen aetatibus exſtructae, quae metalli materiaeque copia, artis praeſtantia, operarum frequentia, ipſaque manupretii, ſi rationes ſubtiliter ineas, vilitate noſtris temporibus longe erant inferiores; ſcilicet habebat temporum illorum ſuperſtitio et ſtupor hoc ſaltem boni, vt, in quas cenſum publice priuatimque effunderent, ſacras baſilicas haberent ſolas. Quod Aſiae quoque et Aegypti reges portenta illa potius quam miracula operum publicorum eduxerunt, in eo, praeter multa alia, quae hic commemorari non poſſunt, eos non parum opibus neceſſariis inſtruxiſſe iuuiſſeque videtur ceterorum aedificiorum domuumque priuatarum exilitas. Nec mirum itaque, ſi magnarum vrbium plerumque ruinae nullae nunc viſuntur praeterquam templi forte vel ſepulcri. Ita Babylonis veſtigia ex vnica lapidum caementorumque ſtrue, quae ex vetere aliqua mole vel templo ſuperſtes eſt, aeſtimantur; et publicorum operum ruinae in immani ſolitudine, quae vrbium areas occupat, ſunt, quae veteris Aegypti opes fabulis eximunt.

Digitized by Google

Diuitiis et pecuniae ſeruiens contemnitor tanquam animi puſilli, et illiberalis, ſumtuoſarumque rerum et vitae ſcenico apparatu inſtructae ſtupidus admirator; idem abiecti animi homo exiſtimator. Magnus enim animus omnia humana ſecum praemeditatus nulla tali re perturbatur, ſi inciderit l). Scilicet reſpicit Charondas homines beatos, qui e fortunae bonis ita toti pendent, vt iis ereptis omnia vitae tolerabiliter viuendae inſtrumenta ſibi erepta miſeriamque certiſſimam paratam videant.

Turpia ne quis loquitor, ne idem factis turpibus animum aſſueſaciat aut mentem impudicitia et flagitiis obruat. Nam quae honeſta ſunt et amabilia, propriis et vſu receptis nominibus appellamus; quae vero auerſamur, eorum vel nomenclatione abſtinemus, tanquam re turpi. Eſto igitur turpe etiam eloqui turpia m).

Pro-

l) Ὁ πλούτῳ καὶ χρήμασι δουλεύων καταφρονείσθω ὡς μικρόψυχος ὢν, καὶ ἀνελεύθερος καὶ καταπληττόμενος ὑπὸ κτημάτων πολυτελῶν καὶ βίου τραγῳδουμένου, καὶ εὐτελὴς εἶναι τὴν ψυχὴν ὑπολαμβανέσθω. ὁ γὰρ μεγαλόψυχος προδιανοεῖται πάντα παρ' ἑαυτῷ τὰ παρ' ἀνθρώποις, καὶ δι' οὐδενὸς θορυβεῖται τοιούτου, ὅταν παραπέσῃ. Eleganter omnia extulit. παραπίπτειν neſcio an h. l. a talorum iactu petitum ſit; ſi ſecus ceciderit, nimirum quam ſperabat, praeter opinionem. Aduerſus voc. τραγῳδεῖσθαι, ſane recentius Charondae aetate, docte diſputauit Bentlej. p. 358 ſq. refellitque ſaltem hoc, quod nemini in mentem veniat, nos ipſa legum verba habere.

m) Αἰσχρορρημονείτω δὲ μηδείς, ὅπως ἂν μὴ παροικοίη (leg. παροικειοῖ, vt προσοικειοῦν) τὴν διάνοιαν ἔργοις αἰσχροῖς, μήτε ἀναπίμπλῃ (ἀναπίμπλῃ ſcribitur: ſaltem ἀναπιμπλῇ ex πιμπλάω, niſi ἀναπιμπλείη fuit) τὴν ψυχὴν ἀναιδείας

Progreditur iam legumlator ad ipſa turpia facta, a quibus ciues ſuos auocet, ſed verbis verecundis et caſtis:

Vxorem legitimam vnusquisque diligito et ex ea prolem ſuſcipito; in aliud vero nihil prolificum ſemen effundito, neque rem natura et lege pretioſam ſcelerate ac flagitioſe inſumito. Natura enim liberos procreandi cauſſa, non libidinis, ſemen produxit n).

Vxor caſtam ſe praeſtato; cum aliis viris nefariam conſuetudinem ne admittito. Meminerint enim vindictam inſtare a daemonibus familiae euerſoribus et iurgiorum ſatoribus o).

ἀναιδείας καὶ μιασμάτων· τὰ μὲν γὰρ εὐσχήμονα καὶ φίλα τοῖς οἰκείοις ὀνόμασι καὶ κειμένοις ὑπὸ τοῦ νόμου (non de proprie dicta lege ſed more accipimus) προσαγορεύομεν· πρὸς ἃ δὲ ἐχθρῶς ἔχομεν, ἐξιστάμεθα καὶ τῆς προσηγορίας διὰ τὸ αἰσχρόν· (forte haec tria verba διὰ τὸ αἰσχρόν ab alia manu inſerta) ἔστω δὲ καὶ αἰσχρὸν, εἰπεῖν τὸ αἰσχρόν.

n) Γυναῖκα δὲ τὴν κατὰ νόμους ἕκαστος στεργέτω καὶ ἐκ ταύτης τεκνοποιείσθω, εἰς ἄλλο δὲ μηδὲν προιέσθω τέκνων τῶν αὐτοῦ σποράν· μηδὲ τὸ φύσει καὶ νόμῳ τίμιον ἀνόμως ἀναλισκέτω καὶ ὑβριζέτω. ἡ γὰρ φύσις τεκνοποιίας ἕνεκεν, οὐκ ἀκολασίας, ἐποίησε τὴν σποράν.

o) Γυναῖκα δὲ σωφρονεῖν χρὴ καὶ μὴ προσδέχεσθαι συνουσίαν ἀσεβῆ παρ' ἀνδρῶν, ὡς ἀπαντώσης νεμέσεως παρὰ Δαιμόνων καὶ (tollendum videtur hoc καὶ) ἐξοικιστῶν καὶ ἐχθροποιῶν. Notanda haec Daemonum Geniorumque vltorum notio in legibus his antiquioribus, vt omnino in priſco ſermone, paſſim obuiorum, etiam in priſca arte, inprimis Etruſcorum quam vocant. Serior aetas Furias, Ποινὰς, frequentare coepit.

Digitized by Google

Qui liberis ſuis nouercam ſuperinduxit, non probator, ſed infamis habetor, tanquam diſſenſionis auctor domeſticae p).

Hanc legem Diodorus *q*) inter eas, quas Charondas a ſe inuentas, non aliunde adoptatas, legum-codici inſeruerit, memorat. Sanctionem idem *r*) legi adiectam nobis ſeruauit, „*vt ii, qui* „*nouercam ſuis induxiſſent, ſenatu conſilioque publico* „*eſſent excluſi;* fieri enim vix poſſe, vt is, qui ſuis „liberis tam male conſulat, patriae bene conſulat. „Nam quibus primae nuptiae bene ſucceſſerunt, iis „hac felicitate perfunctis acquieſcendum; qui vero „matrimonium infelix experti, idem erratum denuo „committerent, inſipientibus merito accenſendos „eſſe *s*).„ Altera haec ratio adiecta *ſecundas* omnino *nuptias*

p) Ὁ *μητρυιὰν ἐπιγαμῶν μὴ εὐδοξείτω, ἀλλ' ὀνειδιζέσθω, ὥσπερ αἴτιος ὢν οἰκείας διαστάσεως.* ibid. ap. Jo. Stob. p. 291.

q) Diodorus XII, 12.

r) Τὸ *μὴ γίνεσθαι συμβούλους τοιούτους τῇ πατρίδι.* Quo ipſo illud explicatur in lege ex Jo. Stob. recitata: *μὴ εὐδοξείτω ἀλλ' ὀνειδιζέσθω.* Loquendi eadem quidem ratio veteri aeuo frequentata, vt ſententia aliqua ſimul cum negatione contrarii efferatur; quod vulgo, vt multa alia priſci ſermonis ſimplicitati et infantiae omnino communia, Orientis linguis proprium eſſe putant. Vetus poeta mox excitandus ſic extulit: *μήτ' εὐδοκιμείσθω, μήτε μετεχέτω λόγου* Παρὰ *τοῖς πολίταις* — et alterum illud: *ὥσπερ αἴτιος ὢν οἰκείας διαστάσεως*, ſic reddidit:

— *ὡς ἐπείσακτον κακὸν*
Κατὰ *τῶν ἑαυτοῦ πραγμάτων πεπορισμένος.*

s) v. Diodor. l. l. vbi c. 14. veteris alicuius poetae iambi excitantur, quibus eadem Charondae lex exponitur; in

nuptias damnare videtur; lex ipſa id genus, ſi liberi ex priore matrimonio ſuſcepti fuerint.

Ceterum cum ſeuerioribus moribus haec lex vtique eſt conſentanea. Itaque et a philoſophis paſſim nuptiae ſecundae damnatae, et ab iis ciuitatibus, quae ſeueriora inſtituta amplexae ſunt; amplectuntur autem haec, et amplecti par eſt, omnes paruae ciuitates, quae ad popularem formam deſcriptae in morum auſteritate non modo priuatam felicitatem, ſed omnino publicam ſalutem poſitam eſſe intelligunt; facilius etiam eaedem, cum finitus et iuſtus ciuium numerus ſit, ad familiae alicuius magnae exemplum et inſtituta domeſtica regi poſſunt. Hoc idem fieri poterat in rep. Chriſtiana primis aetatibus; itaque eadem ſeueriore diſciplina ſtabat, multa accuratius et praeciſius praecipiebat, adeoque et ipſa ſecundas nuptias improbabat. Sed ſapienter receſſit ſequior aetas et ab hoc et a multis aliis, quae cum rei publicae priuataeque forma ac ratione coniuncta erant, eaque mutata deſerenda ſunt et ipſa; nec, niſi omnia ſimul in priſtinum ſtatum reuocari poſſint, (fieri autem hoc per noſtrorum imperiorum et ciuitatum formam nequit,) nimis perſeueranter ſunt retinenda, aut quod retineri nequeunt, temporum vel hominum prauitati illud eſt imputandum. Multo minus ceteris omnibus inſuper habitis, pro vna vel altera re, quae reliquarum acceſſio

in quibus vltima ſic expreſſa:
Εἶτ' ἐπέτυχες γάρ, Φησι, γήμας τὸ πρότερον,
Εὐημερῶν κατάπαυσον· εἶτ' οὐκ ἐπέτυχες,
Μανικὸν τὸ πεῖρας δευτέρας λαβεῖν πάλιν.
Sententia a multis repetita. v. Weſſeling. ad e. l.

acceſſio recte eſſe poterat, ab illis tamen ſeiuncta vana et inanis eſt, pugnare decet. Eſt enim animi anguſti ac parum prouidi, cum cetera, quae ſummam rerum conſtituunt, attingi nequeant, haerere in vno pertinaciter, quod etiamſi obtinueris, rerum tamen ſummae parum aut nihil conſultum fuerit; quae quidem res ſaepe multis fuit fraudi ipſique virtutis veritati ac ſtudio obfuit plurimum.

Prooemiorum tandem, vt ad hoc reuertamur, legum Charondae fuit finis haec:

Praedicta omnia ſeruare fas piumque eſto; qui violauerit, ciuilibus ille diris obnoxius tenetor t).

Hoc legum prooemium omnes ciues ediſcunto; feſtis diebus poſt paeanas illud recitanto, quem quidem ex omnibus epularum ſacrarum curator id facere iuſſerit; vt in vnius cuiusque naturam haec praecepta abeant u).

Itaque hactenus *prooemium legum.* Dicat aliquis, quae tandem a ſuperioribus diuerſa ipſis legum tabulis

t) Χρὴ δὲ ἐμμένειν τοῖς εἰρημένοις· τὸν δὲ παραβαίνοντα ἔνοχον εἶναι τῇ πολιτικῇ ἀρᾷ. Grauiter ac digne hoc enuntiatum!

u) Προστάσσει δὲ ὁ νόμος ἐπίστασθαι τὰ προοίμια τοὺς πολίτας ἅπαντας, καὶ ἐν ταῖς ἑορταῖς μετὰ τοὺς παιᾶνας λέγειν, ᾧ ἂν προστάσσει ὁ ἑστιάτωρ, ἵν' ἐμφυσιοῦται (l. -ῶται, praeclara voce vtitur, de qua ſup. p. 81.) ἑκάστῳ τὰ παραγγέλματα. Videtur autem ἑστιάτωρ eſſe magiſtratus ſeu quicunque alius hoc muneris populi iuſſu conſequutus, vt ſacra publica epulasque ſacris factis curaret; inſtitutum veteris Graeciae ſapientiſſimum, vnde Graecorum mores et ingenia, philoſophia quoque et liberalior doctrina, colorem aliquem, ac typum quaſi, habuerunt ſibi proprium.

Digitized by Google

tabulis ſupererant perſcribenda? Scilicet fuere omnia ea, quae ad ciuilem ſtatum, reip. gerendae rationem, iudiciorum formas, cauſſas priuatas, belli pacisque vices, pertinerent. In prooemium autem conieciſſe videtur Charondas ea, quibus ad leges ſeruandas ac tuendas ciuium animi morum honeſtate imbuerentur. Quod vt conſequeretur, *prooemium legum memoriae mandare ac publice inter epulas ſollennes,* quas re diuina facta haberi mos erat, *decantari* iuſſit *x*). Notabilis vtique haec eius, qui leges ſcripſit, prouidentia; cum non ſemper iis, qui leges ſcribunt, ſatis curae eſſe videatur, vt, quas leges ſcripſerint, omnibus innoteſcant; quo non raro fit, vt legem eſſe latam tum demum aliquis intelligat, cum violatae legis poena ab ipſo exigitur; quibus fere verbis Joſephus *y*) vtitur, vt eo ipſo laudibus extollat Moſis ſapientiam, qua inſtitutum fuit, vt vnusquisque e populo legum codicem memoriter teneret, ſeptimo quoque die ei diſciplinae dicto ac deſtinato. Quod legum addiſcendarum quidem inſtitutum inter nos facile aliquis deſideret, qui non meminerit, ſeruatum illud et diligenter firmatum

x) Itaque etiam apud Mazacenos Cappadociae, qui Charondae leges adſciuerant, conſtitutus erat *νομῳδὸς* cf. inf. Proluſ. IX. not. Diuerſa cauſſa fuit ediſcendarum legum Lycurgi, quippe quae omnino litteris conſignatae non erant. Quomodo autem cantu reddi potuerint leges et praecepta, ſi quaeras: de cantus ſumma ſimplicitate antiphoniarum in morem cogitandum eſt. Inprimis celebratus eſt Cretenſium mos leges decantandi: cf. Strab. X. p. 739. 738 A. C.

y) Joſeph. in Apion. II, 18. egregio loco.

tum in praeceptis quidem religioſis et ethicis, quae veterum legum tabulis fere comprehenſa eſſe iam ſaepius vidimus; priuata autem rerum ac perſonarum iura, vel quae ex more ac conſuetudine profecta ſunt, nec vtiliter nec decore ſatis cum iisdem legi publice ac declarari poſſe videntur.

Reſtant fragmenta ex ipſis legum tabulis pauca; alio tempore ſubiicienda. Sed ſatis ſubſtitimus in iis, quae ex more prooemii loco praemittenda *ſunt*, ne ſequamur id, quod ſaepe per ſtultitiam facere homines videas, vt iis, quae aditum tantum ad cetera patefacere debebant, ita adhaereſcant, vt, tanquam qui aedium fores non intrant, ad rei caput non accedant, intra veſtibulum ſubſiſtendo. Cum itaque magiſtratu, qui ſex menſium erat e lege, ex reip. vtilitate per totum annum geſto, redeat ille dies, quo transferenda eſt in alium regendae reip. academicae cura et munus, ſuſcipiet magiſtratum Vir Illuſtris, Iuris conſultiſſimus

GE. LVD. BOEHMER D.

Quod quidem vos, Ciues, cum cariſſimum vobis Boehmerium nomen et ſit et eſſe debeat, non ſine laetitia ac voluptate accepturos eſſe arbitramur; habebitis enim Prorectorem veſtri ſtudioſiſſimum, pro veſtris bonis ac commodis nunquam non vigilantem et excubantem. Namque ille, vt poetae verbis vtamur, *prudens et rectus — Conſulque non vnius anni*, reip. noſtrae curam ſuam commodare nunquam refugit. Ei itaque vt amorem et obſequium

quium praeſtetis, exhortari vos, hoc eſſet, currentes incitare. Facietis itaque veſtri non minus quam noſtri cauſſa etiam hoc, vt ſollennibus huius diei, quo magiſtratus inſignia in aliam domum transferentur, frequentes adſitis; quod ipſum eſt, cuius rei cauſſa, Comites Illuſtriſſimi, Ciues ſanguine ingeniisque animisque Generoſiſſimi, rogatos vos hac ipſa tabula publice propoſita eſſe volumus.

P.P. Kal. Jan. cIↃIↃCCLXIX.

Digitized by Google

VI.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GEORGIVS LVD. BOEHMER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA XXXIII.

IN A. D. XVII. SEPT. cIↃIↃCCLXX.

RITE INDICIT.

Legum Charondae fragmenta.

Sectio quarta et nouiſſima.

Fidem ſub anni huius initium datam *a*), dum, quicquid ex fragmentis legum Charondae ſupereſſet, nos perſecuturos totamque hanc diſputationem eſſe abſoluturos pollicebamur, nunc quidem, Commilitones, exſoluimus, paullo quidem, quam exſpectabamus, ſerius, cum continuatus per alterum ſemeſtre magiſtratus academicus nos iucundiſſima occaſione et facultate vobiscum agendi excluſerit. In

a) Progr. in a. d. 11. Jan. 1770. *Legum Charondae fragm.* Sect. III.

In hoc itaque tempus ſollennium anniuerſariorum reiecti, antequam eorum celebritatem vobis indicamus, inter fauſta ac laeta huius diei omina, quod ſupereſt penſi et operae noſtrae profligabimus.

Prooemium fere integrum a Joanne Stobenſi ſeruatum vidimus. Ex ipſis legum tabulis pauca, quae paſſim ſuperſunt, prout publicum priuatumue ciuitatis ſtatum reſpiciunt, ſuo ordine diſpoſita recitabimus.

Et ad reip. quidem deſcriptionem ſpectat hoc ipſum, quod ſuper *legum ſeu ſeruandarum neceſſitate, etiam ſi male ſcriptae eſſent*, ſiue *emendandarum ac nouandarum modo ac ratione* ſanxit. Rem ſupra attigimus *b*), et Zaleuci ſimilem, ad Charondam lege confuſa translatam, praeceptionem alio loco *c*). Tres omnino leges apud Thurios abrogatas fuiſſe, Diodorus narrat; vnam de *talionis iure*, ſi quis alteri oculum excuſſiſſet, vt illi oculus viciſſim erueretur; cuius ſimilem apud Locros vidimus *d*), quamque ad

b) Sect. III. p. 98. 99.

c) *Legum a Zaleuco ſcriptarum fragm.* Diſp. poſter. p. 30 ſq. Diodorum in Legum exemplar incidiſſe, quod Charondam eius conſtitutionis auctorem perhiberet, cum Zaleucus fuiſſet in fronte praeſcribendus, exiſtimat Weſſelingius. Mihi veri ſimile fit, ab iis, qui hiſtorias conſcriberent, vel legum ac πολιτειῶν varia genera conferrent, incerta iam tum rerum hominumque memoria, in auctore legum variatum eſſe. Charondae perperam tribui multa, quae Zaleuci fuere, dubitare noli.

d) v. *LL. Zaleuci.* Diſp. poſt. p. 38.

ad Zaleuci legum ſimplicitatem multo magis accedere putamus, quam ad Charondae ſubtilitatem; alteram *de nuptiarum diuortiis;* tertiam *de epicleris;* de vtraque hac lege paullo poſt videbimus.

Ne quis cum armis ad concionem prodito e), alia Charondae lex fuit, in populari illa quidem reip. adminiſtratione vtiliſſima, ſed ipſi auctori exitioſa. Nam cum ille ad reprimendam latronum incurſationem egreſſus, et inde ad vrbem redux factus, populum concurſu facto tumultuari vidiſſet, gladio vt erat cinctus, in concionem proceſſit. Tum vero ex maleuolis vnus, in gladium intuens, at tu, inquit, tuam ipſe legem infringis; minime, Hercle, inquit, ſed ſanciam; ſtrictoque protinus gladio incubuit *f*). Quod ſi ei, qui leges populo ſcripſit, cogitandum eſt, non ſuum, aut priuatum, ſed publicum ſe eſſe hominem, legumque auctoritate nihil ſibi eſſe poſſe prius potiusue: facile aliquis eo procedere poteſt, vt vel vita ac ſpiritu leges ſibi ſanciendas eſſe arbitretur. Quantopere autem ad maiorem legum reuerentiam talis eius, qui rogauit, ſeueritas valuiſſe debuerit; facile eſt vnicuique ad intelligendum.

In

e) Μηδένα μεθ' ὅπλων ἐκκλησιάζειν. addita ſanctione (v. Val. Max. VI, 5. ext. 4.) *vt, ſi quis concionem cum ferro intraſſet, continuo interficeretur.*

f) v. Diodor. XII, 19. Val. Max. l. c. Diocli, qui Syracuſanis leges ſcripſit, hoc idem facinus tribuerunt alii, ipſo Diodoro teſte l. c. et ſub Olymp. XCII, 1. Lib. XIII, 33.

Digitized by Google

In ciuitatibus liberis iudicia ita deſcribi ſolent, vt inter munia publica ſit, iudicem eſſe et iudicare. Hoc idem apud Romanos obtinuit. Illud autem varie inſtitutum eſſe ſolet, quinam illi ſint, qui ad iudicia admittantur: definita modo aetate, modo cenſu, et ſic porro. In aliis ciuitatibus, in quibus optimatum opes praeualent, iudicia non niſi ab ipſis exerceri ſolent: vt Romae ab Ordine Senatorio, quamdiu apud Patres ſumma rerum erat. Vt locupletibus iudicia ita relinqueret, vt ne tamen pauperes indigne ferrent, ſe excluſos, callide excogitauerat Charondas hoc, vt omnes ciues ad iudicia admitteret, *iis, qui iudicare detrectarent, multa conſtituta:* ſed *pauperibus leuiſſima, diuitibus autem tam graui, vt, eos a iudiciis nunquam abeſſe velle, expectari poſſet.* Haec ex Ariſtotele diſcas *).

Ad diſciplinam domeſticam ſpectat, quod a Diodoro egregie commendatur, tanquam a vetuſtioribus legumlatoribus neglectum, a Charonda vero animaduerſum ac lege ſancitum, *vt omnes ciuium filii in litteris inſtituerentur, ciuitate magiſtris ſtipendia erogante* g). Ad grammaticam ſeu litteraturam, hoc

*) de Rep. IV, 13. p. 505. D. ἢ τοῖς μὲν μεγάλην ζημίαν, τοῖς δὲ μικρὰν, ὥσπερ ἐν ταῖς Χαρώνδου νόμοις.

g) Diodor. XII, 12. extr. ἐνομοθέτησε γὰρ τῶν πολιτῶν τοὺς υἱεῖς ἅπαντας μανθάνειν γράμματα, χορηγούσης τῆς πόλεως τοὺς μισθοὺς τοῖς διδασκάλοις. Igitur in mercede publice conſtituenda quaerendum eſt illud, quod Charondae tanquam propria laus imputatur. Nam vt pueri litteras diſcerent et carmina et modos muſicos, iam antiquitus Cretenſium fuit inſtitutum: Ephorus ap. Strab. X. p. 739. B.

eſt legendi ac ſcribendi, recteque loquendi aliorumque dicta intelligendi, facultatem Charondae curam ſpectaſſe ex iis ipſis intelligitur, ad quae Diodorus, forte ſatis importune, loco, quo haec memorat, digreditur, dum litterarum laudes praeconio amplo ornat. Scilicet ignorauit Graecia vtiliſſimum hoc inſtitutum, vt publice eſſent conſtituti, qui litteras docerent; quandoquidem in ciuitatibus liberis ac populari forma deſcriptis a priuato cuiusque ſtudio ac contentione expectari poteſt, vt liberali liberorum nutritioni proſpiciat. Priuatim tamen *diſciplinae* pretium ac merces ſophiſtis primum, tum philoſophis ac rhetoribus ceterisque liberalium artium magiſtris ſolui coepit. Publica vero artium profeſſoribus ſtipendia Maſſilienſes, mox etiam Romani, conſtituerunt; qua de re multi egerunt copioſe. Quid autem ſeu noxae ſeu beneficii ad veram ſapientiam ac doctrinam ille mos, vt ſtipendio ac mercede conducti doceant, habuerit, nunc quidem commode pluribus diſputari vix poteſt. Saltem in iis litteris ac diſciplinis, quibus imbutos eſſe fas eſt eos, qui aut publica aut priuata negotia ac munera tractare ſuſcipiunt, vtilitatem hoc inſtitutum habere maximam in confeſſo eſt.

De lege *in calumniatores* ſcripta alio tempore iam vidimus *h*), et paucis ante verſibus *i*) legem *de praua*

h) ſup. p. 85. Diod. XII, 12. Eſt haec *lex falſi teſtimonii* indicia, ſeu *δίκας ψευδομαρτυριῶν*, vel *ἐπισκήψεως*. conſtituens, quam Ariſtoteles II. Polit. 10. vnicam legem novam a Charonda inuentam pronuntiat. Vide de eo loco Bentlej. Diſſ. de Phalar. Epp. p. 369. et Weſſeling. ad

praua conſuetudine (*περὶ τῆς κακομιλίας*) excitauimus. Etiam legem *in eos* ſcriptam, *qui ſigna in bello reliquiſſent, aut militiam detrectaſſent*, ſupra (Sect. III. p. 100) attigimus, vt et leges in adulteros et in male curioſos ſancitas (Sect. II. ſub f.). Vidimus quoque *talionis Ius* conſtitutum *in eum, qui alteri oculum excuſſiſſet* (p. 113.), quod, ſi modo fuit, haud dubie latius patuit etiam ad alias iniurias ac contumelias.

Ad perſonarum iura ſpectat, quod de tutela pupillorum legitima, contra quam alii, etiam Romani ſanxerant, Charondas tuliſſe fertur *k*): *Hereditaria pupillorum bona agnatorum tutelae et adminiſtrationi, ipſorum vero pupillorum educatio cognatorum fidei et curae commiſſa eſto.* Qua in re conſilium ſequutus eſt hoc, vt a tutorum inſidiis pupillis caueret, cum ipſi in eorum manibus eſſent, qui in bona ſuccedere non poſſent, ii autem, qui hereditatem erant conſequuturi, corpus non haberent, nec minus tamen pupilli bona diligenter adminiſtrarent, quippe cuius, ſi impuber deceſſiſſet, bona ad ſe hereditate reditura eſſe ſcirent. Similis Solonis lex ſatis nota cui non in mentem veniat, qui

H 3 agnatum,

ad Diodor. p. 485. n. 19. Ἐπίσκηψις autem Athenis voc. erat huius actionis proprium. v. Petit. de LL. Attic. IV. t. VII. § XIV.

i) Sect. I. p. 79. ex Diodoro ibid.

k) Diodor. XII, 15. qui inter praeſtantiſſima prouidentiſſimi legum auctoris inſtituta refert. Ἔγραψε γὰρ τῶν μὲν ὀρφανικῶν χρημάτων ἐπιτροπεύειν τοὺς ἀγχιστεῖς τοὺς ἀπὸ πατρὸς, τρέφεσθαι δὲ τοὺς ὀρφανοὺς παρὰ τοῖς συγγενέσι τοῖς ἀπὸ μητρός.

Digitized by Google

agnatum, ad quem hereditas pupilli eſſet peruentura, tutela excluſum eſſe voluit *l*).

De *nouerca liberis non inducenda*, quam Diodorus primo loco inter leges memorat *m*), Jo. autem Stobenſis inter prooemii capita recenſet, ſupra ſectione tertia (p. 106) dictum eſt. Inter leges apud Thurios abrogatas Diodorus *n*) recitauit hanc de nuptarum diuortiis: *vt vxori facultas eſſet, viro nuntium remittendi et cum alio viro, quo vellet, aliud matrimonium ineundi.* Veterum legum codices fere omnes in diuortiorum iuribus a noſtris inſtitutis diſcreparunt. Sed diuortii licentiam, non minus quam noſtram legum ſeueritatem, ſuis incommodis laborare et in nonnullorum fraudem ac calamitatem cedere, ex eo ipſo exemplo intelligitur, quo, vt legi obrogaretur, effectum eſt. Erat maritus aetate prouectior, qui vxorem iuuenculam duxerat. Fecit haec diuortium cum marito, qui iniuriae dolore adeo exarſit, vt in concionem progreſſus vel cum vitae periculo auctor fieret Thuriis emendandae legis; effecitque is, vt lex hunc in modum refingeretur: *licere vxori diuortio cum viro facto inire matrimonium cum quocunque velit, modo ne priore marito iunior ſit. Similiter ſi quis vxori nuntium remittat maritus, ne is dimiſſa iuniorem ducere poſſit;* quo ipſo, quod

l) v. Petiti LL. Attic. lib. VI. t. VII.

m) Diodor. XII, 12.

n) Diodor. XII, 18. *νόμος ὁ διδοὺς ἐξουσίαν τῇ γυναικὶ, ἀπολύειν τὸν ἄνδρα καὶ συνοικεῖν ᾧ ἂν βούληται.* De vxore *ἀπολείπειν* proprie erat dicendum; quae nota res eſt. cf. Petit. LL. Att. lib. VI. t. III.

quod tamen per ſe intelligitur, patet, non minus marito licuiſſe cum vxore diuortium facere. Feliciter et ceſſit huic homini ſuaſio, et idem obtinuit, vt iuuencula mulier a nuptiis cum iuniore viro faciendis prohibita ad priſtinum relicti mariti matrimonium rediret.

Apud Dionyſium Halicarnaſſenſem Charondas cum Solone et Pittaco memoratur, contra quam Romulus fecerat, patriae poteſtatis modum tum conſtituiſſe, cum filii inter viros adſcripti eſſent *o*).

De *epicleris* alia lex fuit tertio loco inter abrogatas a Diodoro *p*) memorata ſimilis illi, quae Attico iure *q*) ſatis innotuit. Ea lege *illi, qui gentilitatis gradu proximus erat, puellam in totius patrimonii ſucceſſionem relictam (ea eſt ἐπίκληρος) in matrimonium ſibi depoſcendi ius erat; et viciſſim orba puella eius, qui genere proximus erat, nuptias lege vindicare poterat; ita vt huic aut orbam ducendi, aut, ſi paupercula eſſet, dotis loco D drachmas erogandi neceſſitas incumberet.* Fuit aliquando orba aliqua nobili genere nata, ſed extrema paupertate laborans, quae, quantum ex ipſa re intelligitur, D drachmas a divite propinquo oblatas, accipere noluit, quoniam

 ea

o) Dionyſ. II, 26. μέχρι τῆς εἰς τὰ ἀρχαῖα τὰ δημόσια ἐγγραφῆς.

p) Diodor. XII, 18. [νόμος] ἐκέλευε γὰρ τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικάζεσθαι τὸν ἔγγιστα γένους. ὡσαύτως δὲ καὶ τὴν ἐπίκληρον ἐπιδικάζεσθαι τῷ ἀγχιστεῖ, ᾧ ἦν ἀνάγκη ἢ συνοικεῖν ἢ πεντακοσίας ἐκτίσαι δραχμὰς εἰς προικὸς λόγον τῇ πενιχρᾷ ἐπικλήρῳ.

q) v. Petitum LL. Attic. VI, 1. § 9 ſeqq. Perizon. de Lege Voconia.

ea dote, quippe exigua ac tenui, et, ad Atticas ſaltem rationes, nondum ad XCIV thaleros aſſurgente, vix bonam conditionem erat inuentura; ea lacrymis precibusque a populo obtinuit, vt, lege nouata, diues propinquus quanquam inopem ſine dote vxorem ducere cogeretur.

Haec fere ſunt, Ciues Cariſſimi, quae circumſpicientibus nobis ſeſe obtulerunt Charondae legum fragmenta; non illa quidem magno numero, nec ſatis integra, ex quibus tamen praeclare intelligi poteſt, etiam hunc virum ſapientiſſimum morum ſanctitati, ac diſciplinae domeſticae et inſtitutionis puerilis ſeueritati, tanquam fundamento, legum ſuarum auctoritatem ciuiumque felicitatem ſuperſtruendam eſſe putaſſe. Quae itaque res in noſtris imperiis ac ciuitatibus non facile legibus comprehenſa eſſe ſolet; partim quoniam in ipſa temporum hominumque barbarie et ſuperſtitione regna et imperia noſtra initia ſua habuere, partim quoniam morum diſciplinam ipſa doctrinae ſanctioris formula ac religioſo ritu contineri videbant maiores, nec tamen animaduertebant, ad metaphyſicarum quaeſtionum ſubtilitatem et caerimoniarum ritus omnia paſſim eſſe delapſa; partim quoniam, vt in ciuitatibus paruis ac liberis, ita non aeque in regnis et imperiis magnis, diſciplinae domeſticae prouideri ac conſuli poſſe aiunt; ea itaque res, quae noſtris aetatibus in politiam fere reiicitur, legum iſtarum fundum et baſin, quam nos appellamus, conſtituere ſolebat. Quo factum eſt, vt ſanctior ac ſeuerior diſciplina inter homines a veri dei cultu alienos viguerit,

viguerit, quam quae noſtrorum hominum eſſe ſolet aut poteſt, quibus tamen praecepta et exempla multo purioris, diuinioris ac perfectae alicuius ſanctitatis ſunt propoſita. Scilicet fruſtra inſignis aliqua virtus rectique et honeſti ſtudium aliunde quam ex morum publica priuataque ac domeſtica diſciplina expectatur; haec autem, cum, in his regnis et imperiis, ad antiquam illam ſeueritatem componi nequeat, maneamus et acquieſcamus in ea rerum humanarum conditione, in qua ipſa numinis prouidentia rerumque humanarum cura acquieſcere videtur, feramusque ſi cum hominibus non omnino perfectis viuendum eſt. Nec enim vnam eandemque omnium hominum, aetatum ac populorum, perfectionem naturae virtutisque eſſe voluit deus: id quod, a plerisque parum perſpectum, numen ſatis declaratum dedit ipſa hac ſua generis humani deſcriptione, non minus ad phyſicas quam ad politicas rationes et cauſſas attemperata. Multo minus in vno vel altero eſt haerendum, vtque illud e rep. tollatur, pugnandum, quod, ſi cum ceteris, quae cum perfecta ſapientia ac virtute conſiſtere nequeunt, vna abſit, ad ſanctitatem aliquid conferre forte poſſit; ſin vnum ac ſolum tollatur, parum aut nihil conferat, noxae vero et iniuriae inferat aliquantum. Ne quis itaque luxum e ciuitate tollendum arbitretur: quandoquidem, vt aliquid profeciſſe videare, exſtirpanda ſimul innumera ſunt, in ipſis ciuitatis fundamentis et radicum quaſi fibris inolita, quae niſi conuulſa ciuitate euelli nequeunt; magna autem artium et operarum pars, negotiationis vero et mercaturae ſumma, in eo verſatur. Multo minus

H 5 hunc

hunc luxum, quantus quantus eſt, eiectum ciuitate, diſciplinamque veterem apoſtolicam exacte reſtitutam fore ſperet aliquis, modo vnum vel alterum veſtimenti lautioris genus, quod diſplicet, aut vna vel altera ars exulet, quae, dum vitae elegantiam animorumque delectationem ſibi habet propoſitam, a vetere illa ſeueritate recedit; cum, vel illa arte, ceterisque artibus cunctis penitus ſublatis, reliqua maneant omnia, a quibus morum corruptelam publice priuatimque proficiſci neceſſe eſt, deſint autem alia plurima, quae in ciuitatibus noſtris eſſe nequeunt, ſine quibus tamen diſciplina illa vetus triſtis ac truculenta ne optanda quidem eſt. Hominum itaque naturis ingeniisque, temporum locorumque rationibus, neceſſitatibus et opportunitatibus, obtemperare fas eſt ſapientiam, quae aliquid verae vtilitatis ciuibus afferre velit; nec ſine ſubtili iudicio rerumque noſtrarum ac temporum inſtitutorumque exploratione vel adoptanda ſunt multa, egregii quidem exempli, ſed a toto vitae noſtrae curſu ac tenore alieniſſima, vel reiicienda ac damnanda alia, quae in ea, quam viuimus, vita aliter comparata eſſe nequeunt.

Sed abſtergenda eſt a fronte omnis ſeueritas, hilaritasque aſſumenda diei, cuius ſollennia nunc nobis ſupereſt vt indicamus. Natalis adeſt almae noſtrae *Georgiae Auguſtae*, qui vt fauſto omine inter fauentium bona verba et ſtudia agatur, diligenter a nobis prouidendum eſt. Ducetur itaque die craſtino pompa ſollennis in templum academicum, peragentur rite caerimoniae ſacrae, perſolventur

ventur immortali numini gratiae pro rebus noſtris laetis ac florentibus, nuncupabuntur vota fientque preces. Praeibit verba Eloquentiae Profeſſor, Heynivs, qui, vt inter haec ipſa ſollennia animi veſtri vtili aliqua commentatione ac quaeſtione teneantur, *de re litteraria mole laborante ſua* nonnulla praefabitur. Quem vt lubenter beneuoleque audire ſollennibusque noſtris veſtra frequentia nouum decus et ornamentum addere velitis, hoc eſt, Comites Illuſtriſſimi, Ciues genere et loco nobiliſſimi, ingenio et virtute praeſtantiſſimi, quod vos pro humanitate veſtra precibus noſtris facile eſſe daturos ſperamus. P. P. a. d. XVI. Sept. cIↃIↃcclxx.

Digitized by Google

VII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

RVD. AVGVSTINVS VOGEL D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

JO. PHILIPPVM MVRRAY

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. II. JULII cIↃIↃccLXXI.

De Sybaritarum ac Thuriorum rep. et legibus.

Sectio prior.

Quem ſub anni ineuntis auſpiciis et religionibus, dato rebus noſtris nouo Curatore et Conſervatore *), ominati eramus, Ciues amantiſſimi, fore annum auſpicatiſſimum, eum nunc, cum temporis progreſſu, rerum vſu et euentu experimur talem, vt non modo publicis ille, ſed etiam tacitis votis noſtris reſpondere videatur. Non enim ſaluas tantum et incolumes res noſtras gratulamur; verum incrementa quoque habuit res academica et auctus cum ciuium tum aliarum copiarum, quibus florere litteraria

*) de Behr. v. Vol. I. p. 401.

litteraria ciuitas ſolet, laetiſſimos. Bibliothecae quoque noſtrae opes locupletatae ſunt inſigniter. Nullus nos afflixit caſus acerbior. Neminem ex numero noſtro deſideramus. Atque vtinam laeta ſpes, quam agrorum herbae oſtendebant, aeris intemperie annique calamitate ne intercipiantur! in publica proſperitate nihil habere putabimus, quod ad priuatam felicitatem deſideremus. Quae quidem, Ciues, nunc commemoramus etiam propterea, quoniam earum rerum publice commemorationem fieri aliam vix poſſe prouidemus. Quandoquidem enim magnifici Viri, Prorectoris, qui nunc ſe magiſtratu abdicat, valetudo paullo infirmior ad orationem in templo academico habendam vires idoneas vix polliceri viſa eſt; placuit Senatui, vt magiſtratus academici honos et munia cum inſignibus priuatim in Senatus conſeſſu a. d. II Julii transferantur in Prorectorem deſignatum, Virum Excellentiſſimum, Collegam coniunctiſſimum,

JO. PHILIPPVM MVRRAY

id quod ipſum vobis hoc edicto noſtro publice indicere placuit; nam illud pietas veſtra pudorque vix patitur, vt adhortandi ſitis monendique, quo viro optimo, candore, fide et humanitate laudatiſſimo, officium et obſequium praeſtetis, cum ſummum eius de vobis bene merendi ſtudium amorem veſtrum et caritatem iamdudum prouocauerit.

Expoſitis nuper, Ciues, *legum, quae Charondae nomen praeferunt, fragmentis*, intacta a nobis, etſi moleſtia hac carere malimus, praetermitti non poteſt *de auctore harum legum* quaeſtio, non quidem illa

illa cognitu aeque iucunda vel facilis ad expediendum, ad auctoritatem tamen legum grauis et in vtramque partem momenti haud leuis. Cum tamen ea, niſi *Sybaritarum et Thuriorum fortuna* accuratius expoſita, et ad temporum notationem reuocata, vix ſatis diſerte explicari poſſe videatur, de hac quidem vrbe, cui luxus et mollities nomen ad omne tempus memorabile fecit, pauca nunc diligentius, quam ab aliis factum vidimus *a*), commemorare iuuat.

Condita primum fertur Sybaris circa Olymp. XV. 1. [a. C. 720. a. Romae 34.] *b*) ab Achaeis (Strab.

a) Congeſſerunt multa de hac vrbe Cluverius, Golzius de Num. Magnae Graec. p. 272 ſq. Vinding. in Hellene p. 319. Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 33. p. 517 ſq. ſed deſideres facile ſeu in digerendis ordinandisque iis, quae congeſſerant, ſubtilitatem, ſeu in diiudicandis rebus videndisque iis, quae inde ſequantur, ſollertiam. (Eſt etiam in *Memoires de l'Acad. des Inſcript.* To. IX. p. 163. Commentatio *Blanchard* auctore; nondum tamen me operae meae poenitet.)

b) Olymp. XV, 3. ponit Simſon Chron. ad 3287. ex Capello Hiſt. ſac. et prof. ad 3282. Adde Scalig. ad Euſeb. MCCCXIV. Sed fundus eſt Scymnus (cuius Periegeſin Marciano tribuebant viri docti), qui v. 359. Sybarim ſine offenſione perſtitiſſe ait annis CCX. Iam ſi Sybarim Ol. LXVII, 3. ante C. N. 510. deletam eſſe paullo poſt viderimus, facile ſic computum ſibi conſtare intelligemus. Nec adeo multum recedunt Euſebiani numeri, in quibus fere ad Ol. XVII, 4. quae eſt ante C. N. 709 (Scaliger ad Ol. XIX, 2. retraxit) legitur: *Croton et Parium et Sybaris conditae.* Parium ad Propontidem quis inter Crotonem et Sybarim Magnae Graeciae vrbes expectet? et Thaſiorum illa colonia v. Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. p. 96.

(Strab. VI. p. 403 C. Alm.) Peloponneſo oriundis (cf. Scymnus Chius Perieg. 325-28. 339) Troezenios Achiuis adiunctos fuiſſe ex Ariſtotele (de Rep. V, 3.) cognoſcitur c), qui Achaeos numero auctos mox Troezenios vrbe eieciſſe, inſuper tradit: quod ad

96. Niſi ſcriptura eſſet nimis diuerſa, videri poſſet eſſe *Pandoſia* ſubſtituenda, quam, et Metapontum, vna cum Sybari conditam, diuerſis puta temporibus, ab Achaeis Scymnus refert v. 325. 6. 7. Μετὰ δὲ Κρότωνα Πανδοσία καὶ Θούριοι. Ὅμορον δὲ τούτοις ἐστὶ τὸ Μεταπόντιον. Ταύτας Ἀχαιοὺς ἐκ Πελοποννήσου κτίσαι Ἀφικομένους λέγουσι πάσας τὰς πόλεις. Sybarim Crotone antiquiorem ediderat Antiochus Syracuſanus ap. Strab. VI. p. 402. B. ſed in temporum notatione is non ſatis accuratus, vti in ſeqq. quoque ap. Strab. apparet: nam conditor Crotonis Myſcelus locum iam a Sybaritis occupatum praeteruectus eſſe narratur: v. ibid. et Zenob. III, 42. Porro *Iſeliceum* Achaeorum ductorem nomine recitat Strabo. Diuerſa ab aliis habet Juſtinus lib. XX, 1. *Thurinorum vrbem Philoctetem condidiſſe ferunt ibique adhuc monumentum eius viſitur; et Herculis ſagittae in Apollinis templo, quae fatum Troiae fuere.* Similia habentur in Mirab. Audit. c. 115. vnde melius conſtitui narrata a Juſtino poſſunt: fuit inter Sybarim et Crotonem locus, Malaca et Macalla dictus, in quo vetus fanum Apollinis Alaei erat; in hoc Herculis ſagittae ab Philocteta, qui idem mox ad Sybarin fl. fuit ſepultus, erant dedicatae. Poſtea autem Crotoniatae aliquando victores ad templum Apollinis, quod in ſua vrbe habebant, eas deportarunt. Ad Petiliam mox eadem de Philocteta conditore fama fuit traducta ap. Virg. Aen. III, 402. Strab. VI. p. 390. A. Hallucinatur Antonin. lib. Metam. c. 8. a Locris conditam Sybarim memorans, appellatam a Sybari fonte ad Criſſam Phocidis, qui nomen a monſtro eius nominis nactus erat.

c) Hinc Solin. 2. *Sybarim a Troezeniis et a Sagari Aiacis Locri f.* etſi ea minus accurate excerpta ſunt. Sagaris ad Sagram fl. ſpectare videtur.

Digitized by Google

ad Telyis tempora refert vir doctus ad Diodorum (lib. XII, 9. p. 483.) et recte; nam adiectum: ὅθεν τὸ ἄγος συνέβη τοῖς Συβαρίταις. Vrbs intra breue tempus laeta habuit incrementa *d*), partim eximia ſoli vbertate, partim adſcitis in ciuitatem liberaliter multis aduenis (Diodor. XII, 9). Erat autem ſita inter Sybarin et Crathin *e*) fluuios, qui magnam camporum planitiem ambiunt, fertilitate agri mirabilem (Diodor. l. c.). Priſtina ſolo vbertas adhuc durat et paſcuis ſiluisque campi virent; ſed aquarum eluuies aeſtatem minus ſalubrem facit, quod Riedeſelius nuper docuit, qui haec loca adiit *f*); ex quo eodem cauſſas didicimus, cur mane et veſperi frigus immodicum, meridie autem calorem eſſe intolerabilem, ex Timaeo narret Athenaeus (p. 519 F.). Scilicet ager verſus mare patens a ſeptentrione montes habet Calabriae altiſſimos, quos idem Riedeſelius, generoſiſſimus vir, Maio adhuc niue albicantes vidit *g*). Itaque inter luxus

d) Praetermittimus Sirin expugnatam et arma Metapontinis et Crotoniatis iuncta, v. Juſtin. XX, 2. Strabo l. c. de quibus v. inf. Proluſ. X.

e) Etiam fluuiorum, de quorum naturis v. Ariſtot. Mir. Audit. c. 183. et quorum ſalubritatem comice declarant verſus Metagenis Comici apud Athen. VI. p. 269 F., nomina ortum ex Achaia produnt; nam et in hac Sybaris (Strabo VIII. p. 593 A.) et Crathis fluuii ſunt cognomines (Herodot. I, 145. Strab. VIII. p. 502 C.) quod iam Cluver. obſeruauit p. 1265. add. Pauſ. VIII, 15. f.

f) *Reiſe durch Sicilien und Groſsgriechenland* p. 200.

g) Hoc eſt illud quod apud Athen. e. l. ἡ πόλις ἐν κοίλῳ κειμένη. Ceterum Riedeſelii narrationem forte non ſatis cum Timaeo conſentire dixeris; *aerem* enim ille ait

Digitized by Google

luxus apud Sybaritas inuenta memorata legimus alia, quae ad frigus temperandum valerent, vt nouum ſolii balneatorii vel cellae ſudatoriae genus (v. Athen. XII. p. 519. E.), alia ad aeſtum mitigandum, vti vias ad praedia ducentes vmbraculis perpetuis opertas habuiſſe dicuntur; ita enim intelligendas puto ὁδοὺς καταστέγους, quas excogitaſſe narrantur *h*). Ad aeſtum vitandum Nympharum antra *i*) exciſa putanda, in vicinis nimirum montibus, ad quae diuerſari ſolita traditur iuuentus Sybaritica. Eodem ſpectat veſtium Mileſiarum frequentatus vſus, quem in legum fragmentis vidimus.

Sybaritarum quidem luxu et deliciis nihil magis notum; itaque exemplis afferendis otium non conſumimus. Sed cum ſine magnis opibus et rerum affluentia luxus eſſe poſſit nullus, luxus quoque copias et inſtrumenta Sybaritis adfuiſſe conſtet abunde: illud deſideretis a quoquam declaratum eſſe; vnde Sybaritis tantae opes et diuitiae venerint. Nam agrum coluerunt anguſtum, cuius fructus omnes ipſi conſumerent (Athen. l. c.); erant in confiniis aliae vrbes non incelebres; Croton vero, non minus

ait *eſſe craſſum et mitem: Die Luft iſt hier dick und gelinde, weil die Gegend dem Mittag und dem Meere entgegen liegt, und von den hohen Gebürgen Calabriens vor der Nordluft verwahret wird.* Sed cogitandum eſt Maio menſe adeoque verno tempore eum haec loca adiiſſe.

h) Athen. e. l. Noſtratibus: *bedeckte Alleen.*

i) Eod. l. Νυμφῶν Λουσιάδων ἄντρα.

minus opibus eximia vrbs, XXIV millia aberat (*CC ſtadia* ap. Strab. VI. p. 403 C.) et a ſeptentrione ad Bradanum ſaltem ditio Sybaritarum pertinuit. Habebant praeterea littus importuoſum, nec de Sybaritarum nauigatione vsquam mentionem factam vidimus. Quin potius importari luxus commoditates et copias ab exteris mercatoribus videntur eſſe paſſi. Nam a Mileſiis veſtes ex lana Mileſia habuiſſe narrantur, et quod apud Athenaeum (l. c. p. 519. B.) Tyrrhenos et Mileſios luxus cauſſa adamaſſe feruntur, hoc eo ſpectat, quod ab iis luxus apparatus et fomenta nauibus aduecta accipiebant. Iidem immunitatem ab omnibus vectigalibus conceſſerant iis qui purpura veſtes tingerent aut importarent (ibid. p. 521. D.). Quibus itaque artibus aut praeſidiis tantas diuitias, quae luxuriae lenocinarentur, parauerint Sybaritae, difficile eſt dicere. Agri quidem incredibili felicitati debuiſſe videntur plurimum. Vini copia debuit eſſe admodum magna, quod quidem ex Athenaei loco (l. c. p. 519 D.) colligas, vbi cellas vinarias narrantur habuiſſe ad mare, in quas canalibus (*δι' ὀχετῶν*) perductum ex agris vinum partim vendebant mercatoribus externis, partim naui in vrbem deportabant. Mirum eſt, quod canales illos tubos fuiſſe crediderunt viri docti; cum ad intelligendum facile ſit, canales eos fuiſſe foſſas ex fluuiis per agrorum campeſtrium limites aquarum diuergiis deductas, quibus deueherent nauigia vinearum prouentum. Sed multa ex his diſertius exponere liceret, ſi Ariſtotelis librum de rep. Sybaritarum (v. Athen. l. c. p. 520 C.) cum Timaeo et aliis haberemus; fuerunt enim

rerum

Digitized by Google

rerum Sybariticarum ſcriptores, vt Clitarchus (ap. Plutarch. Parallel. p. 310 F. vbi Κλείταρχος ἐν δευτέρῳ Συβαριτικῶν) et philoſophi, qui de voluptate egerant, Sybaritarum exemplo inprimis vſi erant: (vt Chamaeleon Ponticus περὶ ἡδονῆς, qui idem liber Theophraſti nomine ferebatur: Athen. p. 273 C.) Videntur quoque ſerioribus temporibus multa de Sybaritarum luxu aut a vero deflexa aut in falſum ficta eſſe, cum, vt quisque, Sophiſtae maxime, mollis et delicioſae vitae exemplum proponere aut exornare vellet, id a Sybaritis fere peteret; quod vel Athenaeo comparando ſuſpicari licet (l. c. p. 518. 9.)

Alterum, quod in tanta vitae mollis et effeminatae infamia mirationem facit, eſt ſumma eorum, qui incoluerunt, frequentia. Vrbs enim in tam anguſto ſolo poſita CCC millia ciuium habuiſſe conſtanti fide traditur (v. inprimis Diodor. XII, 9). Incredibilis res ad fidem multis viſa, nec iniuria. Defuit enim Sybaritis paupertas et frugalitas reique ruſticae ſtudium, quod Romanis erat ſummum, vt adeo iam quinto ſaeculo vltra XII centena millia ciuium Romae cenſeri poſſent. At Sybaris paullo ſupra ducentos annos incolumis ſtetit; et ſoboli procreandae hominumque frequentiae luxum inimicum eſſe conſtat. Non pigebit apponere, quae nobis in mentem venerunt *). Promtum eſt ſuſpicari,

*) Videant alii, an probabiliora haec ſint iis quae apud Humium (*Diſcourſes* p. 237 ſqq.) et Wallacium (*on the Numbers of Mankind* p. 303.) leguntur: cf. ſup. Opuſc. T. I. p. 223.

cari, numerum eum omnium eſſe, qui vrbem cum agro incolerent. Ita vero res non modo nihil habuiſſet miraculi, verum etiam pro fama tenuior eſſet, quam vt probabilitatem aliquam haberet. Sin eorum, qui vrbem incoluerunt, ſed omnis ſexus et aetatis, numerum eum fuiſſe contendas, rem narres magis veriſimilem. Ita enim ciuium numerus LXXV vel LX millium eſſe potuit. Si vero inſtes, ciues (πολίτας apud Diodorum) trecenties mille, non capita narrari, omnis ſexus et aetatis turba ad XII, ſi cuique familiae quatuor capita aſſignes; ſin quinque, ad XV centena millia aſſurgere debuit. Res per ſe non improbabilis, ſi noſtri aeui multo maiore hominum frequentia celebratas vrbes cogites. Nec dimittendum eſt animo, Sybaritis inſtitutum fuiſſe, vt in ciuitatem admitterent, quotquot vellent (Diodor. l. c. XII, 9. l. 15.). Potuit itaque fieri, quod in magnis vrbibus euenire ſolet, vt luxuriae et ganearum damna aduenarum ad eam confluentium multitudo reſarciret. Et fuit vrbis ambitus L ſtadiorum, hoc eſt vltra ſex millia paſſuum, eaque adeo amplitudine, quae tantam turbam continere poſſet. Imperabat praeterea ciuitas quatuor *k*) vicinis gentibus et XXV vrbes *l*) habebat ſibi parentes (v. Strabo VI. p. 404. A.). Quae ipſa res argumento eſt, finitimas quoque terras humano

k) Quae illae fuerint, laborat aſſequi Mazochius p. 75. p. 180.

l) Fuiſſe pleraſque ex his colonias aut vrbes colonis auctas probabile fit. Fuit ex hoc genere Paeſtum Strabo V. ſub f. Metapontum id. VI. p. 406. B. de quo loco cf. Mazoch. p. 109.

Digitized by Google

humano cultu et rerum prouentu fuiſſe inſignes, et conſcriptos exercitus etiam ex agris et ex ipſis barbaris vicinas terras inhabitantibus. Meminit ex Timaeo Athenaeus (l. c. p. 519. C.) pompae, forte ſacrae, in qua crocotis ſuper loricas induti transvehebantur equites vltra V millia. Atqui videntur hi, vt aliis in ciuitatibus, iuuenes nobili genere fuiſſe *). Scymnus tamen Chius, etſi is vnus a ceteris diſſentit, centies tantum mille ciuium facit cenſum *m*). Forte mares aliquis tertiam omnium, qui viuerent, partem conſtituens, a centum millibus ciuium orſus ter centena millia omnium habitantium conſtituere voluit. Ad haec quanta ſervorum turba, inprimis inter homines molles et luxurioſos, fuiſſe exiſtimanda eſt! Quod tandem alii eos, qui aduerſus Crotoniatas in aciem exierunt, CCC millia fuiſſe narrant, paullo poſt videbimus.

Ceterum ad animos luxu et mollitie frangendos ſoli mirifica vbertas coelique clementia marisque opportunitas in littoribus his Italiae extremae inſigniter a natura comparata eſt. Nam nulla eſt Graeciae magnae vrbs, quae non opibus et luxu inclaruerit. Quis Tarenti effeminata ingenia ignorat? Ipſa Croton tandem deliciis diffluxit (v.

*) De hac pompa equeſtri accipiendum, quod apud Tacitum legimus Annal. XIV, 21. quod viris doctis obſcurum viſum: *a Tuſcis accitos* (Romam) *hiſtriones. a Thuriis equorum certamina.* Niſi verba aliunde inſerta ſunt.

m) Scymnus v. 340. Sybaris: Μυριάδας δέκα ἔχουσα τῶν ἀστῶν σχεδόν.

Digitized by Google

Athen. l. c. p. 522. 3. vbi plura de iis et de Japygibus et Siritis.)

Sybaritarum ſuperbiae et arrogantiae potiſſimum exemplum paſſim memoratur, quod Olympiorum ſollennia abolere conati ſunt, indictis ſub idem tempus ludis in ſua vrbe maiore apparatus magnificentia, praemiis amplioribus propoſitis, quibus auocata multitudo Olympiae infrequentiam faceret *n*). Videntur autem Sybaritarum res maxime floruiſſe circa Olymp. L. quo Smindyridae illius faſtu et luxuria notiſſimi mentio fit. Fuit enim inter procos, qui Sicyonem confluxerant, propoſito a Cliſthene per praeconem filiae matrimonio; qua de re copioſe narrat Herodotus *o*). Feruntur vero Sybaritae deo conſulto ſortem accepiſſe, ſe opum et deliciarum vſum habituros perpetuum et ſecurum, donec numen mortali poſthabuerint. Oraculi euentum apud Athenaeum (lib. XII. p. 520. A, B. et Stephanum in Σύβαρις) cognoſcat, qui volet. Ad eum videntur eſſe referenda, quae Aelianus narrat V. H. III, 43. Reſponſi accepti

n) Scymnus v. 347 ſqq. ex Heraclide de Iuſtitia Athenaeus l. c. p. 521 F. Et hinc illuſtrandus Dionyſius Perieg. 372. 4. quos verſus, rei ignoratione, male interpretatus Euſtathius ad e. l. nec expediuit Scaliger ad Euſeb. p. 79 a.

o) Lib. VI, 126. 7. et ex eo Athenaeus XII. p. 529. B. C. qui, ex Timaeo haud dubie, mille eum coquos et ὀρνιθευτὰς ſecum adduxiſſe, narrat; quos non *aucupes*, ſed auium altores et ſartores (*Federviehmäſter*) intelligi velim. add. Athen. VI. p. 273. C. Aelian. XII, 24. IX, 24. De Cliſthene videri poſſunt quae ad Guthrianam farraginem notata ſunt T. II. p. 541 ſq.

cepti tempus ita conſtitui poſſe videtur, ſi Thamyrin vel Amyrin, prouerbio notum, (v. Suidas in h. v. et Diogenian. ac Zenob. a viris doctis iam excitatos) exitum eius viuendo attigiſſe tenueris, quem eundem ad conſulendum deum miſſum Athenaeus tradidit. Habet res aliquam ſimilitudinem cum praeſultore apud Livium II, 36. Jovi haud probato.

Tandem ciuitati exitium intulit Telys aliquis, qui popularibus ſtudiis aduerſus optimates vſus tyrannidem occupauit (v. Diodor. XII, 9. Herodot. V, 44. Heraclides Pontic. apud Athen. l. c. p. 521. F.). Concitata huius hominis artibus multitudine D. ex optimatibus vrbe eiecti ſunt *p*); qui cum Crotonem confugiſſent: Telyis, ira inſani, hortatu miſſi ſunt, qui exules dedi poſtularent, ni dederentur, bellum Crotoniatis indicerent. Religionem Crotoniatarum animis, ne ſupplices ſibi factos proderent, incuſſiſſe fertur Pythagorae auctoritas, (v. Diodor. l. c. adde Jamblichum de vita Pythag. 177. 133.) qui tum Crotone degebat paulloque poſt vitam finiit *q*). Verum etiam miſſos a Crotoniatis XXX legatos interemiſſe dicuntur Sybaritae interemtorumque corpora ante vrbis muros inſepulta proieciſſe (v. Athen. l. c. p. 521 E. qui etiam ſomniis principum et aliis prodigiis vrbis excidium ſignificatum narrat). Telys quidem iam tum inter belli

 apparatus

p) Diodor. l. c. Si recte Ariſtotelis locus, de rep. V, 3. huc retrahitur, ex Troezeniorum maxime numero illi eſſe debuerunt.

q) Quae maxime probabilis ratio Ol. LXVIII, 2. v. Bentlej. Diſſ. *upon Phalaris* p. 73 ſq. Sax. Onomaſt. p. 28.

apparatus et initia caeſus fuiſſe videtur; quod ſi ponas, diſſenſus inter Diodorum, Herodotum et Heraclidem, qui diuerſa inter ſe tradere putantur, facile componi poteſt; maximae enim inteſtinae turbae videntur extitiſſe inter Sybaritas, quandoquidem omnes Telyis conſiliorum ſocios ad aras ipſas in templo Junonis interfecerunt (v. Athen. l. c. p. 521. F. ex Heraclide *de iuſtitia*) quo piaculo contaminati deorum iras expetiiſſe crediti ſunt.

Indicto bello CCC millium exercitus a Sybaritis eductus eſſe dicitur, a Crotoniatis C millium. Parem ciuium omnino numerum edi ſupra vidimus. Probabile igitur videri poteſt, cum πανδημεὶ exiiſſe Sybaritas aliquis legiſſet, vt is etiam numerum iſtum huc retraxerit. Tradunt tamen ad priorem modum Diodorus (l. c.) et Strabo (lib. VI. p. 404); et quanquam parum veriſimile videri debet, noſtris inprimis moribus, vt tota iuuentus aduerſus hoſtem in aciem prodeat, in illa tamen aetate, ſub illo coelo, in tam anguſtis terrarum finibus, cum vno impetu intra paucos dies ſumma res gereretur, euenire potuit, vt adeo deſiperent homines, vt vni praelio fortunas ciuitatis et ſalutem committerent. Id quod ipſa res declarare videtur. Nam victis primo congreſſu Sybaritis opes vrbis vno ictu corruerunt. Pugnatum eſt ad Traentem fluuium *r*). Crotoniatae duce vtebantur Milone, virium robore inclito

r) Qui nunc *Triunti* accolis eſt; cf. Bentleius ex Jamblicho apud Weſſelingium ad Diodor. XII, 22. Obſcura eſt narratio de hac pugna apud Zenob. III, 92. εἰς Ἀφάννας.

Digitized by Google

inclito (v. Diodor. l. c.) et, quod tamen ipſi infi-ciabantur, Doriei Spartani auxiliis, qui tum coloniam educturus ad has oras appulerat, de quo v. Herodot. V, 44. Meminit quoque Pauſ. III, 16. Callidum inter haec Crotoniatarum conſilium memoratur, quod, cum ſcirent eſſe Sybaritarum equos ad tibiam ſaltare edoctos, repente in medio pugnae conflictu modos tibia cani iuſſerunt; quibus equi auditis erexerunt ſe et in numerum ſaltauerunt. (Athen. ex Ariſtotele lib. XII. p. 520. Aelian. de Animal. XVI, 23.)

Interea victores acerbe et immaniter vſi victoria ne a captis quidem abſtinuerunt manus (v. Diodor. l. c. c. 10. Athen. p. 251. E. Scymnus v. 343.) Tum Sybarim aggreſſi viris vacuam diripiunt, ſolo aequant et ruinis flumen, Crathim, vt ex Strabone (p. 404. A.) colligas, immittunt; ita vt mirandum non ſit, ſi nulla nunc vrbis veſtigia ſuperant. Ita paucis diebus *s*) ingentibus opibus exciderunt Sybaritae, et deleta vrbs tanta hominum frequentia tantoque rerum apparatu inſtructa, non barbarorum innumerae multitudinis incurſu, ſed vicinae vrbis laceſſita ira. Facta autem haec circa Olymp. LXVII, 2 vel 3. a. C. 510. vt ex Diodoro colligas (lib. XI, 90. qui computi fundus eſt). Eodem anno in alia Italiae parte maiorum rerum facta erant initia; nam Romae eiecti ſunt Tarquinii, et circa idem tempus Piſiſtratidarum regnum Athenis eſt ſolutum. Vtra-

I 5 que

s) Intra LXX dies ap. Strabon. l. c. at Epitomator IX dies exhibet; ambiguo numero O et Θ. Scymnus v. 353. ἐν βραχεῖ χρόνῳ.

Digitized by Google

que res in hiſtoriis frequentius memorata et memorabilior viſa quam tantae ciuitatis excidium. Mileſii, quorum magna et ampla Sybari erant negotia, nuntiata Sybaritarum calamitate, publicum luctum indixerunt (v. Herodot. VI, 21). Subibant, cum iſta legeremus, animum ea, quae ſanctus vates de Tyri excidio praedicit: fore vt mercatorum per omnes terras communis luctus cladem vrbis inſequatur.

Annis LVIII elapſis Sybarim inſtaurauit Theſſalus quidam, ſeu Theſſali (v. Diod. XI, 90 et XII 10.) collectis iis, qui a priſtina clade ſupererant; Ol. LXXXI, 4. a. C. 453. Scilicet, qui fuga elapſi erant, Laum et Scidrum ſe receperant, teſte Herodoto VI, 21. vbi Sybaritas non parem gratiam retuliſſe ait Mileſiis, vt Mileto exciſa (Ol. LXX, 3. a. C. 498.) luctum publicum indicerent, quod illi fecerant in Sybaritica calamitate. Erat autem Laus ad Lai fl. oſtia, Sybaritarum colonia (v. Strabo VI, p. 388. B. et Plinius III, 10. *Laus amnis: fuit et oppidum eodem nomine*) cui vicina eſſe debuit *Scidrus* (cf. quem iam Weſſelingius laudauit, Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 502. 3.) Noua Sybaris ſoli fertilitate iam laetas ſpes faciebat, cum Crotoniatae vetere odio incenſi aut priſtino metu impulſi ſexto anno poſt iterum nouos colonos expulerunt Ol. LXXXIII, 2. a. C. 447. in quo tamen illud mirationem facit, quod Crotoniatae non ipſi agros feraciſſimos cultu vel colonis occupare maluerunt. Interea miſſis primum Lacedaemonem, tum Athenas, legatis Sybaritae populum Athenienſem, qui iam

Digitized by Google

iam tum, vt opes ſuas augeret, ad Siciliam et Italiam animos aduertiſſe videtur, exorarunt, vt ſibi reditus et nouae coloniae adiutores mitteret, Lampone nobili vate *) et Xenocrate ducibus, Hieronem Plutarchus edit, adſcriptis in coloniam quotquot vellent, etiam per Peloponneſum. Sed hi oraculo moniti, commode, vt videtur, inuento ad Crotoniatarum ſtudia et conſilia infeſta eludenda, qui in vetere loco vrbem reſtitui vetabant, ad alium locum vrbis ſedem tranſtulerunt circa fontem Thuriam, vnde vrbi nomen venit *Thuriorum u*). Late haec perſequitur Diodor. XII, 10. vbi add. a Weſſelingio l. l. et Bentlej. p. 370. Ducta colonia Olymp. LXXXIII, 3. a.C. 446. Archonte Callimacho. Interfuit cum aliis claris hominibus Herodotus, nec non Lyſias **).

Incidit intra breue tempus (de anno enim liquide non conſtat) vrbi grauis ſeditio, veteribus colonis Sybaritis praecipuos magiſtratus, honores et agros ſibi arrogantibus. Cum tamen recentes adſcripti numero et viribus ſuperiores eſſent, vbi ad manus ventum eſt, veteres Sybaritae ad internecionem

*) A quo coloni miſſi *Θουριομάντεις* dicti feruntur: v. Heſych. h. v. Etymol. M. h. v.

u) Etſi id ipſi Thurii, licet vana ratione, a *θοῦρος* duxiſſe videntur, cum numis ſuis taurum cornupetam praeferant.

**) v. omnino Taylor. in Vita Lyſiae ad Ol. LXXXIV, 1. Magna in colonis mittendis opera fuit Periclis: Plutarch. in Pericle p. 158. D. *Κληρούχους — συνοικήσοντας* miſit Pericles — *ἄλλους δ' εἰς Ἰταλίαν, οἰκιζομένης Συβάρεως, ἣν Θουρίους προσηγόρευσε.*

necionem deleti ſunt; paucis elapſis, qui *t*) ad Traentem fluuium in vicinis locis conſederunt, vbi tamen et ipſi aliquantum poſt a Bruttiis oppreſſi totumque Sybariticum nomen extinctum eſt (v. Diodor. XII, 22. vbi cf. Weſſeling.). At Thurii nouis e Graecia copiis aucti, et Crotoniatis amicitiae foedere iunctis, praeclare conſtitutam ciuitatem et opes non contemnendas habuerunt [v. Diodor. XII, 11. quicum facile in concordiam redigi poteſt Strabo lib. VI. p. 404. A. B.] *v*)

Thurios ſtatim bellum excepit cum Tarentinis Ol. LXXXIV, 1. et quidem ob Siritidem terram, duce *Cleandrida* (v. Diodor. XII, 23. et Weſſeling. ad e. l. ex Strabone VI. p. 405. C. et Mazoch. p. 75. qui probabile facit, hunc hominem Gylippi patrem fuiſſe auaritia infamem, id quod ſtabiliri poteſt ex Thucyd. VI, 104. l. 93.) de cuius virtute ac prudentia in bello Thuriorum cum Terinenſibus et Lucanis nonnulla narrat Polyaenus de Stratag. lib. II. c. 10. Cum ex tam diuerſis locis collecti eſſent coloni, Attica tamen plures erant oriundi. Hi

t) Ad haec tempora etiam Ariſtotelis locus referendus de Rep. lib. V, 3. p. 520. C. *καὶ ἐν Θουρίοις οἱ Συβαρῖται [ἐστασίασαν] τοῖς συνοικήσασι· πλεονεκτεῖν γὰρ ἀξιοῦντες, ὡς σφετέρας τῆς χώρας, ἐξέπεσον.*

v) Ad haec tempora referri debet, certe commodius aliud non occurrit, quod *aliquanto* poſt turbas, quae per omnes magnae Graeciae ciuitates ab eo inde tempore ortae erant, cum Pythagoreorum collegia fuiſſent cremata, *Achaeorum illae inſtituta expetiiſſe* narrantur. Polybius II, 39. *παρακαλέσαντες γὰρ σφᾶς καὶ συμφρονήσαντες Κροτωνιᾶται, Συβαρῖται* (Thurii), *Καυλωνιᾶται, πρῶτον μὲν ἀπέδειξαν Διὸς Ὁμορίου κοινὸν ἱερὸν καὶ τόπον, ἐν ᾧ τάς τε συνόδους καὶ τὰ διαβούλια συνετέλουν* etc. v. inf. Proluſ. X. *s*).

Hi Thurios Athenienſium coloniam videri volebant, aliis repugnantibus. Tandem Apollinis haberi colonia coepit Ol. LXXXVI, 3. v. Diodor. XII, 35. Partium diuerſarum ſtudia in ciuitate ad popularem ſtatum deſcripta viguiſſe, mirum non eſt. Poſt Athenienſium cladem in Sicilia acceptam Lacedaemoniorum rebus ſtudens factio alteram, quae *ἀττικίζειν* videbatur, Ol. XCII, 1. vrbe pepulit; inter eos fuit Lyſias orator. cf. Taylor. in ej. Vita p. XXXIV. V. Tandem a Lucanis in ſeruitutem redacti ſunt (Strabo VI. p. 404.) quod Ol. XCVII, 3. a. C. 390. V. C. 364. factum videtur, annis poſt Thurios conditos LVI. quando eos a Lucanis locorum iniquitate deprehenſos ad internecionem deletos eſſe tradit Diodor. XIV, 101. *) Lucanorum, vt barbarorum, quippe qui Samnitica origine erant, continua bella cum Graecis coloniis et grauiſſima fuere odia. Fuit in his bellis praelium communibus Graecorum armis factum ad Laum vrbem oraculo ambiguo accepto: de quo v. Strabo lib. VI. p. 388 B. (inf. Proluſ. XIV.) Arceſſitus Ol. CX, 2. ſeu verius Ol. CXII, 1. ante C. N. 332. a Tarentinis aduerſus Meſſapios et Lucanos Alexander Moloſſus ex Heraclea Tarentinorum conuentum in Thuriam transferre

*) Apud Aelianum V. H. XII, 61. quo auctore, non adſcriptum eſt, narratur de Thuriis a Dionyſio armis petitis, claſſe vero a borea vento disiecta, liberatos metu Thurios Boreae ſacra feciſſe eumque ciuitati adſcripſiſſe. Spectat res ad hunc ipſum annum Ol. XCVII, 3. quo in oppugnandis Rheginis claſſis Dionyſii merſa fuit procellis; paucis adeo menſibus ante Lucanorum profectionem hoc eueniſſe neceſſe eſt. Parum accurate adeo Aelianus narrationi adiicit, ſingulis inde annis Thurios Boreae rem ſacram feciſſe.

Digitized by Google

ferre voluit: h. e. in loca circa Thurios v. Strabo VI. p. 429. B. C. Eodem nomine cum Cleonymus Spartanus ad Italiae littora appuliſſet, V. C. 452. ante C. N. 302. cf. Diodor. XX, 104. *Thurias vrbem in Sallentinis* ab eo occupatam direptamque, et a Romanis liberatam veterique cultori additam narrat Liv. X, 2. v. mox not. *x*). Ab iisdem Lucanis vexati ſedecim annis poſt ad Romanos confugerunt V. C. 468. ante C. N. 286. Sciuit bellum aduerſus Lucanos Romanus C. Aelio tribuno pl. rogante, cui mox Thurini ſtatuam et coronam auream dono dederunt (Liv. Epit. XI. Plin. XXXIV, 6. ſ. 15.). Cum Thurios iterum premerent Lucani Bruttiique Statio Statilio duce, fugati illi a Coſ. Fabricio V. C. 472. ante C. N. 282. et expugnata caſtra captaque (Valer. Max. I, 8, 6.). Tarentinis mox ad bellum cum Romanis ſpectantibus, noua clades Thurinis illata; nam indignantes illi in confiniis ſuis vrbem cum Romanis ſocietate et foedere iunctam, armis eam petiere captamque diripuere eodem anno *w*). Quo tempore illa a Romanis recepta fuerit

w) Enodandus ex his eſt Strabonis locus VI. p. 404. B. *Θούριοι δ' εὐτυχήσαντες πολὺν χρόνον, ὑπὸ Λευκανῶν ἠνδραποδίσθησαν· Ταραντίνων δ' ἀφελομένων ἐκείνους ἐπὶ ῥωμαίους κατέφυγον. οἱ δὲ πέμψαντες συνοίκους ὀλιγανδροῦσι μετωνόμασαν Κοπιὰς τὴν πόλιν.* Locus praeclarus; ſed quid *ἀφελομένων ἐκείνους* ſit, non facile aſſequare. Vertunt: *Tarentinis eos opprimentibus* perperam. Aut enim locus mutilus eſt, aut breuitatis ſtudio dixit Strabo obſcurius Lucanis ademiſſe et ſuae ditioni ſeu ſuis partibus adieciſſe Thurium Tarentinos. Rem ſic narrat Appian. in Exc. Vrſin. de Legatt. p. 344. (ed. Schweigh. p. 56.) Tarentinos cum

fuerit eo bello, notatum non vidimus. Bello Punico ſecundo cum ceteris Bruttiis populis ad Annibalem deſciuerat V.C. 540. ante C. N. 214. at anno inſequente iterum in fidem Romanorum rediere Thurini (Liv. XXV, 1.), a qua tamen deſciuere paullo poſt iterum, (Liv. XXV, 15.) anno inde tertio (V. C. 544. ante C. N. 210.). Aucta ciuitas multitudine eo ex Herdonea ab Hannibale abducta (XXVII, 1.) Colonia Thurios deducta eſt Latini iuris altero bello Punico finito V. C. 560. a. C. 194. (Liv. XXXIV, 53.). *Copias*, melius *Copiam*, inditum nomen x) ex Strabone vidimus, boni

cum bellum ſibi a Romanis inſtare viderent, ſuccenſuiſſe Thurinis, quod non ad ſe, verum ad Romanos confugerant, eoque ipſo Romanos in haec loca pellexerant. Vrbem itaque diripuere, principibus eiectis; praeſidium autem Romanum pacta incolumitate dimiſſum eſt. Poſtulant mox Rom. legati inter alia a Tarentinis, vt Thurinis res ablatas reſtituant.

x) Etiam in numis occurrit Copiae nomen; v. c. Bruttia numiſm. tab. 107. apud Golzium t. XXXV, 2. duo alios protulit Pelerinus *Recueil de Medailles* To. I. pl. VII, 19. 20. inpr. Latere hoc nomen in Schol. Ariſtoph. Nub. 331. obuium eſt, et iam obſeruatum a viris doctis ad Stephanum: *Θούριοι — ὕστερον δὲ Ἄπιαν.* Pergit ille *Παυσανίας δὲ Ἄνθειαν αὐτὴν καλεῖ·* confundens hos Thurios et Thuriam Meſſeniae apud Pauſan. IV, 31. Homero Antheam dictam At idem Pauſanias alio loco lib. II, 19. p. 499. *Lupiam* inter Hydruntem et Brunduſium priſco nomine Sybarin dictam docuit; qua in re erroris eum temere accuſarunt viri docti. v. Mazoch. ad Tab. Heracl. p. 523 ſqq. cui viro doctiſſimo viſa haec eſt eadem eſſe, quae apud Strabonem *Σύβαρις ἐπὶ Τεύθραντος Ῥοδίων κτίσμα* lib. VI. p. 405. C. memoratur, vt Teuthras fluuii obſcuri nomen ſit. Sed de hac v. inf. Proluſ. XIV.

boni ominis cauſſa. Manſit tamen antiquum Thuriorum nomen. Et hactenus quidem de Thuriorum fatis. De eorum legibus et inſtitutis deo volente proxime. P. P. in alma Georgia Auguſta Kal. Jul. cIↄ Iↄ CCLXXI.

XIV. *h*). De Pauſania autem duplici modo ſtatui poſſe video; aut erraſſe eum in nomine et in locorum ſitu, et *Λουπίαν* appoſuiſſe, quae fuit *Κωπία*; aut rem illum tradidiſſe aliis quos habemus auctoribus intactam, *Lupiam* inter Brunduſium et Hydruntum ſitam aliquando *Sybarin* fuiſſe dictam. Similis difficultas et obſcuritas occurrit in nomine *Thuria* vel *Thuriis*: cum Livius lib. X, 2. *Thurias vrbem in Sallentinis* memoret a Cleonymo Spartano direptam. Nam Sybarin in Bruttiis ſitam vix in Sallentinos Livius transferre potuit, vt adeo neceſſe ſit, etiam in illis locis inter Sallentinos vrbem Thuriam fuiſſe.

VIII.

Digitized by Google

VIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

JO. PHILIPPVS MVRRAY

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA XXXIV.

IN A. D. XVII. SEPT. cIↃ IↃ CCLXXI.

RITE INDICIT.

De Sybaritarum ac Thuriorum rep. et legibus.

Sectio altera.

Si quis vnquam natalis huic Academiae inter fauſta omina et futurae felicitatis laeta auſpicia illuxit, Ciues, hunc, quem nunc indicimus, inter laetiſſimos et feliciſſimos eſſe habendum merito putamus, cum is, recepto nuper et a Britannis ad nos reuerſo Curatore et Moderatore rerum noſtrarum, BEHRIO, Illmo. Viro, qui tantopere votis noſtris expetebatur, celebrandus nobis veniat. Vota igitur noſtra, quae ſuperiore anno ſuſceperamus, non omnino irrita cecidiſſe nec euentu

ſucceſſuque ſuo caruiſſe putabimus; quin eo graviore religione obligati videbimur, quo ex grauiſſima illa procella, quae paullo poſt vota illa ſuſcepta perculit nos, ſeruati et recreati remp. ſoſpitem et incolumem ſecundum curſum tenere et res noſtras proſperis ſucceſſibus florere laeti intelligimus.

Votorum igitur noſtrorum damnati, in tam laeta feſtaque luce, quid prius antiquiusque habebimus, quam, vt animis caſtis piisque ad ſummum illum rerum Soſpitatorem accedamus, gratoque bonorum noſtrorum recenſu, tacito ſenſu, publica voce, facto, laudes eius ritu ſollenni celebremus pacemque et perpetuum noſtrae proſperitatis fructum votis precibusque expoſcamus. Cuius religionis pietatisque noſtrae vt tanto ſollennior graviorque ſit caerimonia: craſtino die, vbi more ſolito, a Comitibus Illuſtriſſ. et Patribus Academiae pompa in templum Academicum ducta fuerit, Jo. Phil. Myrray, *Magnificus h. t. Prorector*, publice vota ſuſcipiet, oratione habita, qua iis, quae academiarum noſtrarum conditionem commendant, cum iis, quae in ea deſiderari poſſint, comparatis, plura eſſe laudanda, quam improbanda, docebit. Quibus ſollennibus vt cum beneuolentia et ſtudio intereſſe velitis, Comites Illuſtriſſimi, Generoſiſſimi, Nobiliſſimi, Humaniſſimi Iuuenes, humaniter et peramanter rogamus. Nos autem, Ciues, dum pompa paratur et inſtruitur, tanquam in veſtibulo templi et porticu conſtituti, confabulatione facta, quod nuper de Sybaritis Thuriisque coeperamus, pertexemus.

Primum

Primum omnium videamus iam, *ad quam formam Sybaritarum ac Thuriorum reſp. deſcripta fuerit.* Pauca ſunt rei veſtigia, quibus inſiſtens ad certum aliquid ſtatuendum peruenias. In vetere quidem Sybari optimatum in rep. adminiſtranda partes videntur fuiſſe praecipuae, quae ſub labentis ciuitatis tempora, Telyis inprimis popularibus ſtudiis, ad populum ſunt translatae (v. ſup. Comment. p. 135.); et tota belli cum Crotoniatis geſti ratio caecos plebis furores ſatis arguit. Vrbe vero inſtaurata Thurios ad *popularem ſtatum* remp. temperaſſe, diſerte narratum eſt a Diodoro (XII, 11.), ciuesque in X tribus deſcriptos, nominibus ab origine et patria impoſitis; ex quibus intelligitur, ex tota fere Graecia nouos colonos fuiſſe collectos. Contra Ariſtoteles videri poteſt ſeu ariſtocraticam ſeu oligarchicam remp. Thuriorum prodere: cuius quoque auctoritate Bentleius vſus Diodorum animoſe impugnat *a*); non tam Diodori aut Charondae cauſſa, quam vt aduerſarium Boylium exagitet. Enimuero ciuitates hae per Italiam et Siciliam multas plerumque mutationes expertae ſunt, vt ſubinde res ab optimatibus ad popularem ſtatum aut ad oligarchiam inclinaret, aut a democratia in aliam formam abiret. Poteſt quoque forma aliqua popularem ſpeciem habere, et tamen, ſi perſpicacior aliquis altius in interiora deſcendat, inter ariſtocratias referenda videri, quatenus in illa ſcilicet optimatum opibus, gratia, clientelis aut etiam artibus et conſiliis, populi ſcita et decreta reguntur, coercentur, temperantur.

a) *Diſſ. upon Phalaris* p. 367.

tur. Verum inſpiciamus ipſum Ariſtolelem *b*): Agit ille de mutationibus quas ſubire poſſunt politiae; eſt in his quam proprio nomine πολιτείαν appellat, hoc eſt *popularem bene deſcriptam*, nam diverſam facit democratiam, ſi omne ius apud populum habetur *c*). Iam ariſtocratia, pergit, poteſt in democratiam, *πολιτεία in oligarchiam abire: Accidit hoc Thuriis. Nam quia magiſtratus deferebantur ex ampliore et maiore cenſu, ad pauciores res deducta eſt, et per plura magiſtratuum genera* d). *Quia vero porro nobiles totius ſoli Thurienſis agros praeter legem occupaverant: (facta enim, vt diximus, republica oligarchica, facile iis erat opes maiores conſequi) populus in bello exercitatus praeſidiis ſeu locis munitioribus eſt potitus, donec ii omnes, qui plura poſſidebant, agris ceſſerant* e). Ex his manifeſtum fit Thuriorum remp. tantum vitio factam eſſe oligarchiam, non ipſa conſtitutione, adeoque totam Bentleii ſubtilitatem concidere. Quomodo illa paucorum potentia inualuerit, narrat idem paullo poſt factum eſſe magiſtratus culpa, qui, cum in reip. inſtitutis ne quid moueretur, proſpicere deberet, vt vna lex de praetura intra quinque

b) de Rep. V, 7. p. 530. A.

c) cf. v. c. III, 7. pr. IV, 2. pr. V, 7.

d) διὰ μὲν γὰρ τὸ ἀπὸ πλείονος τιμήματος εἶναι τὰς ἀρχὰς, εἰς ἔλαττον μετέβη καὶ εἰς ἀρχεῖα πλείω.

e) διὰ δὲ τὸ τὴν χώραν ὅλην τοὺς γνωρίμους συγκτήσασθαι παρὰ τὸν νόμον· ἡ γὰρ πολιτεία ὀλιγαρχικωτέρα ἦν, ὥστε ἐδύναντο πλεονεκτεῖν· ὁ δὲ δῆμος γυμνασθεὶς ἐν τῷ πολέμῳ τῶν Φρουρῶν ἐγένετο κρείττων, ἕως ἀφεῖσαν τῆς χώρας ὅσοι πλείω ἦσαν ἔχοντες. Videntur autem haec ad illud tempus ſpectare, quod paullo poſt Thurios conditos incidit: v. ſup. Proluſ. pr. p. 139.

quinque annos ab eodem non repetenda tolleretur, annuit, rem ſe paruam concedere arbitratus; verum eo exemplo aliis poſt alia mutatis tota reip. ratio et conſtitutio mox eſt ſoluta *f*). Ceterum in Thuriorum rep. populi ius et partes fuiſſe ex eo ipſo Ariſtotelis loco intelligitur; nam ſuffragiis ille ſuis magiſtratus creaſſe, militares etiam leges, vel magiſtratu renitente, abrogaſſe narratur. Potuit adeo etiam in Charondae legibus, quatenus illae a Thuriis adoptatae fuerunt, cauſſarum ad populum relatarum recte mentio fieri *g*).

Priſcae Sybaris nullae leges memoriae mandatae ſunt, niſi paucae, quae luxuriam et mollitiem hominum arguere poſſunt; neque omnino ſatis conſtat, quo legum codice vſi ſint; niſi quod apud Scymnum Chium v. 345 ſq. legibus Zaleuci vſi narrantur: quibus relictis in luxuriem et proteruiam praecipites ſe dedere; etſi vel ſic aſſequi haud licet, quomodo a legibus tam ſeueris ad tam ſolutos mores procedere potuerint. Quae tamen Sybaritarum leges habentur, ſunt fere hae: Scitum ab iis aut potius inſtitutum eſſe narratur apud Athenaeum (XII p. 521 C. ex Phylarcho Hiſtoriar. XXV.) *vt etiam foeminas ad ſollennes epulas vocare liceret h*), vt adirent adeo communia cum viris conuiuia matronae, quae ex Graecorum more ſua ſacra ſuasque epulas

 ſeorſum

f) Ibid. p. 530. D. E. — *ἀλλὰ μετέβαλεν ἡ τάξις πᾶσα τῆς πολιτείας εἰς δυναστείαν τῶν ἐπιχειρησάντων νεωτερίζειν.*

g) Contra quam Bentleius contendebat p. 367. 8.

h) Γυναῖκας εἰς τὰς ἑορτὰς καλεῖν.

ſeorſum a viris habere ſolebant, *vtque ii, qui ad ſacras epulas eſſent et ſacrificium eas inuitaturi, annuo ante ſpatio ſacra indicerent, vt, ſatis digno pro temporis ſpatio facto apparatu veſtium reliquique ornatus, ita demum illae ad ſacra adeſſent* i). Epulae factis ſacris celebratae pars erant praecipua religionis Graecanicae et praeclari ad remp. inſtituti. Sybaritae igitur religiones auguſtiores et publicis opibus digniores facere voluiſſe videntur, vt ciuitatis opulentae ſacra ſplendide et magnifice fierent. Qua quidem in re nihil magnopere reprehendendum videas. Sacrarum enim caerimoniarum cultusque religioſi externa ſpecies merito ad ciuium ac reip. opes et fortunas attemperatur; nihilque indignius eſſe videtur et turpius, quam ſi vrbs locupletum ciuium luxu priuataque aedium magnificentia eniteſcat, templa autem et vaſa ſacra ſqualore et fumo ſordeſcant. Sybaritarum magnificentiae publicae in his ſacris epulis ſtudium declarant etiam illa, quod aureis coronis donabant eos, qui ceteros apparatu et elegantia ſuperaſſent (etſi hoc Athenis quoque factum legimus). Lepidum tamen hoc, quod et coquis coronas dabant (Athen. p. 519. D. E.). Subtexuntur apud Athenaeum (l. c. p. 521. D. et p. 518 ſq.) alia ad epularum delicias inſtituta, quae nunc breuitatis ſtudio omittimus. Sed aliud eſt, quod commemorare

i) Ita legendus et intelligendus eſſe videtur locus: καὶ τοὺς εἰς τὰς θυσίας καλοῦντας πρὸ ἐνιαυτοῦ κλῆσιν ποιεῖσθαι. ἵνα ἀξίως ποιούμενοι τοῦ χρόνου τὴν παρασκευὴν τῶν τε ἱματίων καὶ τοῦ λοιποῦ κόσμου, προάγωσιν οὕτως εἰς κλῆσιν, et ad mulieres referendus, vt iam Caſaubonus ad e. l. docuit ex Plutarch. Conuiv. VII. Sap. non longe a princ.

rare iuuat, primos fuiſſe Sybaritas, qui artes, quae cum ſtrepitu exercentur, vt fabrorum aerariorum et materiariorum, in vrbem ſuam non admitterent, ne omnino quicquam eſſet, quod ſomnum turbare poſſet, quid? quod nec gallum gallinaceum in vrbe alere licebat *k*).

Hactenus de Sybaritis. De Thuriorum vero inſtitutis, praeter ea, quae paullo ante commemorauimus, ex Ariſtotele alia diſcere licet: fuiſſe apud eos *συμβούλους l*), item magiſtratum, qui legum curam haberet *m*); fuiſſe porro legem, quae vetaret, *ne quis, qui praetor fuiſſet, intra quinque annos eundem magiſtratum peteret* n), eaque lege abrogata peſſimum nouandi omnia in rempublicam exemplum eſſe illatum; eos enim, qui rebus nouis ſtuderent, erectis ita et confirmatis animis in vltimum audaciae prorupiſſe; quo factum, vt deinceps totus reip. adminiſtrandae ordo immutari coeperit. Narrat rem Ariſtoteles, vt doceat, quomodo cum aliae reſpublicae, tum ariſtocratiae latenter interdum et occulte mutari, ita, vt non ſentiatur mutatio, tandemque diſſolui poſſint. Gymnaſia et ſodalitates (*συσσίτια*) ad ſeditiones fouendas vim habuiſſe, ex Platone intelligitur (de LL. I. p. 776. D. Frf. 27. 28. Bip.)

 Thuriis

k) Athen. ibid. p. 518. C.

l) Ibid. V, 7. Charondae legibus iis, qui nouercam liberis ſuperinduxerant, poena erat dicta ap. Diod. XII, 12. *τὸ μὴ γίνεσθαι συμβούλους τούτους τῇ πατρίδι.* ita nec Senatores eſſe poterant.

m) *νομοφύλακες* Cic. de LL. III, 20.

n) *νόμου γὰρ ὄντος, διὰ πέντε ἐτῶν μὴ στρατηγεῖν.*

Thuriis ſubtilitatem in legibus ferendis, dum omnia nimis accurate conſtituere et calumniam praecludere voluerunt, tribui videmus ab Ephoro (apud Strabon, VI. p. 399. A.). Habemus eius rei exemplum in LL. *de emtione venditione.* Nam, cum ſuper fundorum alienatione (de hac enim potiſſimum agi eo in loco videtur) certis ſollennibus ac ritibus circumſcribenda ac firmanda, alia in aliis eſſent ciuitatibus conſtituta *o*), Thuriis placuit, vt nulli omnino emtionis venditionis eſſent ſollennes ritus, nec in foro, ſicut alia negotia, res gereretur, ſed vt emtor ac venditor tribus ex proximis vicinis darent communiter numum memoriae teſtimoniique cauſſa *p*). *Ita neceſſe erat, vt vicini illi tenerentur ipſi, ſi res emta non eſſet tradita, aut iam tradita tanquam non tradita peteretur, aut ab eo, cui tradita eſſet, accepta eſſe negaretur* q). Thurii porro lege cauerant, *vt arra confeſtim, pretium vero eodem die*

o) v, loc. ex Theophraſto ap. Stobaeum XLII. p. 280. I.

p) Ibid. p. 281. A. *οἱ δὲ Θουριακοὶ* (puto vitioſe pro *Θούριοι*) *τὰ μὲν τοιαῦτα πάντα ἀφαιροῦσιν, οὔτ' ἐν ἀγορᾷ προστάττουσιν,* (l. *πράττουσιν*, l. ſuppl. *πωλεῖν*) *ὥσπερ τἄλλα· διδόναι δὲ κελεύουσι κοινῇ* (h. emtorem ac venditorem) *τῶν γειτόνων τῶν ἐγγυτάτω τρισὶ νόμισμά τι βραχὺ μνήμης ἕνεκα καὶ μαρτυρίας.*

q) Hunc quidem verborum apud Stobaeum eodem loco ſenſum eſſe arbitramur: *ἀναγκαῖον δηλονότι, τοῖς μὲν* (qui coram magiſtratu emtionem venditionem ex lege faciunt) *τὰς ἀρχὰς ὑπευθύνους ποιεῖν, τοῖς δὲ τοὺς γείτονας* (igitur non modo teſtes, ſed quodammodo *praedes* habebantur hi vicini: qui aderant, vt fideiuberent, contractum fore ratum. Hinc *ὑπεύθυνον* eſſe puto, qui ex obligatione in ſubſidium tenetur) *ἐὰν μὴ λάβωσιν, ἢ δὶς παρὰ τοῦ αὐτοῦ λάβωσιν, ἢ ἔχοντες μὴ λέγωσι* (ſc, *ἔχειν τὶ*) *τῶν ἀναμένων* (leg. *τῶν ἐωνημένων*),

Digitized by Google

die exhiberetur; quod ſi factum non eſſet, poena emtori conſtituta erat r), *vt arram amitteret: ſin venditorem, arra accepta, poenitebat, vt is tantum perſolueret, quanti res vendita veniſſet* s). Videtis in hoc exemplum nimiae ἀκριβείας, et natae ex ſummo iure iniuriae, quam Thuriis vitio datam diximus. Nam, quod Theophraſtus ipſe eo loco obſeruat *t*), *inaequalis eſt poena emtoris et venditoris, cum alter ſolam arram, alter pretium rei venditae perdat, quod arram multoties excedere poteſt.* Verum eadem haec iuris acerbitas ex emendatione legis a Charonda ſcriptae nata erat;

K 5 id

r) Aequitati igitur propius ius Romanum, quod emtorem poenitentem arram perdere, venditorem autem a pactione recedentem duplum arrae reſtituere iubet. Nota loca ſunt pr. Inſt. de Emt. Vend. l. 17. C. de fide inſtrum. cf. Cuiac. Obſſ. XI, 17.

s) Ibid. p. extr. *ἐὰν δὲ λαβὼν ἀραβῶνα μὴ δέχηται τὴν τιμὴν, ἢ δοὺς* (ſc. *τὸν ἀραβῶνα*) *μὴ καταβάλῃ* (ſc. *τὴν τιμὴν*) *ἐν τῷ ὡρισμένῳ χρόνῳ* [*δεῖ γὰρ ὡρίσθαι, καθάπερ ἐν τοῖς Θουρίων. τὸν μὲν ἀραβῶνα παραχρῆμα, τὴν δὲ τιμὴν αὐθημερὸν* —] *τόγ' ἐπιτίμιον ἑκατέρῳ, πότερον τῷ μὲν στέρησις τοῦ ἀραβῶνος· αὐτὰ γὰρ σχεδὸν οἵτ' ἄλλοι κελεύουσι καὶ οἱ Θουριακοί* (leg. *Θούριοι*)· *τῷ δὲ μὴ δεχομένω* (ſc. *τὴν τιμὴν*) *ἔκτισις ὅσον ἂν ἀποδῶται; καὶ γὰρ τοῦτο ἐν τοῖς Θουρίων.* Bentleius *Diſſ. upon Phalar.* p. 366. *ὅσου* legit. ſed vulgarem lectionem bene interpretatur Cuiac. l. c.

t) Locus eſt obſcurior, maxime interpunctionis fraude. Τόγ' *ἐπιτίμιον ἑκατέρῳ* (ſc. quaeri poteſt) *πότερον τῷ μὲν* — ſequuntur quae paullo ante appoſita ſunt; tum ſubiiciuntur haec: *ἄνισος ζημία· πολλαπλασία γὰρ ἡ ζημία τοῦ ἀραβῶνος. ἔτι δὲ καὶ βλάπτει τ' ἂν* (leg. *βλάπτεται*) *ὁ ἀποδόμενος, ἀφεὶς ἑκατέρους* (ſc. et pretium rei et arram). *ἐπειδή τις* (leg. *ἐπεὶ δέ τις*) *ἐφ' ἡμέραν μίαν ὁρίσειεν, δεδικάσθαι κελεύουσι τῷ μὴ δεχομένῳ τὴν τιμήν.*

id quod ex eodem Theophraſti loco colligi poteſt *u*). Nam Charondas, quem Plato etiam ſecutus erat, iuſſerat, *rem venditam continuo tradi et accipi* x). *Sin quis crediidiſſet, eum actionem non habere. Suo enim illum periculo hoc feciſſe putandum* y).

Expedita ſatis videntur omnia, vt ad illam quaeſtionem accedere poſſimus: exploratumne et ad rerum fidem pronuntiatum ſit, id quod et ipſi ſequuti adhuc eſſe videri poſſumus, *leges illas, quae Charondae nomen praeferunt, Thuriis ſcriptas eſſe?* Enimuero diſputationem hanc in aliud tempus reiicere conſultius eſt: nunc vt ſollennia craſtino die celebranda fauſtis laetisque ominibus exigantur, ex animo precamur. P. P. XVI. Sept. cIↄIↄ CCLXXI.

u) Paulo iniquior erat Bentleius, qui his ipſis inferebat, Thuriorum leges a Charonda plane ſcriptas eſſe nequiiſſe, quoniam a Charondae legibus recedere narratae ſint l. c. p. 366 ſq.

x) Pergit ibid. Theophraſtus p. 282. A. *Quaeri porro poteſt, num venditor, donec rei venditae pretium acceperit, rei venditae dominus eſſe debeat:* πότερον δὲ, ἕως ἂν κομίσηται (ſc. τὴν τιμὴν ὁ ἀποδόμενος) κύριον εἶναι [δεῖ] τοῦ κτήματος· οὕτω γὰρ οἱ πολλοὶ νομοθετοῦσιν. ἢ ὥσπερ Χαρώνδας καὶ Πλάτων· οὗτοι γὰρ παραχρῆμα κελεύουσι διδόναι καὶ λαμβάνειν.

y) ἐὰν δέ τις πιστεύσῃ, μὴ εἶναι δίκην. αὐτὸν γὰρ αἴτιον εἶναι τῆς ἀδικίας.

IX.

IX.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
GOTTH. TRAVG. ZACHARIAE D.
CVM SENATV
SVCCESSOREM SVVM
JO. STEPHANVM PÜTTER
CIVIBVS COMMENDAT
IN A. D. II. JULII cIↃIↃCCLXXII.

De Sybaritarum ac Thuriorum rep. et legibus

Sectio tertia et vltima:

in qua quaeritur, fuerintne illae a Charonda perſcriptae.

In ea ſcriptione, Ciues, qua ſuperiore anno natalem Academiae diem celebrandum indicebamus, eo adducta erat res, vt, poſteaquam leges, quae ſub Charondae nomine veniunt, (Proluſ. III. IV. V. VI.) appoſitas illuſtraueramus, inde Sybaritarum ac Thuriorum remp. inſtituta et leges (Proluſ. VII. VIII.) perſequeremur: eratque nunc perventum ad quaeſtionem illam virorum doctorum diſputationibus celebratam: verumne illud ſit, quod *leges*

Digitized by Google

leges illae, quae Charondae nomen praeſerunt, Thuriis ſcriptae eſſe feruntur. Deſiderari poteſt virorum doctorum acumen etiam in hac quaeſtione tractanda, quod plura capita in idem congeſta et permixta ſunt. Quaeri enim poſſunt ac debent ſigillatim plura: quae omnia praecedere debet illa quaeſtio, quo tempore Charondas vixerit. Retractabitur a nobis quaeſtio poſt virorum doctorum ſtudia *a*) breuiter, et vt noſtro iudicio vtamur, ſimulque videamus, quid rationibus cum Bentleii tum aliorum propoſitis cum veritate vel opinione coniunctum eſſe videri poſſit.

Nobis itaque ab initio ſtatim in hac quaeſtione duo videbantur eſſe diſcernenda, vt altera dubitatio ſit, *fueritne Charondas legum Thuriis ſcriptarum auctor;* altera: *eae leges, quas Diodorus ac Stobaeus ſeruarunt, ſintne iſtarum legum fragmenta habenda.* Quae vtraque dubitatio in vnum confuſa non parum turbauit omnia; alias turbas fecit non animaduerſa ſcriptorum, quorum fide et teſtimonio vtuntur viri docti, auctoritatis diuerſitas. Ea itaque quae de Charonda legum nobiliſſimarum auctore traduntur, ad has claſſes narrationum reuocari poſſunt, vt ab aliis ille dicatur *Thuriis*, ab aliis vero *Chalcidicis ciuitatibus leges ſcripſiſſe;* porro vt ab illis *poſt Olymp. LXXXIV vixiſſe* credatur, ab his *ad antiquiora tempora referatur.* Redit nunc res ad iudicium hiſtoriarum criticum.

Qui

a) v. ap. Fabric. Bibl. Gr. T. I. lib. II. c. 24. Bentleii *diſſ. upon Phalaris* p. 334 ſqq. Weſſeling. ad Diod. XII, 11. Warburt. *Div. Legat. of Moſes* B. II. S. 3.

Digitized by Google

Qui Charondam ſuis ciuibus, *Thuriis*, leges ſcripſiſſe diſertis verbis tradunt *b*), Diodorus, Plutarchus, Athenaeus, Themiſtius cum Val. Maximo, ſcriptores ſunt, quorum non omnino hac quidem in re magna eſt auctoritas, certe non tanta, vt grauiorem et maiorem, ſi qua ſe obtulerit, loco cedere iubeat. Nam primo omnes iis aetatibus, quibus Thurii floruere, vsque ad Ol. XCVII, 3. multo ſerius vixere quam vt teſtium loco haberi poſſint; reditque adeo eorum auctoritas ad auctores, quorum fidem ipſi amplexi ſunt; atqui de iis nihil nunc conſtat; alii ex iis omnino rem tantum obiter et in tranſitu attigerunt, Diodori autem fides et auctoritas tota ex eorum, quos exſcripſit, dignitate et grauitate pendet, de qua ſi dubitandi locus ſit, parum nos iuuat ipſius Diodori nomen, quippe in quo viro non tam ſubtile et ſeuerum deprehendere videmur iudicium, vt, niſi aliunde cauſſae firmamentum acceſſerit, in eo acquieſcere poſſimus. Contra manifeſtum fit, illum in dilectu rerum narrandarum inſeruire certae cauſſae et conſilio, vt prudentia politica et virtutis praeceptis lectorum animos imbuat. Itaque etiam in hac de Charondae legibus narratione ſcriptorem adhibuiſſe videtur, quem non tam, quod veriora, quam quod vtiliora tradiderat,

b) Diodorus (lib. XII, 11) ſtatim poſt nouam ciuitatem conditam; qui eum quoque Thurium appellat, quod Valerius quoque Maximus et Themiſtius faciunt, Athenaeus (XI. p. 508. A) Plutarchus (de Curioſ. p. 519. B. vbi *ὁ Θουρίων νομοθέτης* praeſcribitur legi ex Charondae farragine excitatae.) Aduerſus hanc quaeſtionis partem, an Thurius fuerit Charondas et Thuriis leges tulerit, praeclare diſputat Bentleius; minus idem ſollers ac ſubtilis in iis quae ipſe de ſuo ponit.

tradiderat, probaſſe videtur. Tandem ſatis probabile ſit, aut ipſum, aut auctorem, quem in manibus habebat, Zaleuci et Charondae nomina et leges confudiſſe. Rem cum alia arguunt, tum hoc, quod de diuturnitate legum praedicat. Thuriorum enim resp. vix L annos integris rebus perſtitit; quod contra de Locrenſium rep. rite praedicari potuit *c*).

At in partibus eorum, qui de Thuriis nihil memorant, Charondam autem patria Catanaeum edunt et legum Chalcidicis ciuitatibus latarum auctorem, ſunt ſcriptores, quorum fidem hac in re tuto ſequi poſſumus, Ariſtoteles et Heraclides Ponticus, quem vtrumque in rerumpublicarum fata et inſtituta inquiſiuiſſe ſatis conſtat. His igitur denuntiemus teſtimonium, et, quid inde ad cauſſam noſtram in alterutram partem diiudicandam ſequatur, videamus.

Ariſtoteles quidem (de Rep. II, 12.) diſerte ait *Charondam Catana oriundum ſuis ciuibus et aliis Chalcidicis per Italiam et Siciliam ciuitatibus leges ſcripſiſſe d*). Chalcidicae vrbes fuere per Siciliam Catana, Zancle, Naxos, Leontini, Euboea, Mylae, Himera, Callipolis, et in Italia Rhegium *e*). Iam cum origine Chalci-

c) Recte haec monuit Bentlej. l. c. (p. 189 ſq. ed. Lennep.)

d) Ariſtot. de Rep. II, 12. *καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὑτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν.* Plato (loco p. 364. a Bentleio laudato) *Ἰταλίαν καὶ Σ.* tantum dixerat, Cic. de Legg. II, 6. *ciuitatibus ſuis.*

e) Ex Scymno v. 282 ſqq. 310. cf. Weſſeling. ad Diod. XII, 10.

Chalcidica nihil coniunctum ac commune fuit nec Thuriis nec Sybari; ſunt quoque omnes illae vrbes antiquioris, quam Thurii, originis. De Catanae conditae tempore ex Thucyd. VI, 3. ſatis conſtat; incidit autem ortus eius poſt Ol. XIII, 1. Non longe haec a Sybaris initiis abſunt, longiſſime a Thuriis conditis. Sed legum ſcriptarum tempus omnino ex his confici nequit. Ex Heraclide Pontico, nam is alter erat, cuius auctoritatem grauem ſatis eſſe dicebamus, etſi enim ille ſeu leuitatis ſeu cupiditatis in nonnullis reus factus eſt, doctrinae tamen et litterarum laude inter omnes floruit, haec diſcimus, Rheginos ariſtocratica reipublicae forma, et *Charondae Catanaei legibus* vſos *f*). Cum eodem mox loco ſubiiciatur mentio inſecutae tyrannidis Anaxilai Meſſenii, Bentleius (l. l. p. 362 ſqq.) Charondae leges ſaltem ante hunc hominem exſtitiſſe, argumentatione infert. Eius autem obitum conſtat Ol. LXXVI, 1. contigiſſe, adeoque XXX annos ante Thurios conditos. Thuriis itaque leges Charondas nullo modo ſcribere potuit *g*). Grauiore tamen argumento antiquior Charondae aetas, et primis Catanae conditae temporibus propior, ex eo aſſeritur,

f) *νόμοις δὲ ἐχρῶντο τοῖς Χαρώνδου τοῦ Καταναίου.* in fragment. Heraclidis. Catanaeis et Rheginis, *cum patria exularet*, Charondam leges ſcripſiſſe, auctoritate tamen non appoſita, tradit Aelianus III, 17. *Χαρώνδας δὲ τὰ ἐν Κατάνῃ [ἐπανώρθωσε], καὶ τὰ ἐν ῥηγίῳ, ὅτε ἐκ Κατάνης ἔφευγε.* Enimuero et hoc falſo proditum; nam non niſi poſt Anaxilai tempora probabile fit Charondae leges fuiſſe a Rheginis acceptas: cf. inf. Proluſ. XIV.

g) cf. Weſſeling. p. 485.

aſſeritur, quod Zaleuco is Locrorum legumlatori plerumque ſubiungitur, qui circa Ol. XXIX. floruiſſe non omnino ſine fide ab Euſebio Hieronymi traditur. Ariſtoteles (l. c.) eum inter vetuſtiores legumlatores ſecundo a Zaleuco loco recitat; eodem loco alios docere velle ait Onomacritum Locrum apud Cretenſes primum legum ferendarum peritia claruiſſe, eius familiarem fuiſſe Thaletam Cretenſem; ab hoc profeciſſe Lycurgum et Zaleucum, a Zaleuco Charondam. Addit tamen idem *temporibus parum penſitatis haec ab iis proferri:* certe quod Zaleucum attinet, qui Lycurgi diſcipulus eſſe haud potuit; at de Charonda poſt Zaleucum legum laude nobilitatum nihil voluit refellere, cum ipſe antea idem pronuntiaſſet. Alio loco (IV, 11, p. 503, A.) Charondam *e medio genere ciuium fuiſſe* ait, quod optimum ſit legumlatorum genus. Hac vtique auctoritate acquieſcimus; Theodoreti enim eſſe poteſt nulla, qui (*de cur. affect. Graec.* lib. IX. p. 608. C.) *Charondam primum Italis et Siculis leges tuliſſe* ait. Qui factum ſit, vt a nonullis inter Pythagorae, qui tamen multo ſerius vixit, cum eius mors in Olympiad. LXXX, 2. incidiſſe videatur, diſcipulos referretur, alio loco (p. 169) declarabitur.

Per haec, quae adhuc dicta ſunt, niſi fallimur, ſic ſatis exploratum vidimus: *multo iam ante Thurios conditos tempore Charondam fuiſſe aliquem Catanaeum, qui cum aliis ciuitatibus Chalcidicis, tum ſuae, leges ſcripſerit*, inter ceteras etiam *Rhegio*, *in extrema Italia*, ſiue vt in eam vrbem adfuerit, ſiue vt a Rheginis eius leges expetitae, aut, idque veri ſimillimum, ab iis, quibus ſcripſerat, translatae et

tranſcriptae

tranſſcriptae fuerint. Neque tamen vel ſic eorum, *qui Thuriis a Charonda leges latas eſſe tradiderunt*, fides, etſi labefactata, prorſus corruere videri debet; parum accurate forte res expoſita, cum *Thurios Charondae legibus vſos eſſe* dicere deberent. Hoc enim et probabile ſatis eſt, nec res exemplo caret, vt nouae ciuitates conditae aliarum vrbium leges ad ſuam rempubl. transferrent et accommodarent. Quae res cum per ſe exemplo non careat, tum in ipſis Charondae legibus Mazacenorum Cappadociae exemplo declarata eſt, qui iis vſi eſſe memorantur, conſtituto quoque apud ſe legum interprete *h*). Inuitare Thurios potuit partim vicinitas Rheginorum, qui iisdem legibus Charondae vtebantur, partim vltima ſtirpis cognatio; nam etſi ex omni Graecia confluxerat colonorum multitudo, Athenienſium tamen ſuperabat numerus; erant autem hi Ionicae originis, ad quam et Chalcidicae vrbes referebantur. Mos autem eſt et vſus ita loquendi, vt leges ſibi ſcriptas eſſe dicat ciuitas legumque ſibi auctorem arroget eum, cuius legibus vtitur, etſi aliunde adſcitis. Conſtabit itaque Diodoro aliisque fides, ſi, quod facere par eſt, ita ſtatuerimus, vt Thurios Charondae priſci leges ad ſuam ciuitatem admiſiſſe,

h) Ap. Strab. XII. p. 813. C. (p. 539.) Χρῶνται δὲ οἱ Μαζακηνοὶ τοῖς Χαρώνδα νόμοις, αἱρούμενοι καὶ νομῳδὸν, ὅς ἐστιν αὐτοῖς ἐξηγητὴς τῶν νόμων, καθάπερ οἱ παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις νομικοί. videtur hic *legum decantator*, νομῳδὸς, leges et memoria tenuiſſe et certis temporibus recitaſſe; idemque legum ſententias interpretatus eſſe. Non igitur niſi ex parte functus munere Νομοφυλάκων, de quibus v. *Epimetrum de Locris.*

admiſiſſe, atque hactenus Charondae legibus ſe vti profeſſos eſſe exiſtimemus; quae res deinde ab aliis parum ſubtiliter ita fuit tradita, vt Thuriis Charondas leges ſcripſiſſe ferretur. Conſtabit ea fides et rerum veritas etiam tum, ſi Thurii eas leges ad ſuae ciuitatis ſtatum et inſtituta attemperarunt et partim immutarunt. Diodorus quidem ſcriptorem, qui de Thuriorum rebus ſcripſerat, in manibus habebat, cum leges illas deſcriberet; id quod ſatis docent ea, a quibus narrationem exorſus erat c. 9. 10. 11. Vix autem aſſequi licet, quomodo aliquis nulli omnino fundo ſuperſtructa illa tradere auſus eſſe queat.

Sed reuocat nos Bentleius, vir acutiſſimus, qui locis ex Athenaeo, Scymno Chio et Strabone allatis, negat *i*) omnino *Thurios* Charondae legibus vſos eſſe, ſed eos Zaleuci leges a priſtinis vrbis cultoribus, Sybaritis, ait retinuiſſe et ſeruaſſe. Enimuero ſtudio et cupiditate in Boylium vlterius, quam ipſe vellet, euectus euagatusque videtur vir ſummus. Nam Athenaei (lib. XI. p. 508. A.) nulla eſt auctoritas, cum apud eum inter diſputandum aliquis temere illud ponat, Platonis legibus nullam ciuitatem eſſe vſam, *vt Lycurgi legibus Spartani, Solonis Athenienſes, Zaleuci Thurii vſi ſunt*, non ſtudio et diligentia exploratum aliquid afferat. Scymnus autem (v. 345 ſq.) de Sybaritis agit non de Thuriis, vt eius fide, hoc quidem in loco, ad euertendam opinionem communem, nequaquam vti poſſis. In Strabonis tandem locum (lib. VI.

p. 399.

i) *Diſſ. on Phalaris* p. 365 ſq.

Digitized by Google

p. 399. A.) ſententiam pro lubidine infert vir doctus *k*); nam is *Thurios in legibus ſuis omnino ſubtilitatem ſectatos eſſe* memorat. Eſt ea quidem a Charondae legibus multo minus aliena, quam a Zaleuco. *Charondam* enim Ariſtoteles *l*), non modo priſcis, verum etiam *iis, qui ſuo tempore leges ſcripſerant, ſubtilitate ſcribendarum legum ſuperiorem eſſe* iudicabat. Hac ipſa Charondae legum ſubtilitate imbuti Thurii vlterius etiam, quod ex Ephori apud Strabonem verbis colligas, proceſſiſſe et ſingula nimis callide conſtituere ac definire voluiſſe, adeoque interdum cum ſummo iure ſummam iniuriam intuliſſe videntur. Eiusmodi eſt idem illud, quod ſupra de *emtione venditione* a Thuriis praeter Charondae mentem conſtitutum vidimus. Non enim id eo valere debet, vt alias Thuriorum alias Charondae leges fuiſſe contendamus, ſed vt inde conſtet, Thurios nimio ſubtilitatis ſtudio certis in cauſſis Charondam ſuum deſeruiſſe.

Aliam plane dubitationem agi diximus, ſi quaeratur, *ſintne ad Charondam auctorem referenda ea legum fragmenta cum legum prooemiis, quae a Diodoro* et

L 2

k) Hac in parte iam Fabricius Bentleii cupiditatem notauit B. Gr. T. I. p. 535. Quid vero Heraclides ſequutus ſit, qui teſte Laertio IX, 50. *Protagoram Abderitam Thuriis leges ſcripſiſſe* narrauerat, nemo facile aſſequatur. Etſi illum circa tempora coloniae Thurios deductae vixiſſe conſtat: cf. Bentlej. (*ed. Lennep.* p. 211.)

l) De Rep. II, 12. p. 449. D. T. III. Duval. τῇ δὲ ἀκριβείᾳ τῶν νόμων ἐστὶ γλαφυρώτερος (*h. ſubtilior, elaboratior:* non, quod volunt, *politior*) καὶ τῶν νῦν νομοθετῶν.

et Stobaeo ſub eius nomine in medium prolata ſunt. Acute profecto et ſagaciter Bentleius cum Charondae tum Zaleuci legum fragmenta ſubdititium parumque ingenuum ſerioris alicuius ſophiſtae foetum eſſe eſt ſuſpicatus. Videtur tamen etiam in hoc vir ſummus, partim rei nouitate percuſſus, partim diſputandi calore incenſus, paullo ferocius ſe iactaſſe; certe prouectus eſſe vltra metam. Non cadit in hanc operam, argumenta eius ſingula accurate excutere ac refellere. Sed, vt de Charonda ſaltem perſtringamus potiora; nam de Zaleuco *alio* loco actum eſt; ineſſe monet legibus Charondae tributis verba Attica aut ſeriora aut ex Pythagorae diſciplina *m*); addere debebat: orationem omnino eſſe comtiorem nec pro vetuſtatis horrore, quem in Charonda expectabas; quod vero multo grauius eſt, ſatis perſequutus ille non eſt, quod nimirum in ſententiis permulta ſunt, quae Pythagoreum philoſophum potius decebant quam legum latorem, inprimis aetate antiquiorem; multo vero magis in prooemio. Quae mox ſubiicit *n*), Thurios democraticam remp. habuiſſe, at apud Ariſtotelem *ad* oligarchiae inuenta Charondae leges reuocari, etſi verum hoc non eſt, (v. Proluſ. ſup. p. 147.) ſi tamen vel maxime verum eſſet, vim habere non poteſt, ſi leges priſcas Charondae adoptarunt Thurii et ſuae ciuitati accommodauerunt. Laudari porro ab Ariſtotele nonnulla, quae in Diodoro et Stobaeo *non* occurrant *o*). Recte vtique. Neuter enim totum legum

m) τραγῳδεῖσθαι (p. 358).

n) Ibid. 365. 6. 7.

o) Ibid. p. 368.

legum codicem deſcripſit. Apud eundem Ariſtotelem Charondam *nihil proprium et praecipuum p*), praeter *vnam de falſi teſtimonii actione legem*, habuiſſe narrari; Diodorum contra *multa eum a ſe inuenta et excogitata adiecisse* affirmare, iſtam tamen ipſam legem, quam Ariſtoteles vt Charondae peculiarem laudat, omittere. Quae omnia ſi ita ſe habeant, etſi quis inuentum aliquid a ſe proferre potuit, quod idem multis annis poſt cum multis aliis commune haberet, hoc vnum tamen inde ſequi dicas, Ariſtotelis iudicium plus apud nos valere debere quam Diodori errorem vel ignorantiam. Potuit enim alter, qui in legum et ciuitatum naturis cognoſcendis magnam vitae partem conſumſerat, multa accuratius tenere quam Diodorus. Potuit tamen et hic habere quod ſequeretur, cum leges deſcriberet, non quales ab ipſo Charonda fuerant ſcriptae, ſed cuiusmodi a Thuriis ad ſuae ciuitatis ſtatum erant translatae, emendatae et nouis capitibus auctae. Lex autem Ψευδομαρτυριῶν actionem inſtituens, quam vnam Ariſtoteles Charondae propriam eſſe ait, et ab eo primo inuentam, haud dubie in Stobaei recenſu legum latet ſub συκοφαντιῶν iudicio *q*); verum, etiamſi abeſſet, tamen vel ſic, nec omnes leges a Stobaeo et Diodoro adſcriptas eſſe, cogitandum erat. Reſtat argumentum a ſermonis, quo leges earumque prooemia exarata ſunt, genio petitum, alieno ab antiquiorum temporum ſimplicitate

 citate

p) οὐδὲν ἴδιον de Rep. II, 12. At Diodor XII, 11.

q) v. ſup. Sect. I. LL. Charondae ſub f.

Digitized by Google

citate *r*); etſi ipſe Ariſtoteles pronuntiat Charondae leges minus aſperitatis habere *s*). Quibus addendum merito eſt hoc, quod idem Charondae legum prooemium apud Stobaeum Dorica dialecto expreſſum eſt, cum Thurios, etiam Catanaeos, Attica vſos eſſe neceſſe ſit *t*). Quod in Zaleuci prooemio contra factum eſſe deprehenditur; vulgari enim illud et communi ſermone deſcriptum eſt, cum Locros tamen Dorice loquutos eſſe conſtet *u*).

Scilicet iam alio loco in ſimili diſputatione de Zaleuci legibus ſignificauimus, eos, qui Zaleuci vel Charondae legum ipſa verba ſeruata eſſe exiſtiment, parum ſubtili iudicio vti videri, cum diſſimilis prorſus et abhorrens ab eorum aetate ſit oratio. Nec tamen iudicio paullo acriore vti dicemus eos, qui hinc ſtatim inferre volunt, eſſe eas leges omnino commentitias, et ſophiſtae alicuius Attici

r) Nam iſtud vix in aciem produci poteſt argumentum, quod, cum Charondae leges olim Athenis in conuiviis decantatae ap. Athen. XIV. p. 619. ex Hermippi lib. VI. *περὶ νομοθετῶν* narrentur, ea quae extant, talia ſunt, vt ad cantum facta vix videantur. Nam ſententias inde in Scolia redactas cani ſolitas probabile viſum iam ipſi Bentleio et Fabricio B. Gr. T. I. p. 537. etſi non improbabile ſit pro *ᾖδοντο Ἀθήνησι* legendum eſſe, *ἐν Κατάνῃ*. in hac enim vrbe priſcae illae Chorondae leges, ſingulis ſententiis expreſſae, facile cani potuere.

s) v. ſup. not. *l*).

t) Proprium Charondae vocabulum ex Ariſt. de Rep. I, 2. notarunt VV. DD. *ὁμοσιπύους*, *communi σιπύῃ*, *panario vtentes*, de ſocietate domeſtica. Epimenides Cretenſis *ὁμοκάπνους* dixerat, communi foco vtentes.

u) Ibid. p. 370. 355.

Attici ex ſeriore aeuo fraudem. Nolumus nunc commemorare, eas leges iam ante Diodori aetatem extitiſſe, nam ipſe aliunde repetiit, Ciceroni de LL. II, 6. lectas, ab antiquiore poeta (apud Diodor. XII, 14.) carmine expreſſas eſſe; quae omnia multum antecedunt ea tempora, quibus ſophiſtarum fraus graſſata eſt. Sed ipſam argumentationem quis non leuem et inanem eſſe videat? Quid enim? ſi verba antiqua priſcumque legum carmen inuidit aetas, an ſententia et mens legum aliis verbis diſerte et clare ac perſpicue perſcribi et retineri minus potuit? Quam multa ex antiquitate ſunt, quibus, quod non ſuis verbis nobis tradita ſunt, fidem nemo facile detrahendam pronuntiet, dum ſententias teneat? Sed nolumus nunc perſequi eadem argumenta, quae in quaeſtione de Zaleuci legibus expoſuimus, et tota haec rerum ratio multo magis patebit, ſi, quae fortuna haec legum fragmenta vel veſtigia ſeruauerit, viderimus.

Fuerunt enim inter veteres, qui priſcas leges colligerent et illuſtrarent, partim in libris ſingularibus, περὶ νόμων vel νομοθετῶν, vt Hermippus, Heraclides Ponticus, Theophraſtus, et alii, partim in libris περὶ πολιτειῶν, vt nonnulli ex iisdem ipſis, quos laudauimus, et Ariſtoteles in libris de rep. quorum ſuo quisque more ac conſilio *x*) legum verba recitaſſe credendus eſt. Quanta vel ſic, diuerſis hominum ſtudiis, in exponendis legibus, orationis diuerſitas eſſe debuit, multo magis cum eiusdem legumlatoris leges a pluribus ciuitatibus

 receptas

x) v. Proluſ. XV.

Digitized by Google

receptas adoptatas et immutatas ſub communi primi auctoris, vt Charondae, nomine commemorarent! Hinc tamen easdem legum tabulas aut ſingulas leges mox deſcripſerunt paſſim alii, nonnulli adeo carmine, cuius rei exemplum apud Diodorum (XII, 14.) extat; inprimis autem inter hos memorandi illi, qui populorum et ciuitatum hiſtorias conderent; qui quidem earum leges et inſtituta inde ita repetiiſſe putandi ſunt, vt conſiliis ſuis et ſcriptionis legibus eadem attemperarent, etiam oratione. Horum ſcriptorum aliquem, qui de Thuriorum et Locrorum rebus, ſimulque de legibus, egerat, quas a Charonda et Zaleuco ſcriptas habuiſſent, Diodorus, (nam is *Thuriorum leges* ſe apponere profitetur) alios auctores Stobaeus exſcripſiſſe exiſtimandus eſt; neque is Thuriorum, ſed *Charondae Catanaei*, leges praeſcriptas habet. Hinc oratio in vtroque diuerſa et diſcrepans deprehenditur; neutra tamen omnino priſci ſermonis genio conſentanea *y*). Fac enim Catanaeos vſos eſſe Ionica, Thurios Attica oratione; non tamen illa ad philoſophicam illam rationem compoſita fuit, quae in fragmentis legum occurrit. Apud Stobaeum alia adeo diuerſitas. Zaleuci quidem leges communi ſermone expreſſae ſunt, quo is ſcriptor, quem ſequebatur, vſus erat; eodem ſermone leges Charondae; at vero prooemii priores ſententiae dialecto Dorica, cum ſcriptor, quem in manibus habebat, diuerſus ab altero illo, eadem vſus eſſet. Quem quidem ſcriptorem philoſophum fuiſſe, et qui-

y) Manifeſta res fit, ſi legem v. c. de calumnia (ψευδομαρτυρίας) in vtroque compares.

quidem Pythagoricum, non omnino temere ſuſpicamur. Notum eſt Pythagorae diſcipulos inprimis ciuitatibus conſtituendis et rebus ciuilibus tractandis animos adieciſſe. Multae ab iis resp. ex ciuilibus procellis ad tranquillitatem reſtitutae ſunt, aut legibus emendatae, inprimis foedere inter Magnae Graeciae ciuitates et communi conſilio ac conuentu conſtituto ad Achaeorum exemplum, poſt graues turbas, cum ſub Pythagorae mortem immanis illa vexatio et odiorum acerbitas in philoſophum eiusque familiares ſaeuiiſſet, vt eorum collegia concremarentur, ipſi viui comburerentur, et principes in quaque ciuitate tollerentur, (v. Polyb. II, 39.). Alii in legibus congerendis commentandis interpretandisque z) aut in libellis politicis componendis operam collocarunt, Dorica quidem plerumque dialecto vſi (Jamblich. § 241. Porphyr. § 53.) quam in fragmentis, quae Pythagoreorum nomen praeferunt, ex Stobaeo collectis adhuc agnoſcimus. Non itaque improbabile eſt, prooemia illa legum, cum paucis legum fragmentis, ex Pythagoreo aliquo philoſopho eſſe exſcripta, a quo veſtigia nonnulla, ſatis obſcura quidem, Pythagoreae diſciplinae in iisdem impreſſa ſuperſunt. Quae tamen quis eo interpretetur, vt adulterinum falſarii opus hoc ipſum coarguat? Illa ipſa Pythagoreorum philoſophorum in legibus antiquis illuſtrandis ſtudia, noſtro quidem iudicio, effeciſſe videntur, vt inter Pythagorae diſcipulos Charondas et Zaleucus parum docte referrentur.

z) Dicti tamen interdum et hi ipſi νομοθέται. quo nomine Plato quoque venit apud Ariſtot. de Rep. p. 449.

rentur. Factum tamen hoc non niſi a ſerioribus *a*). Non autem hoc nouum et inſolens, vt ad Pythagorae diſciplinam referretur, quicquid cum eius inſtitutis ſimilitudinem haberet; inſigne eius rei exemplum habemus famam de Numa. Vt ſcilicet paucis rem complectamur, quae confecta eſſe diſputatione noſtra arbitramur, ſunt haec: fuit Charondas, isque Catanaeus, qui ſuae ciuitati aliisque Chalcidicis ciuitatibus leges ſcripſit; harum legum verba non habemus, ne quidem ipſas leges integras, quales a Charonda profectae ſunt, ſaltem non omnes. At habemus multarum legum argumenta et ſententias a diuerſis ſcriptoribus diuerſae auctoritatis commemoratas. Easdem leges videntur Thurii in ſuam ciuitatem transtuliſſe, eidemque attemperaſſe. Iam fuit aliquis e Pythagoreis, qui Charondae legum codicem condiderat, isque dialecto Dorica vſus: an idem fuerit, qui Zaleuci leges eodem modo et conſilio perſcripſerat, non liquet; etſi nihil vetat ita ſtatuere. Sed fuere alii, qui, vbi de Thuriorum rep. et rebus agerent, leges expoſuere in ea ciuitate ſancitas: quae cum e Charondae legibus eſſent transſcriptae, ſenſim ac tacite ſubrepſit opinio

a) Primus, quem nouinus, Poſidonius ap. Senecam. Diodor. XII, 20. de Zaleuco: *μαθητὴς Πυθαγόρου τοῦ Φιλοσόφου.* Seneca Ep. XC. ex Poſidonio: *Zaleuci leges Charondaeque narrantur; hi non in foro, nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagorae tacito illo ſanctoque receſſu didicerunt iura, quae florenti tunc Siciliae et per Italiam Graeciae ponerent. Hactenus Poſidonio aſſentior.* Laert. VIII, 16. Porphyr. de Vita Pythag. 21. Jamblichus de V. Pythag. § 33. 104. 130. 172. Hoc eſt illud in quo refellendo Bentleius tam doctam operam poſuit; et praeter illum alii.

Digitized by Google

nio, ipſum Charondam Thuriis eas leges ſcripſiſſe. In hos aut ſimiles ſcriptores incidiſſe putandus Diodorus. Hactenus quidem de loco difficili et ſalebroſo, quem ſi omnino attingere refugiſſemus, verendum erat, ne ipſarum legum auctoritas infracta iacere videretur.

Expoſuimus haec, Ciues, vt aditum nobis muniremus ad id, cuius cauſſa talem diſputationem ſuſcipere mos iubet et inſtitutum academiae. Indicendi ſunt craſtini diei ritus ſollennes, quibus magiſtratus academici inſignia et honores transferentur in Virum Perilluſtrem, reip. academicae et veſtrorum commodorum, Ciues, ſtudioſiſſimum,

IO. STEPHANVM PÜTTER D.

Vos itaque, Comites Illuſtriſſimi, Commilitones natalium, ingeniorum virtutumque laudibus ornatiſſimi, vt ſollennibus his frequentes adeſſe bonisque ominibus votisque noui magiſtratus exordia proſequi velitis, amantiſſime rogamus. P. P. in alma Georgia Auguſta Kal. Jul. cIↃIↃCCLXXII.

De

Digitized by Google

De Sybaritis ac Thuriis
Spicilegium.

In iis, quae de Sybaritarum luxu paſſim memorata ſunt, repetendis otium conſumere nolui. Multa eius generis vno loco narrata apud Athen. XII. p. 518 ſqq. Memorabilia in his inprimis haec: quod pueri vsque ad pubertatem purpura erant veſtiti et capillos redimitos aureo ornatu habebant (p. 518. E.): quodque pumiliones et catellos Melitenſes alebant (ibid. F.) Porro quod epulis publice praebitis coronis aureis honorati ſunt qui ceteros magnificentia apparatus ſuperaſſent, quid? quod et coqui (p. 519 D.) tum quod apparatum epularum in annum indixerunt (p. 521 C.D. de quo loco v. ſup. p. 150. cf. Valken. Oratt. p. 390.); quem fere in morem Syracuſis Verres indixerat feſtum Verrea, et *vt ad eum diem, quae ſacris epulisque opus eſſent, in complures annos locarentur:* Cic. in Verr. II, 21. Veſtium Mileſiarum, tenuitate et mollitie inſignium, inprimis vſum frequentatum ſupra (p. 130. cf. p. 33. *r*) vidimus. Tenuium enim veſtium ſtudium magnopere commendare debuit ſolis aeſtus in his locis vehementior; quem etiam noſtra aetate teſtantur, qui ea loca adiere: hinc tantus amor lanae exquiſitioris etiam apud Tarantinos et alios. Acceſſit mox, vt ſolet, ad vtilitatem luxus; et texturae exquiſitiori etiam colorum et figurarum intextarum artificium adiunctum eſt. Commendauit veterum admiratio veſtem ſumma

ſumma arte et magnificentia adornatam, qua in Laciniae Junonis panegyri Alciſthenes Sybarita aliquando ſe iactauit: qua potitus mox Dionyſius ſenior, cum vendidiſſet Carthaginienſibus, CXX talenta ſibi numerata accepit. Fac iam talentum 1100 vel 1200 thaleris noſtris aeſtimari, et collige pretium veſtimenti: ap. Ariſtot. Mirab. Audit. c.99. et inde Athen. XII. p. 541. A. Miro autem veterum hominum iudicio intextae erant formae humanae et diuinae: de quibus v. ad e. l. Ariſtot.; vtrinque in ora extrema hinc *Alciſthenes* inde *Sybaris* expreſſa erat: muliebri haud dubie ſpecie. Ap. Pauſan. VI, 6. in priſca pictura adumbratus erat *Sybaris adoleſcens* cum fluuio Calabro, fonte Calyce, Junone et Temeſſa vrbe: ſcilicet ibi fluuius Sybaris redditus fuiſſe videtur. Etiam Noſſis in Junonis Laciniae templo *βύσσινον εἶμα* a ſe et filia textum dedicauerat epigrammate, quod inter iſtius poetriae fragmenta habetur, quodque iam Bentleius protulit ad Phalaridem p. 356. *Thurios Athenienſium coloniam* videri voluiſſe vidimus, quo ipſo cauſſa in aperto eſt, cur numi eorum Palladis capite ſignati ſint, mox *Apollinis* coloniam haberi coeptam: Proluſ. VII. ext. p. 141. Eo ſpectare videntur numi Thuriorum ex aere paruo, in quibus caput Apollinis laureatum cum tripode vel cum cithara viſitur. Reliqui Thuriorum numi fere taurum cornipetam exhibent, adiecto interdum monogrammate aut ſiglis magiſtratus nomen, vt probabile fit, deſignantibus; at antiquiores Sybaritae taurum gradientem capite retrouerſo; hi quidem antiqua arte, altero typo eminente altero depreſſo.

Achaeo-

Digitized by Google

Achaeorum coloniam Thurios edit Livius (XXV, 15, 7) et Scymnus Chius (v. 325), aut confuſis cum iis veteribus Sybaritis, aut reſpectu ad eos habito, qui ex iis ſuperſtites nouae coloniae interfuerant.

Diſcordiam in noua colonia ortam habuiſſe fomitem ex ſodalitatibus, colligere licet ex loco Platonis *a*). Cum noui coloni ex diuerſis Graeciae partibus confluxiſſent, dubitari non poteſt, etiam Lacedaemonios in iis fuiſſe; minus tamen recte Laconica inſtituta iis tribuit Philoſtratus *b*); hominem leuis fidei notaſſe ſatis eſt.

Iunonem inſigniore cultu apud Sybaritas fuiſſe habitam ex iis colligere licet, quae apud Athen. XII. p. 521. E. F. et alibi leguntur; iratam ipſis ex eo, quod in eius conſpectu caeſi erant ſupplices: quo facto ſimulacrum deae ſe auertit. Eſt hoc illud μήνιμα τῆς Λευκαδίας Ἥρας, quod non niſi trina vrbis euerſione expiari potuiſſe ex Apollinis reſponſo refert Plutarch. de ſera num. vind. p. 557. C. vbi v. Vir doctiſſ. Wyttenbach. in ed. libelli p. 65. habuiſſe vero euentum ſors videri potuit priſcis colonis a recenter adſcriptis in Thuriam internecione deletis v. ſup. Proluſ. VII. extr. At Junonem *Leucadiam* in his oris quis ferat? Leg. τῆς Λακινίας Ἥρας. Lacinia Juno promontorio ac templo vicino in Crotoniatarum agro ſatis nobilis fuit.

Poetas

a) Plat. de LL. I. p. 636. (Bip. p. 27.) ἐπεὶ καὶ τὰ γυμνάσια καὶ τὰ ξυσσίτια πολλὰ μὲν ἄλλα νῦν ὠφελεῖ τὰς πόλεις, πρὸς δὲ στάσεις χαλεπά. δηλοῦσι δὲ Μιλησίων καὶ Βοιωτῶν καὶ Θουρίων παῖδες.

b) Philoſtr. V. Apollon. III, 15. Thurios refert inter eos qui comas alunt et ὅσοις τὰ Λακωνικὰ ἦν ἐν λόγῳ.

Poetas vel ſcriptores e Thuriis aut Sybaritis memoratos non meminimus, praeterquam quod inter Pythagoreos Deanax, Diocles, Euaeus, Euanor, Meneſthius, Ptolemaeus, Proxenus, Timaſius, Tyrſenus, aut potius Tyrſenis, femina, Sybaritae: Hippodamus autem (cuius etiam fragmentum e libro περὶ εὐδαιμονίας in Stobaeo extat) et Perilaus Thurii recitantur. Apud Theonem in Progymnaſm. c. 3. p. 29. ed. L.B. 1626. memoratur inter veteres μυθοποιοὺς Θοῦρος ὁ Συβαρίτης. De homine hoc nil conſtat, at *fabularum Sybariticarum* fit mentio et alibi. v. Fabric. vbi de Aeſopo. *Clitonymum* ſcriptorem rerum Sybariticarum memini ap. Plutarch. Parall. p. 310. Opp. To. II. Fuere etiam *Metagenis* Comici Θουριοπέρσαι drama, cuius verſus aliquot apud Athen. VI. p. 269. F. extant: videntur voce hac *euerſores Thuriorum* declarari; de argumento tamen nihil conſtat.

X.

X.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE
PRORECTOR
JO. STEPHANVS PVTTER
CVM SENATV
SVCCESSOREM SVVM
JO. PETRVM MILLER D.
CIVIBVS COMMENDAT
IN A. D. II. JULII CIↃIↃCCLXXIV.

De Crotoniatarum rep. et inſtitutis agitur.

Non eo, quo par eſt, nomine praeſcripto, Cives amantiſſimi, ad ſollennia haec, quibus magiſtratus academici eiusque inſignium publice fiet translatio, vos vocamus celebranda. Avreri nomen in fronte gerere debebat libellus hic: viri de academia noſtra, ſi quis alius, per longum annorum decurſum meritiſſimi, comitate cum grauitate coniuncta, ingenii amoenitate, vitae elegantia, in prouectiore quoque ſenectute, ſingulari conſpicui. Septimum ille Prorectoratus vicibus ſuſceptis, in ipſo muneris decurſu, mortalibus curis ereptus eſt morte

morte matura quidem, bonis tamen omnibus acerba et luctuoſa. Abdicauerat ille ſe magiſtratu, paullo ante diſceſſum ſuum, cuius onus inde ſubiit is, cuius nomen nunc praeſcriptum huic tabulae videtis, Ciues. Inſtat tamen nunc illud tempus, quo, ipſo ducente ordine, noſtris ſuffragiis, Regia auctoritate accedente, mandatus magiſtratus academicus transferetur in Virum Summe Reuerendum,

JO. PETRVM MILLER D.

cuius paternum in vos animum, beneuolentiam et caritatem, praedicandam etiam ex hoc loco putaremus, Ciues, niſi vos eam iam ſatis notam et exploratam habere ſciremus. Ducendae autem pompae in templum academicum ſplendor ſuus ac frequentia vt adſit, facietis vos. Comites Illuſtriſſimi, generis, ingeniorum morumque ornamentis decoratiſſimi iuuenes, ſi coetui noſtro intereſſe dicentesque e pulpito oratores corona veſtra cingere non grauati fueritis. Atque hoc erat, quod rogatos vos eſſe volebamus humaniſſime. Nunc quandoquidem academico ex more academicis ſollennibus docta diſputatione proludendum eſt, ad respublicas et leges reuertemur, quarum commemorationem facere ſuperioribus annis exorſi eramus.

Locros ac Thurios egregie legibus et inſtitutis inſtructos vidimus. Fuere aliae Magnae Graeciae ciuitates opibus et hominum rerumque copiis florentes: ſed inuidit nobis fortuna accurate perſcriptas harum ciuitatum hiſtorias, multoque adeo magis narrationem de earum ſtatu, inſtitutis ac legibus;

gibus; vt pauciſſima adeo ſint, quae ad conſilium noſtrum ſpectantia de iis commemorari poſſint.

Vniuerſe tamen illud ab initio tenendum, ciuitates has profectis e Graecia colonis frequentatas haud dubie leges ac mores metropoleon ſuarum retinuiſſe: poſſe adeo, quotiescunque alia monumenta deſint, iudicium de iis ferri ſatis tuto, ſi, vnde deducta fuerit quaeque colonia, docueris: iisdem enim legibus et inſtitutis inſtructa ea fuit, quibus auctores vſi erant, vnde originem ducebant: quae ipſa res forte fecit, vt de earum vrbium inſtitutis nihil memoratum ſit a ſcriptoribus.

Quandoquidem itaque ſemel haec ſpatia ingreſſi ſumus, recenſebimus Magnae Graeciae ciuitates et inquiremus paullo diligentius, vnde vnaquaeque profecta ſit, ſubiiciemusque ſi quid memoratu dignum de eius ſtatu et deſcriptione occurrerit.

Croton, quae inter ceteras Magnae Graeciae vrbes eminuit, primordia habuit primis ſtatim temporibus, quibus Italiam et Siciliam coloniis frequentauit Graecia. Nec refert ſi non in eundem ipſum annum conſentiunt ſcriptores in origine vrbium, quae ad plures annos ex ipſa rei natura referri poteſt, prout primum acceſſum, vel deſcripta moenia ac domos, vel abſolutam ac conſtitutam ciuitatem quis reſpexerit. Dionyſius Halic. II, 59. qui in temporum notatione diligentiſſimus eſt, conditam refert Crotonem Ol. XVII, 3. (a. C. 710. V. C. 44). Neque ab hoc recedit Euſebius in Chron. Hieron. Vallarſ. qui ſub Ol. XVII, 4. retulit: Scaliger

liger ad Ol. XIX, 2. retraxit: *Croton et Parium et Sybaris conditae a*). Minus adeo acccurate Antiochus Syracuſanus, vetus de rebus Italicis ſcriptor, (apud Strabonem lib. V. p. 402. C. 403. A.) Archiam, cum ad Syracuſas condendas contenderet, ad haec loca acceſſiſſe narrabat eo ipſo tempore, quo Croton conderetur; XXV enim annis maturiora Archiae ſunt tempora, qui Ol. XI, 2. Syracuſas condidit. Ferendum in tam remotis aetatibus non adeo ſubtiles eſſe veteres, quin Myſcellum et Archiam aequales et eodem tempore domo profectos edant *b*). Inhabitabant tum illa loca Japyges (Strabo VI. p. 403 A. ex Ephoro). In conditore conueniunt ſcriptores *Myſcello*, vel *Myſcelo*; habuit patriam Rhypes Achaiae vrbem *c*) [Strab. VIII. p.

593

a) cf. Progr. *de Sybar. ac Thurior. rep. et legg.* Sect. I. Ceterum de Crotone multa collegerunt Golzius, Cluverius, Vindingius modo criticam ſubtilitatem adhibuiſſent.

b) Strabo l. c. p. 402 C. oraculum ex Antiocho Syracuſano laudat Myſcello datum, ne Sybarin praeferret. Forte ex eodem Antiocho petita eſt altera narratio apud eundem Strabon. p. 413. ſ. 414. et Stephan. in Συρακοῦσαι et Zenob. III, 42. Svid. et al. de optione ab Apolline data, et praelatis ab Archia diuitiis, a Myſcello ſalubritate. Diuerſum ab his oraculi caput de promiſſa coloniae duci ſobole v. ex Dicaearcho ap. Jamblich. V. P. 52. Salubritatem caeli Plinius quoque teſtatur lib. II, 96 ſ. 98. Alia fabula de imbre per caeli ſerenitatem facto ap. Suidam in Μύσκελος, et Schol. Ariſtoph. Nub. v. 370. legitur: quam de Phalantho, Tarenti conditore, Strabo et Pauſan. tradunt.

c) Minus accurate, quippe vt poëta, *Argolicum*, Alemonis f. edit Ovidius Met. XV, 19. vbi fabulam de hoc Myſcello exponit. Heroëm tamen *Crotonem* celebrauit

 lebrauit

593 C.] et coloni, quos adduxit, fuere *Achaei.* [Strabo l. c. Herodot. VIII, 47. Scymnus Chius v. 322. qui eam vna cum Crotone, Pandoſia, Thuriis et

lebrauit antiquitas, eſtque hoc ſolum, quod ex Heraclidis Politicis ſeruatum habemus: *Κρότωνα ἐξ ἀρχῆς Κρότων ὤκισεν.* *Κροτων οικιστας* praeclare vindicatus eſt in numo ab Ekhel V. C. nuper in Sylloge I. p. 11. Alia fabula eſt, *Herculem* in haec loca veniſſe Geryonis boues abigentem. v. Jamblich. V. P. ſ. 50. Certe is fuit Crotoniatarum *ἥρως ἐπιχώριος* idemque in eorum numis paſſim conſpicitur, modo puer angues elidens, modo ſedens ſcyphum effundens, modo alio habitu. Sed haec cognoſcere licet vel ex Raſchii Lexico numiſmat. voc. Croton. Eſt in hoc numorum genere apud Magnan. Brut. numiſm. t. 119. vnus ex aere mediae formae, cum capite Herculis iuuenili, ΚΡΟ et altera parte tripus, adſcripto ΣΥ. Sybarin foedere iunctam *d'Hancarville* recte agnoſcit (*Recherches ſur les Arts de la Grece* T. II. p. 458 ſq.) verum ad antiquiſſima tempora numum refert. Sed vir doctus in toto illo loco ac capite tam miſere temporum rationes turbat ac miſcet, vt nihil omnino ex eius rationibus confici poſſit. Paullo ante Ol. LV. numum cuſum probabile fiet ex iis, quae inf. dicentur. Alia, quae in Crotoniatarum numis occurrunt, ſymbola partim Apollinem, cui templum Crotone fuiſſe patet de Mirab. Audit. 115. partim Jovem eiusque cultum et honorem arguunt; occurrit etiam Junonis Laciniae caput, cuius templum in vicinia erat. Bellerophontem in numo exhibuit Ekhel N. V. anecd. I. t. III, 24. qui originem Achaicam arguit; Achaiae enim accenſa antiquitus Corinthus; cui Bellerophon heros indigena. Nam Archiam Corinthium ad Crotonem nil ſpectare iam monitum eſt. Ad eandem originem referre licet, puto, vſum *τοῦ ϙ Koppa* in nomine ϙο. Sunt inter antiquiores ex genere eorum numorum, quos *incuſos* vocant. Ab eodem V. C. in Sylloge Vol. I. tab. I, 12. numus Crotoniates proditus eſt, cuius altera parte tripus cum candelabro et litterae ΡΑ antiquo ductu, quas ille ΔΑ legit, et ex Theocriti verſu

Digitized by Google

et Metaponto inter Achaeorum colonias fuiſſe docet] *d*). Iam autem Achaeos non modo ſerius foedere ac ſocietate plurium ciuitatum facta, verum etiam antiquitus populari ſtatu ciuitates ſuas moderatos eſſe ſatis conſtat vel ex Polybio (lib. II, 41), qui ſanioris democratiae exemplum eos proponit vnicum *e*). Itaque cum coloniae vrbium, vnde deductae erant, iura moresque retinerent, manifeſtum

verſu Id. IV, 32. Zacynthum aduocat. Nec tamen niſi caſu vrbes in eo verſu iunctae occurrunt. Scholium inepti hominis eſt. De Pandoſia cogitabam, cuius cum Crotone nomen iunctum in alio numo ap. Magnan. Brutt. t. 87. occurrit.

d) Pauſanias tamen Lacedaemone coloniam Crotonem deductam memorat, vna cum altera, Locros Epizephyrios ducta, circa annum a. C. 723. Polydoro regnante lib. III, 3. nec diu poſthaec Tarentum conditum.

e) Obſcura eſt omnis antiquior Achaiae memoria: itaque nec ſatis accurate definiri poſſe video, a quo tempore Achaiae vrbes populari ſtatu vſi ſint. Locus Polybii laudatus, qui cum Strabone (atqui is ex iſto petiiſſe videtur lib. VIII. p. 589. A.) vnicus eſt hac de re, nam in Pauſ. VII, 1. et 6. nihil, quod huc ſpectet, reperio, is, inquam, inde a Tiſameno Oreſtis f. reges habuiſſe Achaeos teſtatur vsque ad regem Gygen, cuius filios auerſati illi reip. ſuae formam in popularem ſtatum mutarunt, quem vsque ad Alexandri tempora retinuere, quando diſcordia vrbium conſilia diſtraxit, donec reſtitutum eſt antiquum illud vrbium foedus, adſcitis mox aliis ciuitatibus. Gyges ille quo tempore vixerit, expreſſam memoriam reperimus nullam. Polybius c. 42, vbi concludit ſuam de antiquioribus Achaeorum temporibus narrationem, ſe docere voluiſſe ait *διότι μία τις ἀεὶ τῶν Ἀχαιῶν αἵρεσις ὑπῆρχε*, et ea quidem ad libertatem et aequalitatem comparata. Tyranni, qui ante reſtitutam veterem remp. per Macedonum artes et fraudes extiterant, non niſi ad nouiſſima tempora ſpectant.

feſtum fit, nec Crotonem alio ciuitatis ſtatu quam populari eſſe vſam legesque ad eum attemperaſſe. Si vero popularem ſtatum dicimus, democratiam, non ochlocratiam dicimus. Habuit Croton ſuos Magiſtratus, habuit ſuum Senatum, τῶν Γερόντων, quem cIↃ virorum fuiſſe, e Dicaearcho apud Jamblichum V. P. ſ. 45. et Porphyrium V. P. ſ. 18. comperimus. Agi quoque de re grauiore in Senatu et ad populum videmus in iis quae de exulibus a Sybaritis repetitis narrantur ap. Diod. XII, 9. Alia ex iis colligere licet, quae de ſeditione a Cylone in Pythagoreorum exitium concitata ex Apollonio narrantur (ap. Jamblich. ſ. 257.) loco praeclaro. Erat enim inter Crotoniatas factio, quae nouas res in rep. moliebatur: *vt promiſcue ad magiſtratus et comitia omnes admitterentur* f): quo patet, remp. Crotoniatarum ita fuiſſe deſcriptam, vt ex cenſus ſeu ex alia ratione ciuium ordines eſſent conſtituti, ſeu claſſes, ex quibus infimae ne ad comitia quidem admitterentur, multo minus omnibus promiſcue magiſtratum petere liceret. Porro ab iis poſtulabatur, vt ii, qui magiſtratu abirent, apud certos ex omni multitudine ſorte lectos viros rationem eorum, quae geſſiſſent, redderent. Circumſcribere adeo magiſtratus opes voluit plebis factio. Fortiter reſtitere Pythagorei, ita enim ſolui remp. a maioribus acceptam. Superior tamen fuit altera factio, incenſa plebe criminationibus in Pythagoreos iactis. Ex eodem loco (ſ. 160) intelligitur,

f) Sane hoc ex latina verſione et ex contextu conſtat: in Graecis vero vitioſa eſt oratio. Saltem ὑπὲρ τοῦ παντὸς κοινωνεῖν legendum eſt πάντας.

gitur, in comitia populi (εἰς ἐκκλησίαν) nec prodire nec quicquam ferre licuiſſe, niſi Senatui CIↃ virorum antea approbatum eſſet. Nec receſſiſſe eam ab hac reip. adminiſtrandae ratione ſerioribus temporibus, infra videbimus.

Egregie ſita fuit vrbs, muris et arce inſtructa (v. Liv. XXIV, 3), portu quidem idoneo deſtituta, vt tamen ſtationes nonnullas haberet aeſtiuas nauibus appellendis idoneas, quae portus deſiderium tollere poterant (Polyb. lib. X. Exc.). Ciuium frequentia prae aliis ciuitatibus claruit *g*). Floruit inprimis ſtudiis bellicis et gymnicis, et fuere plures Olympicis aliisque certaminibus victores ex hac vrbe (Strabo VI. p. 403. A. B.): inter quos Milo facile celeberrimus fuit, quem Ol. LXII. aliisque ſtadio viciſſe conſtat. Suſcepit ea quoque aliquando ſapientiae ſtudia. Eadem enim aetate Pythagoras Crotonem adierat, cuius diſciplina tum aliis locis, tum Crotone maxime, morum et inſti-

 tutorum

g) Scymnus Chius 322. *ἡ πρὶν εὐτυχεστάτη εὐχυδροτάτη πόλις τε γενομένη, Κρότων.* Non dubitamus cum Hoeſchelio legendum eſſe *εὐτειχεστάτη*, etſi cauſſam ille non attulit. Felicitatem de ea vrbe nemo praedicauit: fabulam adeo paullo ante attigimus ex Strabone et Stephano Byzant. qua opes et diuitiae Syracuſis, Crotoni bona valetudo ab Apolline fuit aſſignata. Nec aliter putamus accipiendum Dionyſ. Periegeten O. D. v. 369. *Ἱμερτόν πτολίεθρον ἐϋστεφάνοιο Κρότωνος*: eſt Croton muris bene cincta, vt Homerus et alii hac voce vſi. Euſtathius tamen de victoriarum coronis accepit. Inter aedificia publica eſſe debuit *Muſarum templum*, quod Pythagorae ſuaſu exſtructum ferebatur v. Jamblich. ſ. 45 et 264. e Dicaearcho; item Apollinis. v. Ariſtot. not. c).

tutorum magnam mutationem feciſſe dicitur; de qua paullo poſt pluribus dicetur. Inter Pythagoreos itaque, quorum nomina habentur, magnus numerus eſt eorum, quibus patria Croton adſcripta legitur.

Celebratiſſima eſt *Crotoniatarum clades ad Sagram* fluuium a Locris accepta, de qua copioſe tradidit Juſtinus XX, 2 ſq. (Adde Strab. VI. p. 400. B. C. Cic. de N. D. II, 2. Suidam in ἀληθέστερα, et hinc inter Adagia Gr. Schotti e Suida, II, 2. add. ibid. Zenob. Cent. II, 17. vbi v. Schott. Plutarch. in Aemil. p. 268 C.) Temporum tamen notationem nemo veterum adſcripſit *h*). Si tamen curioſius conquiras et compares ea, quae de hac clade narrantur, dubitari nequit, ad antiquiora tempora eam eſſe reuocandam, Sybaritarum rebus adhuc florentibus; etiam Pythagoras poſt illam cladem Crotonem adiiſſe memoratur Juſtino, vt adeo Ol. LX antecedere illa debuerit. Adeſt etiam ad manus alia temporis declarandi ratio, etſi ſubtilior, ex Pauſan. III, 19. (add. Conon. c. 18.) vbi fabulam de Helena ex mente Himeraeorum et Crotoniatarum exponit: Leonymum memorat *in praelio cum Locris* vulneratum ex Apollinis monito Leucen, Achillis inſulam, circa Iſtri oſtia nauigaſſe; vnde reducem

h) Strabo etiam addidit nonnulla (p. 403 B. et 400 C.) quae rem multo magis implicant et obſcurant. *Eam*, inquit, *cladem cauſſam fuiſſe aiunt, cur Crotoniatae paullo poſt diſſoluerentur, ob multitudinem eorum qui ceciderant.* Atqui non modo diutiſſime resp. Crotoniatarum poſthaec perſtitit: vt infra videbimus: ſed et ciuium multitudine opibusque effloruit.

reducem iuſſum a dea Steſichoro nuntiare, cauſſam amiſſorum oculorum ei fuiſſe iram Helenae. Steſichorus autem obiit Ol. LV, 1. vel vt Scaliger edidit Ol. LVI, 1. a. C. 556. Multo itaque antiquior, et ſaltem L annis Sybaris excidio prior eſt, clades ad Sagram accepta. Cauſſae autem belli, quo haec clades accepta eſt, hae fuere: Primum Metapontini cum Sybaritis et Crotoniatis Sirim expugnarant *i*) et ſupplicibus ad Mineruae ſimulacrum trucidatis iram deorum in ſe concitauerant. Pergit Juſtinus: *Recuperata ſanitate* (ex peſte) *non diu Crotonienſes quieuere. Itaque indignantes, in oppugnatione Siris auxilium contra ſe a Locrenſibus latum, bellum his intulerunt.* Narrat inde reliqua, et factum ad Sagram praelium, ad quod Crotoniatae CXX millia *k*)

M 5 arma-

i) Sirin in Crotoniatarum poteſtatem ceſſiſſe ex numo colligit d' Hancarvill. l. c. qui vna parte Crotonis, altera Siris nomen refert pl. XXX, 9. Admittemus hoc; verum non valde antiqua tempora numum redolere, res ipſa docet, quod non multum ante LV. Ol. omnia iſta, quae de Siri expugnata narrantur, euenere. De bello et piaculo v. Juſtin. l. c. XX, 2. cf. Schol. Lycophr. 987 qui rem paullo poſt tempora Troiana factam narrat; perperam. At referunt alii hoc ἄγος ad Iones. v. inf. Proluſ. XIII. de Siri.

k) Strabo l. c. VI. p. 400. CXXX millia, et Locrorum X m. memorat, ſed adfuiſſe his miſſa auxilia a Rheginis. Ceterum facta eſſe pugna fertur eodem menſe ac die, quo ludi Olympii facti v. Cic. de N. D. II, 2. Plin. VII, 22. Plut. in Aemilio Paullo p. 268. D. qua tamen Olympiade id contigerit, nusquam adiectum. At Juſtin. XX, 3. eadem qua pugnatum eſt die, et Corinthi, et Athenis et Lacedaemone, nuntiatam eſſe victoriam. Sed hoc vulgo de multis praeliis fuit narratum. Magno ciuium numero in hac pugna caeſo Crotonem minus bene habitatam eſſe Strabo narrat l. c. ſub *h*). De pugna cf. ſup. p. 55.

armatorum, Locri XV millia eduxerint. Hi tamen, deſperata ſalute, Dioſcuris opitulantibus, fortiter pugnantes victoriam obtinuerunt.

Pergit Juſtinus (ibid. c. 4): *Poſthaec Crotonienſibus nulla virtutis exercitatio, nulla armorum cura fuit: oderant enim quae infeliciter ſumſerant: mutaſſentque vitam luxuria, ni Pythagoras philoſophus fuiſſet.* Turbatur hoc loco rerum ordo egregie ab epitomatore Trogi. Nullam facit mentionem *belli cum Sybaritis geſti* et *Sybaris exciſae:* quae tamen ſerior fuit et in Pythagorae tempora incidit: quandoquidem facta eſt Ol. LXVII, 3. ante C. N. 510. Eam iam ſupra (p. 136. *de Sybar. et Thur. LL.* Sect. I.) attigimus. Narratum a Timaeo (apud Athen. XII. p. 522 A.) *exciſa Sybari* et ipſos Crotoniatas luxui ſe dediſſe: idem ad Crotoniatas traduxerat, quod alii Sybaritas feciſſe narrant, vt Olympicos ludos diſſoluere tentarent. Verum Crotoniatas, in luxuriem lapſos, Pythagorae auctoritate ad frugalitatem reuocatos, copioſe perſequitur Juſtinus (l. c. c. 4) conſequutumque philoſophum ait, *vt matronae auratas veſtes ceteraque dignitatis ſuae ornamenta, velut inſtrumenta luxuriae, deponerent, eaque omnia delata in Iunonis aedem ipſi deae* l) *conſecrarent, prae ſe ferentes, vera ornamenta matronarum pudicitiam, non veſtes, eſſe.* Forte haec eum in modum inter ſe comparari

l) *Iuno Lacinia* eſt, cuius templum opulentum in proximo promontorio erat: v. inpr. Liv. XXIV, 3. vnde etiam Junonem in Crotoniatarum numis conſpici paullo ante monuimus. Hoc fuit templum, quod cum picturis exornare vellent Crotoniatae, Zeuxin conduxere v. Cic. de Inuent. II, 1. 2.

Digitized by Google

comparari et conciliari a diſſenſu poſſunt, ſi ſtatuas: ſub acceſſum Pythagorae Crotoniatas luxuria ſolutos viri diuini auctoritate ad virtutem eſſe retractos; incidit inde bellum cum Sybaritis, quo tam praeclara virtutis ſuae documenta ediderunt Crotoniatae. Facit ſcilicet difficultatem in his ratio temporum turbata in iis quae de Pythagora traduntur *m*). Stabilitum nunc eſt aſſertum illud, a quo reliqua tantum non pendent, circa Ol. LX floruiſſe Pythagoram, eumque obiiſſe Ol. LXVIII vel LXIX. probabile porro eſſe, adiiſſe Pythagoram Italiam ſub Ol. LX. Quae itaque morum, inſtitutorum et vitae Crotoniatarum emendatio per Pythagorae diſciplinam ac ſodalitium facta eſſe dicitur *n*), victoriam de Sybaritis antecedere debuit; nam paucis poſt illam annis turbatum eſſe in Crotoniatarum rep. ſtatim videbimus. Subnata enim dudum in Pythagoreos odia eo tandem exarſere vt coniuratio in eorum exitium fieret: quo iure quoue iuris praetextu hoc in ciuitate legibus bene conſtituta fieri potuerit,

m) [Retractauit eam quaeſtionem et diligenter conſtituit poſt iſta ſcripta Collega coniunctiſſimus MEINERS *Geſchichte der Wiſſenſchaften in Griechenland u. Rom* I. B. p. 304 ſqq.]

n) [De hoc ſodalitio Pythagorae eiusque fructu ad Magnam Graeciam ne nunc aliquid interponam, facit docta Collegae noſtri Meiners ea de re diſputatio in *Geſch. d. Wiſſ. in Griech.* qui p. 398 ſqq. quo loco admodum diſerto cum Pythagorae praeclarum de humanitate bene merendi ſtudium, tum ſodalitii bona incredibilia in Magnae Graeciae ciuitates, tam viuidis coloribus deſcripſit, vt non niſi grauiter affecto animo hinc diſcedas, ſi reputes, quam paucorum (vix XXX) annorum ſpatio illa Pythagoreae diſciplinae bona perdurauerint.

Digitized by Google

potuerit, non liquido conſtat *o*). Tumultu facto impetum in eos fecit aduerſa factio eosque qui conuenerant domo incenſa cremauit, ceteros occidit aut in fugam coniecit. Incidit haec calamitas in extrema vitae Pythagorae; nam ipſe fuga elapſus, a Locris et Tarentinis excluſus, Metapontum ſe contuliſſe paulloque poſt, Ol. LXVIII, 2. vita migraſſe fertur *p*). Nec intra Crotonem ſe continuit hominum furor; ſed tanquam contagio per ceteras Magnae Graeciae ciuitates eſt graſſatus, collegiis Pythagorae incenſis, interfectis optimatibus, plebeque ſeditionibus et caedibus omnia miſcente *q*). Achaeorum tum fide ac conſiliis vſae ciuitates compoſuere diſſenſiones et calamitates: quod Polyb. II, 39 docet: vt adeo Crotoniatae et tum originis ſuae et neceſſitudinis cum Achaeis, a quibus ortos vidimus, memores ceteros

o) De cauſſis odiorum et irarum in familiares Pythagorae inter omnes diſertiſſime egerat Apollonius Tyanenſis, e quo v. excerpta ap. Jamblich. ſ. 254 ſq. Idem rerum geſtarum ordinem probabiliter expoſuit. Ex cauſſis, quae traduntur, probabilitatem habet inprimis illud, quod, Sybari capta, ex diuiſione agrorum inter plebem, nata eſſe odia in Pythagoreos dicuntur, cum eſſent, quorum cupiditas non erat expleta; quodque ſe ſperni et excludi a Pythagoreorum conſortio, etiam ſanguine iunctis, indignabantur multi; iidemque ſe factioni, quae plebem in ſuas partes traxerat, adiungebant.

p) [Meiners l. c. p. 368. malit Ol. LXIX. ineunte, vel LXVIII exeunte.]

q) v. Polyb. II, 39. Juſtin. XXX, 4. Porphyr. e Dicaearcho, et Jamblich. 248 ſq. ex Ariſtoxeno, et ſ. 254 ſq. ex Apollonio: ex hoc quidem diſertiſſime. Multa vero in his in maius aucta eſſe tum horum hominum mos in reliquis arguit, tam comparatio inter plures facta. [v. Meiners p. 472 ſq. et Tiedemann. p. 334 ſq.]

Digitized by Google

ceteros ad ſuum conſilium et voluntatem traxerint. Rem inde eos publicam ſatis proſpere adminiſtraſſe credere licet. Fuit ex eorum ciuibus Democedes, qui cum Polycrate Samio ad Oroeten profectus, Satrapam Aſiae minoris, anno a. C. 522. Ol. LXIV, 3. mox Suſa ad Darium fuit adductus. Herodot. III, 125. 131 ſq. vbi ſimul diſcimus Crotoniatas medicos ex eo inter ceteros principatum tenuiſſe, vt altero ab iis loco Cyrenaei medici haberentur *r*). Opulentos Crotonem ciues habuiſſe, exemplo Phaylli intelligitur, qui ſuis ſumtibus (non publice miſſam, vt Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. 369 male interpretatur) inſtruxit nauem, quae praelio ad Salaminem (a. C. 480) interfuit: v. Herodot. VIII, 47. Pauſan. X, 9. Aliud exemplum ciuis ex hac vrbe, qui nauem ſuo ſumtu inſtruxit, Philippi vid. ap. Herodot. V, 47. Simile quid ei, quod paullo ante commemorauimus, *aliquanto poſt* *s*) factum Polybius l. c. ſubiicit: Crotoniatas cum Sybaritis et Cauloniatis ad Achaeorum exemplum foedere facto communes conuentus et concilia ad Jovis Homonoei aedem inſtituiſſe et ad eorum morem de communibus rebus communi conſilio egiſſe. Factum hoc ſuſpicamur paullo poſt Ol. LXXX, 3. Thuriis iam in locum Sybaritarum noua colonia conſcriptis, quando cum Crotoniatis amicitia et foedere eos iunctos fuiſſe narrat Diodor. XII, 11. Renouatum hoc foedus aut ſimile aliud ictum ſub a. Ol.

r) Pythagorae diſciplinae hoc debitum: v. ibid. p. 480.

s) *μετὰ τινας χρόνους.* Alteram tamen tunc ſeditionem factam ignoro: quam ap. Tiedemann. p. 338. narrari video.

a. Ol. XCVI, 4. cum de altero Dionyſii ſenioris in Italiam aduentu metus eſſet, cui ſe adiungere velle videbantur Lucani: rem narrat Diod. XIV, 91. Lucanis igitur anno hinc tertio Ol. XCVII, 3. Thuriorum agros incurſantibus ſtatim ſuccurrunt armis ſocii. Ita enim Graecae per Italiam ciuitates pactae inter ſe erant, vt vnius ex ipſis agro a Lucanis vexato omnes ad eius defenſionem occurrerent, ſin vrbs aliqua paratas ad ſubſidium copias non haberet, eius magiſtratus, στρατηγοὶ, capite plecterentur. Hactenus Diod. XIV, 101. Receſſiſſe ab hoc foedere tandem Graecos, narrare pergit Polybius, invitos et coactos partim a Dionyſio Syracuſanorum tyranno, partim barbarorum vicina loca tenentium potentia. Quid Crotoniatae calamitatis inter haec acceperint non conſtat. At ex Dionyſii Halicarn. fragm. p. 715. Cliniam Crotoniaten patriam tyrannide oppreſſiſſe diſcimus. Factum neceſſe eſt paullo ante Anaxilai Rhegini tempora, qui circa a. Ol. LXXI, 3. a. C. 494. Rheginorum dominationem arripuit.

Inter haec Crotoniatae eodem tempore, quo ad Achaeorum exemplum remp. foederatam ciuitatum conſtituerant, *mores quoque legesque Achaeorum adſciuiſſe et ſuam ciuitatem ad eorum morem et exemplum adminiſtraſſe t)* memorantur. Quo facto meliorem fortunam experti iterum opibus ac viribus effloruerant. Itaque ſub Dionyſii maioris expeditionem in

t) Polyb. II, 39. δεύτερον, τοὺς ἐθισμοὺς καὶ νόμους ἐκλαβόντες τοὺς τῶν Ἀχαιῶν, ἐπεβάλλοντο χρῆσθαι καὶ διοικεῖν κατὰ τούτους τὴν πολιτείαν.

in Italiam (Olymp. XCVII, 4. a. C. 389. factam) cum Graeci, etſi clade a Lucanis ſuperiore anno accepta attriti, copias contraxiſſent, quibus tyranno ad Cauloniam occurrerent, imperium detulere Crotoniatis (v. Diodor. XIV, 103 ſq. Iuſtin. XX, 5.): Parum feliciter mox ab iis pugnatum ducente aduerſus hoſtem copias Helori. Dionyſius tamen praeter morem clementia vſus foedus ac pacem cum Graecis iniit (v. Diodor. ibid.). Crotonem vero et Rhegium eum expugnaſſe et iis vrbibus per XII annos dominatum eſſe, ex Dionyſii Halic. fragmento diſcimus (in Excerpt. p. 715.). Addit idem tyranni metu alias vrbes barbaris (h. e. Lucanis et Bruttiis) ſe dedidiſſe, alias ab his afflictas Dionyſio ſe adiunxiſſe, omninoque miſere afflictam fuiſſe hoc tempore Magnam Graeciam. Arcem Crotonis *per auerſas rupes a Dionyſio per dolum* eſſe captam Liuius alio loco memorat XXIV, 3. Vt adeo non pactione ſed vi ac fraude captam Crotonem neceſſe ſit. Iterum afflicta eſt Croton ab Agathocle. Primum vrbi a Bruttiis obſidione preſſae auxilia miſerant Syracuſani ducibus Heraclide Soſiſtrato, qui paullo poſt rerum ſumma Syracuſis potitus eſt. Militabat ſub iis Agathocles tribunus militum; is deductis ex Italia copiis remanſit, et Crotonis occupandae conſilia iniit, ſed ſpe deiectus vix cum paucis Tarentum euaſit: Diodor. XIX, 3. 4. Referenda haec arbitramur ad annos Olymp. CXIV, 4. CXV, 1. a. C. 321. 320. nam ad horum annorum geſta, quae ex Diodoro lib. XVIII, 43. 44. exciderunt, haec pertinuiſſe neceſſe eſt. Ex iis autem, quae alio loco lib. XIX, 10. Diodorus ſumma-

tim

tim attigit, intelligitur, fuiſſe tum in vrbe duas factiones, quarum altera ad Soſiſtratum et Heraclidem Syracuſanos inclinaret: ea, vrbe eiecta *u*) nihil omiſit, quo ſibi reditum pararet. Itaque Crotoniatae pactione cum Bruttiis facta aduerſus exſules arma conuerterant, protractoque iam in alterum annum bello Paronem et Menedemum copiis praefecerant. At ii profectos a Thuriis (ab his itaque fuerant recepti) exſules internecione deleuere.

Cum aliquo tempore poſt Agathocles ſummam rerum Syracuſis obtinuiſſet, conſilia de Crotone et ceteris Italiae vrbibus occupandis noua iniit. Facile enim eſt ad aſſequendum, ei, qui Siciliae regnum ſeu teneret ſeu affectaret, ad opes ſuas firmandas admodum opportunum fuiſſe, vt Italiae inferioris vires adiunctas ſibi haberet. Corcyram ille a Caſſandro Macedonum rege obſeſſam liberaverat, circa annum a. C. 300. V. C. 454. Olymp. CXX, 1. Vnde redux factus nouis copiis naualibus coactis altero, quod probabile ſit, anno, a. C. 299. Italiam traiecit, et Crotonem, cum per fraudem a munienda vrbe animos abduxiſſet, obſedit. Ad vrbem defendendam cum imparati eſſent, Crotoniatae tandem portis recipiunt Agathoclem cum copiis: at illae irruptione facta caedibus ac rapinis ſaeuiunt. Praeſidio in arce relicto Syracuſas repetiit tyrannus: Haec Diodor. Eclog. lib. XXI, 4, vbi ducto ad vrbem exercitu miſiſſe narratur *ad Menedemum Crotoniatarum tyrannum ſibi amicum*

u) ἐκπεπτωκότας τῶν πολιτῶν ὑπὸ τῆς δημοκρατίας appellat Diodor. l. c.

cum x); quod propriene ſit accipiendum, an ille princeps populi ac demagogus fuerit, dicere non habemus. Traiecit paullo poſt iterum in Italiam Agathocles, ſed vt aduerſus Bruttios copias duceret: v. Diodor. l. c. num. 8.

Tandem inciderunt tempora aduentus Pyrrhi in Italiam, quo cum omnino Magnae Graeciae ſumma vaſtitas eſt facta, tum vero Croton, cum antea murum in circuitu XII. m. paſſuum patentem habuiſſet, vix dimidia parte habitari coepit: v. Liv. XXIV, 3. Occupata fuerat Croton per inſidias a P. Cornelio Rufino Coſ. V. C. 477. ante C. N. 277. Mox Romana legio, quae cum Decio Jubellio Rhegium occupauerat, Crotonem prodentibus quibusdam cepit, praeſidium Romanum trucidauit, vrbem diripuit v. Zonaras VIII. p. 377. Receptam tamen vrbem, cum a perfidis legionariis, qui Rhegium tenuerant, poena ſumta eſſet a Romanis V. C. 482. credere libet.

Iniquiorem adhuc fortunam cum ceteris Magnae Graeciae ciuitatibus experta eſt Croton bello Punico II. Poſt pugnam Cannenſem (V. C. 538, a. C. 216.) defecerat illa cum aliis ad Poenos (Liv. XXII, extr.). Ceperunt paullo poſt vrbem Bruttii, qui et ipſi in Poenorum partibus erant: Liv. XXIII, 30. *vrbem opulentam quondam armis virisque, tum*

x) πρὸς Μενέδημον τὸν Κροτωνιάτην τύραννον. Fuit is idem ille, quem modo copiis aduerſus exſules eductis cum Parone praefuiſſe vidimus.

tum iam adeo multis magnisque cladibus afflictam, vt omnis aetatis minus XX millia ciuium ſupereſſent: itaque vrbe a defenſoribus vaſta facile potiti ſunt hoſtes: arx tantum retenta. Exceſſiſſe mox iterum Bruttios vrbe neceſſe eſt: nam anno ſequente ii denuo eam obſederunt captamque diripuerunt, v. Liv. XXIV, 2. 3. *Crotone tum nec conſilium vnum inter populares, nec voluntas erat. Vnus velut morbus inuaſerat omnes Italiae ciuitates, vt plebes ab optimatibus diſſentirent: ſenatus Romanis fauerent, plebs ad Poenos rem traheret.* Erat adeo adhuc illa aetate ea reip. Crotonienſis forma, vt magiſtratus cum ſenatu eſſent nec promiſcue in eum conſcriberentur omnes ciues, verum qui ſeu cenſu ſeu genere aliis praeſtarent. *Eam diſſenſionem in vrbe perſuga nuntiat Bruttiis: Ariſtomachum eſſe principem plebis tradendaeque auctorem vrbis, et in vaſta vrbe lateque omnibus diiectis moenibus partitas ſtationes cuſtodiasque ſenatorum ac plebis eſſe; quacunque cuſtodiant plebis homines, ea patere aditum. Auctore ac duce perſuga Bruttii corona cinxerunt vrbem, acceptique a plebe primo impetu locos omnes praeter arcem cepere: arcem optimates tenebant.* Quae cum a Bruttiis diu obſeſſa eſſet, tandem Locrenſes legati Crotoniatis perſuadent, vt traduci ſe Locros paterentur. *Ita Crotone exceſſum eſt; Locros omnis multitudo abeunt.*

Factum adhuc eodem bello Punico ſecundo vnum et alterum praelium in agro Crotonienſi; vnde facile intelligi poteſt, vaſtitatem agrorum eam factam eſſe, vt in ſolitudinem illa verteretur. Tandem ſeptimo a finito bello Punico anno, Coſſ.

P. Cornelio Africano II. Ti. Sempronio Longo (V. C. 560. a. C. 194.) deducti inter alias ciuium Romanorum colonias fuere coloniae Tempſam et Crotonem, Liv. XXXV, 45. *Crotonem*, addit Livius, *Graeci habebant:* quos adeo, cladi patriae ſuperſtites, Bruttiis digreſſis, eo rediiſſe probabile fit. Iterum hinc Crotonem nec mediocriter opibus copiisque effloruiſſe probabile fit, quandoquidem coloniae huius mores ſuo tempore deprauatiſſimos fuiſſe, noto loco docuit Petron. 116.

Coloniae Crotoniatarum fuere *Terina* (v. Scymnus Chius v. 305. 6.) tum *Caulonia* (ibid. 318. 9.) et *Pandoſia:* de quibus alio tempore videbimus: (Proluſ. XI.).

Atque haec quidem ſunt, quae de florentiſſima hac virorum rerumque copiis vrbe memorari cum fide aliqua poſſe videbantur. De legibus eius et inſtitutis nihil eſt, quod iis, quae ſupra allata fuere, addi a nobis poſſit. P. P. Kal. Jul. CIↃ IↃ CC LXXIV.

Digitized by Google

Epimetrum

de Pythagora et Pythagoreis legumlatoribus.

Pythagoram eiusque familiares ſapientiae ſtudium in ciuitatibus ad meliorem formam conſtituendis et in legibus inſtitutisque emendandis poſuiſſe, conſtans eſt fama *a*). Si tamen porro quaeras, quaenam illae ciuitates fuerint, quidue illud inprimis fuerit, quod eorum beneficio in melius mutatum fuerit, rerum fide ac memoria deſtitutos nos ſentimus.

Et ea quidem, quae vniuerſe de legibus et monitis per Magnae Graeciae ciuitates a Pythagora acceptis in Jamblicho, Porphyrio et aliis tam magnifice praedicantur *b*), repetere velle, inane ſtudium foret; quandoquidem id modo quaeritur, quod aliqua cum fide traditum eſt *c*).

Iam Crotone, ex quo Pythagoras illam vrbem adiit, magnam eius doctrina et auctoritate morum ac vitae inter ciues eſſe factam mutationem, tam conſtanter traditur et a tam grauibus auctoribus, vt in dubitationem vocari nequeat *d*). Fidem facit

a) Videmus haec eadem nuper iterum in medium propoſita et multa oratione ornata a V. C. *Gillies* (in *Hiſtory of Greece* p. 391 ſqq.)

b) v. c. e Nicomacho Porphyr. ſ. 20. 21. et Jamblich. ſ. 33 ſq. Diogenes Laert. VIII, 3.

c) Maiorem auctoritatem habent loca Cic. Tuſc. Q. I, 16. V, 4. de Amic. 4. de Or. III, 34.

d) Praeclare haec perſequutus eſt Meiners *Geſch. d. Wiſſ. Griechenlands* p. 398 ſqq.

Digitized by Google

facit ipſa ſumma viri auctoritas et exemplum familiarium ab eo in ſodalitium receptorum. Debuit hoc idem vim habere ad ceteras ciuitates, ad quas illi praeceptis ciuilibus inſtructi partim redierunt et in iis vixerunt.

Nec in dubitationem vocari poteſt, praeceptionem et diſciplinam Pythagorae magnam vim ad alias ciuitates habuiſſe hactenus, quod, tyrannorum odio et libertatis amore inflammatis et ad iuſtitiam et aequitatem informatis diſcipulorum animis, multa paſſim per ciuitates melius conſtitui neceſſe fuit. Cumque auctoritas eius tanta eſſe coepiſſet, quanta fuiſſe fertur, Pythagoram conſiliis ac monitis ciuitatibus aut eorum magiſtratibus prodeſſe potuiſſe quis dubitet? Tandem iis, qui ex eius ſchola prodierant, reip. admotis, dici poterat aliqua certe ratione, familiares eius rexiſſe ciuitates per Italiam, vt v. c. de Ariſtoxeno ap. Porphyr. ſ. 54.

Verum ſi *de legibus*, quas Pythagoras et diſcipuli ciuitatibus ſcripſiſſe feruntur, quaeritur, difficile eſt, aliquid reperire, cui ſatis fidere liceat *e*).

Nam

e) Parum certa fides et auctoritas in iis eſt quae Porphyrius ſ. 21. et cum eo Jamblichus ſ. 33. e Nicomacho, item ex Heraclide 129. adſcripſere. Contra manifeſta ſunt ſtudii et cupiditatis, omnia in maius efferendi et magnifice exornandi, veſtigia, dum per auditores ſuos vrbes Italiae et Siciliae in libertatem vindicaſſe et ciuium diſſidia per omnes vrbes ſuſtuliſſe Pythagoras narratur. Subeſſe tamen neceſſe eſt aliquid, quod illi ornare potuere. Fecit communis hominum perſuaſio, vt Charondam et Zaleucum ex

eadem

Nam nec Crotoniatis ille leges ſcribere eſt iuſſus, nec magiſtratu eſt functus; in ciuitatem eum adſcriptum eſſe probabile ſit, quando quidem idem diſſuaſiſſe fertur Crotoniatis, ne ſupplices redderent Sybaritis (Diodor. XII, 9.). Nec tamen praefracte, quicquid ea de re traditur, inficiari licet. Nam collegiis Pythagoreorum incenſis, amiſſis principibus, omnes Magnae Graeciae ciuitates ſeditionibus et diſcordiis conflagrarunt; (Polyb. II, 39.) vt adeo Pythagoreos remp. adminiſtraſſe dubitari nullo modo poſſit; quod ſi ita ſe habuit, ab iis, qui magiſtratus geſſerunt, inſtituta et leges in ciuitatum ſuarum vtilitatem ſcribi quoque potuere. Etiam ex ceteris Pythagoreis, qui ſublato Pythagoreorum collegio vixere, eorumque diſcipulis fuere, qui rebusp. adminiſtrandis ſe adiungerent, vt Archytas apud Tarentinos, aut ſua inſtitutione aliis prodeſſent, vt bene remp. adminiſtrarent: quo nomine Parmenides et Zeno a Strabone memorantur, per quos Elea bonis legibus floruiſſe videri poſſit *f*).

Manet itaque hoc, nec in controuerſiam vocari poteſt, leges tuliſſe et resp. conſtituiſſe Pythagoram tantum dici poſſe hactenus, quod eius inſtitutione eruditi et informati fuere viri pruden-tes,

eadem ſchola prodiiſſe traderent: id quod non modo Nicomachus loc. laudd. et ex eo forte vt bene ſuſpicatur Meiners p. 280. Diogenes (ap. Jamblich. 130. 133. 104.) aliusque ſcriptor ap. eund. Jamblich. ſ. 172. verum iam Poſidonius (Seneca Ep. XC.) et Heraclides l. l. ſtatuerant.

f) Strabo VI. pr. *δοκεῖ δέ μοι καὶ δι' ἐκείνους, καὶ ἔτι πρότερον, εὐνομηθῆναι* Velia.

tes, qui in ciuitatibus ſuis reip. adminiſtratione et magiſtratu functi ad leges emendandas animos adverterunt. Nihil tamen vel ſic detrahitur Pythagorae laudibus, quem, etſi omni aut ſuperſtitione aut fanatico impetu liberare nolim, inter praeſtantiſſimos tamen mortales referendum arbitror, inprimisque in eo admirari ſoleo, quod, cum intellexiſſet, quid praeclare ſpectaſſent ii, qui Spartanorum et Cretenſium resp. earumque leges condiderant, perſpexit idem, aliter conſtituta ciuitate eadem bona obtineri poſſe, ſeueritate legum temperata, ſine iniuria naturae humanae. Cum porro virtutis habitum induere vellet ciuium animis, ſi non omnibus ac ſingulis, quod fieri nequit, attamen quam plurimis, id autem partim inſtitutione, cui tamen pauci vacare poſſunt, partim exemplo et vſu vitae fieri neceſſe eſt, viam hanc ingreſſus eſt, vt diſcipulorum coetum haberet, et quidem magno ſatis numero, quos cum ipſe non modo doctrina verum etiam vita et facto ad iuſtitiam et virtutem, eiusque fundum, cui illa innititur, ad frugalitatem, continentiam et patientiam, adduxiſſet, mox eos aliis ſe adiungere, et conſuetudine vſuque vitae ſuos quemque amicos et aequales honeſtatis ſtudio imbuere iuſſit: quae vnica forte eſſet ratio, qua per quam plurimos vulgari virtus inter homines et diſſeminari poſſit.

Digitized by Google

XII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

JO. PETR. MILLER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA XXXVII.

IN A. D. XVII. SEPT. CIƆ IƆ CCLXXIV.

RITE INDICIT.

De reliquis, poſt Sybaritas et Crotonienſes, Magnae Graeciae ciuitatibus, quae Achaicis inſtitutis et iuribus ſunt vſae: Lao, Elea, Terina, Caulonia, Pandoſia, Metaponto.

In tanta hac rerum vetuſtarum caligine, cui diſpellendae monumentorum nulla lux ſuppetit, opinionum autem et commentorum nouae vndique tenebrae offuſae ſunt, pertractantibus nobis, Commilitones, paullo diligentius inſtituta et leges ciuitatum Magnae Graeciae et Siciliae cum ſemel hanc tanquam facem obtulerit ſubtilior rerum inueſtigatio, vt, quandoquidem coloniae ſuarum vrbium, vnde venerant, inſtituta retinuere, earum origines exquirendas easque ad ſuas ſtirpes eſſe reuocandas vide-

Digitized by Google

videremus: agite pergamus vti hoc inuento gnauiter, et perſequamur reliqua, quae de iis ciuitatibus, tanquam tabulae e naufragio, ſparſim fluctibus disiectae, colligi poſſunt: vt ſaltem, quantum de iis neſciatur, intelligamus.

Hoc igitur ante omnia teneamus, neceſſe eſt: ciuitates Graecas per Siciliam et Italiam, paucis exceptis, de quibus ſuo loco videbimus, aut *Achaici* aut *Dorici* aut *Chalcidici* fuiſſe generis; cognatione autem inter ſe et neceſſitudine aliqua iungi viſas, et fuiſſe iunctas, ciuitates cuiusque generis; legum quoque et inſtitutorum vſas communi iure. *Achaica* quidem ſtirpe oriundae fuerunt eae, quarum inſtituta adhuc expoſuimus, *Sybaris*, in cuius locum ſucceſſere *Thurii*, et *Croton*; nam *Locri* ad Doricum genus ſpectauere. Subiicienda nunc pauca ſunt de harum vrbium coloniis aliisque communis originis ciuitatibus, vt totum hoc Achaicae ſtirpis genus abſoluatur. Cum autem praeuideamus fore vt pleraque, quae de his narrari poſſint, grammaticae potius vel antiquariae ſubtilitatis ſint, conſtitutum nobis eſt delibare tantum pauca eaque potiora, aut ſi qua ab aliis parum accurate tradita ſint: De ceteris ad Cluverium, Salmaſium ad Solin. Vindingium et Golzium ablegamus.

Sybaritarum coloniae fuere, *Laus* ad Lai fluuii oſtia in interiore Italiae extremae littore collocata, et *Scidrus*, obſcuri nominis et ſitus oppidum *a*).

a) De vtraque meminit Herod. VI, 21. de Lao. v. Strabo VI. p. 388. C. et Plin. III, 10.

De *Paeſto* poſtea videbimus *b*). At Thuriorum, qui ſucceſſere in Sybaritarum ſedes, colonia fertur *Elea,* Eleatica philoſophorum ſchola nobilis, quam nouis ſaltem colonis frequentaſſe putandi ſunt: fuit enim illa, quod vel ex Herodoto ſatis conſtat, antiquiſſima Phocaeenſium colonia *c*), ſed priſcis incolis nouos colonos adſcriptos eſſe nouum non eſt. A Thuriis et Tarentinis *Siris* condita, cui *Heraclea* ſucceſſit: de qua alio tempore videbimus.

Terina in Bruttiis ſita in interiore Italiae littore, ad ſinum Lametinum, ab eadem vrbe Terinaeum appellatum. *Crotoniatarum* eam coloniam fuiſſe, vt alios taceamus, Scymnus teſtatur *d*). In Bruttiorum eam ditionem cum ceteris huius tractus vrbibus

b) v. Proluſ. XIV.

c) Thurios *Eleam* coloniam inter Herodoti et Scylacis aetatem deduxiſſe argute coniectabat Mazoch. ad tab. Heracl. p. 102. Numi ΥΕΛΗΤΩΝ occurrunt cum Minervae capite, quod Phocaeenſes, qui Ionici generis erant, a maioribus Athenienſibus retinuiſſe videntur. Similem numum VE h. e. Veliae Haym. in Theſ. Brit. p. II. t. 24, 9. alium Pelerinus dedit in *Recueil des Medaill.* T. I. t. 9, 57. Nomen vrbis non diuerſae originis, ſed diuerſae aſpirationis habendum, Ὑέλη, apud Herodot. I, 167. aut vt ſcribendum eſſe arbitramur Ὑέλη: nam aſpiratio illa eſt pro Fέλη vel Οὐέλη, inde Ἐλέα, *Velia*, Οὐέλια. Multa de hac vrbe congeſſit poſt alios Joſ. Antoninus in *Lucania* p. 11. *Diſcorſo IV.*

d) Scymnus in Perieg. 305. Τέριναν πρῶτον (habet Magna Graecia,) ἣν ἀπῴκισαν Κροτωνιᾶται πρότερον. Addatur Steph. Byz. in h. v. vbi verba male ab epitomatore exſcripta ſunt: Ἐκαλεῖτο δὲ καὶ μεγάλη Ἑλλὰς ad Ἰταλίας vocem ſpectat; quod multo magis intelligetur comparato Scymno l. c. De reliquis v. Cluver. Ital. ant. hac vrbe.

Digitized by Google

vrbibus Graecis veniſſe probabile ſit: atque etiam *Bruttiorum* illa *vrbs* perhibetur a Liuio, vbi ab Alexandro Epiri rege captam eam narrat *e*): is enim aduerſus Bruttios, qui vicinas vrbes incurſationibus et populationibus quam maxime premebant, a Tarentinis in Italiam arceſſitus eſſe videtur. Ab Annibale tandem diruta Terina, cum eam tutari armis aduerſus Romanos non poſſet *f*). Ex numo cum Siciliae ſigno *g*) licet coniectare, fuiſſe eam aliquando ſub Syracuſanorum ditione.

Caulonia a Scymno diſerte *Crotonis* colonia editur *h*): nec diſſentire videri debet Strabo *i*), qui ab Achaeis conditam ait: vere enim ab Achaeis, duce Typhone Aegienſi, deductam e Pauſania *k*) conſtat: adſcriptis ſcilicet Crotoniatis nonnullis in nouam ciuitatem, vt ſaepe tales diſſenſus ſcriptorum componendi ſunt. Cum Crotoniatis et Thuriis eos communi foedere facto ad Achaeorum exemplum conuentus ad

e) Liv. VIII, 24, 4.

f) Strabo VI. p. 393. B.

g) Apud Golz. t. XXIII. Reliqui numi ibid. et ap. Magnan. t. 78 ſq. Victoriam exhibent, ſed certaminum ſollennium; lagenae ſeu crateri illa inſidet, petito forte a Crotoniatis, in quorum numis Hercules ſcyphum tenet.

h) Scymnus v. 317 ſqq. add. Steph. Byz. in *Αὐλών*. Mazochii acumen qui in Tab. Heracl. p. 527. a Phoenicibus primum conditam et nomen ex *Kaul*, *Kol*, factum venditat, vt tonitru ſit, non moramur.

i) Strabo VI. p. 401. A. Ἀχαιῶν κτίσμα. Alto loco conditam fuiſſe colligas ex Aen. III, 553. *Caulonis arces;* in aditu conuallium tamen, vnde quoque nomen Αὐλῶνος primo fuit; v. Strab. l. c.

k) Pauſan. VI, 3. p. 459.

ad Jovis Homonoei templum celebraſſe iam alio tempore vidimus *l*). Nec tamen vel ſic coniunctis viribus Dionyſium Syracuſanorum tyrannum ſuſtinere potuere; ſociis enim victis fugatisque Caulonia dedita et ſolo aequata, ciuibus Syracuſas traductis Olymp. XCVII, 4. *m*). Ager Locris datus. Nec aduerſari narrationi putandus eſt Strabo *n*), qui a barbaris eiectos incolas in Sicilia nouas ſedes quaeſitum profectos Cauloniam aliam condidiſſe narrat: Factum enim hoc alio tempore. Scilicet vrbe paullo poſt reſtituta ac nouis colonis frequentata, a Dionyſio iuniore, vt ferunt, ſucceſſere tempora belli Romanorum cum Pyrrho: capta tunc a Campanis Romanorum auxiliaribus vrbs et deleta *o*). Nec ea, tertio reſtituta, belli enim Punici tempore in Hannibalis partibus memoratur *p*), meliorem fortunam nacta eſt: nam Strabonis tempore diruta erat et vaſtata.

Pandoſia

l) v. Proluſ. de Crotoniat. rep. et inſtit. p. 189. Neſcio an hunc Jouem ſiſtant numi Cauloniatarum, in quibus Jupiter imberbis et nudus exhibetur, brachio eleuato, cui puerulus inſidet: adſtante cerua: an fabula de heroe fuit e Jove nato et a cerua nutrito? Sunt ex numis multi ab altera parte incuſi. Jupiter nudus, gradiens, fulmen vibrans, (ſine puerulo) pendente ex altero brachio aegide ſ. pelle caprae Amaltheae, vetere more, in numo eſt ap. Eckhel Sylloge t. I, 11.

m) Diodor. XIV, 106.

n) Strabo l. c.

o) Ex Pauſaniae auctoritate, l. c.

p) Liv. XXVII, 12, 15.

Digitized by Google

Pandoſia in Lucanis inter *Achaeorum* colonias diſerte recitatur a Scymno Chio *q*): et occurrunt in numis ſymbola *Crotonis*, caput Apollinis ac tripus *). De ſitu vrbis admodum laborant viri docti, cum a Conſentia, cui vicinam fuiſſe Strabo dixit, eam paullo remotiorem ſedem habuiſſe neceſſe ſit *r*). Venit ea, cum Acheronte amne, in hominum notitiam Alexandri Moloſſi, oraculo Dodonae accepto decepti, caede in his locis facta *s*). Regiam antiquiſſimis aetatibus Oenotriorum regum fuiſſe Strabo acceptum narrat *t*). Aliam Pandoſiam inter Acirim Sirimque prope Heracleam obſeruauit cum in Plutarcho tum in tabula Heracleenſi Mazochius.

Metapontum, ſoli fertilitate *u*) et Pythagorae hoſpitio honoreque eius memoriae a ciuibus habito,

q) Difficultatem Scylax facit in Periplo p. 4. Πανδοσία, Πλαταιεῖς, quod Π. Πλαταιέων legere iuſſit Cluverius Ital. ant. p. 152, 55. Sed recte Mazochius, qui omnino de hac vrbe videndus in Tab. Heracl. p. 101. monet, potuiſſe eſſe vrbem in Lucanis Πλαταιεῖς ſoli Scylaci memoratam, vti ſoli Plinio Thebae Lucanae memoratae ſunt.

*) v. Magnan. t. 87. in altero altera pars Sybaritarum taurum capite retrouerſo adiicit.

r) Inter Laum fere et Thurios mediam collocauit vrbem Danvillius; at Mazochii operi adiecta tabula non ſatis conuenit, vt nec vniuerſe in Italiae extremae facie et ſitu.

s) v. Liv. VIII, 24. Juſtin. XII, 2. et al. Factum Ol. CXII, 3. V. C. 424. a. C. 330.

t) Strabo VI. p. 393. C.

u) Teſtatur hanc ſoli praeſtantiam agrorumque fertilitatem partim quod Strabo lib. VI. p. 406. A. de aurea meſſe

bito, Pythagoreorum quoque ſtudiis, nobilitatum, inter vrbes ab *Achaeis* e Peloponneſo profectis conditas diſerte refertur a Scymno *x*): id quod ad ſeriora tempora ſpectat: vt paullo poſt videbimus. Eſt enim inter antiquiſſimas Magnae Graeciae colonias circa tempora Iliaca deductas habita, et quidem, vt Strabo retulit, quaeque potior eſt narratio, a *Pyliis*, qui cum Neſtore ab Ilio redierant. Originem arguebant inferiarum ritus Neleidis olim quotannis a Metapontinis perſoluti *y*). Magna tamen narrationis diuerſitas apud alios ſcriptores reperitur: cuius quidem, quandoquidem ſemel in id

meſſe Delphos miſſa (ὥστε θέρος χρυσοῦν ἐν Δελφοῖς ἀναθεῖναι) narrat, etſi quale id donarium fuerit non ſatis intelligitur; forte merges ſeu ſpica ex auro fuit; partim rem arguunt numi cum Cereris capite ac cum ſpica hordei: ſatis frequentes illi: v. poſt Golzium, Magnan. Lucania t. 33. et alios, inpr. Muſeum Hunter. ſunt in iis etiam incuſi. In aliis numis Mineruae et Apollinis capita viſuntur, quorum numinum cultus apud Metapontinos fuiſſe videtur praecipuus. Erat apud eos in foro ara Apollinis et ſignum, vna cum ſtatua Ariſteae Proconneſii, cuius iuſſu illam ſe poſuiſſe narrabant, adſtantibus lauris ex aere: Herodot. IV, 15. addito Athenaeo XIII. p. 605. C. In aliis vel Martis caput vel herois barbati cum epigraphe Ἡρακλειδῶν viſitur: qui referendi forte ad eos annos, quibus in Alexandri Moloſſi foedere et amicitia vixere cf. Juſtin. XII, 2. § 12. Sileni coronati caput ap. Eckhel. t. 3, 17. eſt. Virum δενδροφόρον ap. eundem Sylloge I. tab. 1, 8. et alium cum capite taurino apud Magnan. ad fertilitatem ſoli ſpectare ſuſpicor. In priore illo legitur voc. Oβολος.

x) Scymnus v. 326. 328.

y) σημεῖον δὲ ποιοῦνται τῆς κτίσεως τὸ τῶν Νηληϊδῶν ἐναγισμα. Strabo eod. l.

id incidimus, cauſſas et rationes exponere non pigebit. Primum, quod in principio Velleii Paterculi legitur, ad Pyliorum ductorem ſpectat, cuius nomen excidit *z*). Ab *Epeo*, qui equum Troianum fabricauit, vrbem conditam ait Iuſtinus; vbi Metapontinos narrat in templo Minervae (Minervae Elleſiae vel Eileniae illud fuit in vicino loco ſitum) ferramenta oſtentare, quibus Epeus equum Durium fabricaſſe ferebatur *a*). Appuliſſe igitur ad haec loca creditus Epeus, Panopei filius, quem tamen ad Pylios a nemine referri vidimus; Copias ex Cycladibus adduxiſſe narratur a Dictye *b*), etſi de hoc Homerus nihil meminit; et probabilius fit Phocenſes eum eſſe comitatos, quandoquidem eius genus ad Phocum ſpectauit *c*). Alia in Italia extrema non longe a Thuriis fuit vrbs, *Lagaria*, quam idem Epeus cum Phocenſibus condidiſſe ferebatur *d*). Tandem ex Strabone (lib. VI. p. 406. C.) intelligitur, fabulam de Metaponto et Melanippe, filiisque Boeoto et Aeolo, quos illa ex Neptuno habuit, ad hanc vrbem a nonnullis eſſe traductam: quos nihil

z) Vellej. I, 1. *** *tempeſtate diſtractus a duce ſuo Neſtore Metapontum condidit.* Nec de Metabo nec de Epeo hic agi liquidum eſt.

a) Iuſtin. XX, 2. pr. (Male locus diſtinctus et nouo capite a ſuperiore ſeiunctus eſt; nam quod ſequitur: *propter quod omnis illa pars Italiae Maior Graecia appellata eſt*, ad omnia ſuperius dicta referendum eſt; coll. Athenaeo XII. p. 523. E. non ad Metapontinos et Epeum.) Auctor de mir. audit. p. 882. D. c. 116. (vbi v. Cl. Niclas et Ruhnken. V. C. ad Vellej. l. c.)

b) Dictys I, 17.

c) Pauſan. II, 29. p. 178.

d) Strabo VI, p. 404. C.

Digitized by Google

nihil aliud quam nominis ſimilitudinem in hoc ſequutos eſſe patet. Nam Melanippe, deperdito Euripidis dramate nobilitata, ex Aeoli genere fuit, Metapontus autem Icariae, quae ex Cycladibus inſula eſt, regnauit *e*). Ad eandem fabulam, ſed paullulum inflexam, referendum, quod alii Metapontum Siſyphi filium ediderant *f*); nam et is Aeoli filius fuit; Aeolicae autem ſtirpis fabulae ſunt ex eo genere, quod maxima narrationum diverſitate variatum eſt: quandoquidem plurimarum vrbium origines ab illa ſtirpe deduci, a tragicis autem multa inde argumenta repeti ſolebant. Tandem Antiochus Syracuſanus nomen vrbis antiquum Metabum ab heroe Metabo, cuius ſacellum apud Meta-

e) v. Hyg. fab. 186. quam ex Euripidis dramate deperdito, cuius fragmenta ſuperſunt, eſſe petitam probabile fit. Ad hunc fere modum ap. Strabon. l. l. diſputauerat Antiochus, Xenophanis f. Syracuſanus, antiquus ſcriptor, qui Timaeum praeceſſerat, et rerum Sicularum hiſtoriam contexuerat. Quae Strabo reſpicit, ad eius *σύγγραμμα περὶ Ἰταλίας* ſpectaſſe videntur. Aduerſatus autem ille erat narrationi modo expoſitae, qua Melanippe et Metapontus ad hanc Italiae vrbem revocatus erat: eamque vt refelleret, duo videtur commemoraſſe: primum, quod Metabi, de quo paullo poſt dicetur, ſacellum, non autem Metaponti, in ea vrbe fuit, tum quod Aſius vetus poeta, quem *γενεαλογίας* ſcripſiſſe ex Pauſania nouimus lib. IV. 2. non Metaponti ſed Dii nomen in illa fabula de Melanippe poſuerat. Appoſuimus haec, vt locum Strabonis valde impeditum lib. VI. p. 406. C. D. expediremus. Pro Melanippe alii Arnen narrarunt, Metapontum autem in hoſpitem Metapontinum mutauere. v. Diodor. IV, 67. vbi cf. Weſſel.

f) Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. 368.

Digitized by Google

Metapontinos eſſet, ductum ediderat *g*): quod nunc auctori ſuo relinquendum eſt. Appoſuimus haec, omiſſis tamen recentiorum commentis *h*), ſpeciminis cauſſa, vt intelligatur, non adeo difficile eſſe, ſi iudicium animi adhibeatur, fabulas veteres in ordinem redigere et veritatis quod inſit in aliqua luce conſtituere; etſi concedendum eſt, non niſi eorum, quibus antiquae litterae curae ſunt, talia intereſſe poſſe.

Tantae vetuſtatis ciuitas a Samnitibus deleta eſt *i*): ſed inducta poſtea noua colonia ab Achaeis, quam ab Scymno memorari paullo ante vidimus. Inde etiam Livius Metapontinos cum Thurinis ex Achaia oriundos prodit *k*). Quo tempore vrbs hoc

g) Apud Strabon. l. c. Etiam Euſtath. ad Dionyſ. l. c. *κληθῆναι δὲ οὕτω λέγεται ἀπὸ Μεταπόντου, υἱοῦ Σισύφου ὃν οἱ βάρβαροι Μέταβον ἔλεγον.* Vix tamen intelligi poteſt, quomodo Metabus in Metapontum mutari potuerit, niſi vetus nomen Μεταποῦς fuit, vt Πυξοῦς, Ὑδροῦς, Ὀποῦς, ex quo Metapuntum et hinc Metapontum fieri potuiſſe videtur: cf. Salmaſ. ad Solin. p. 46 47. Eſt tamen numus ap. Magnan. Lucan. t. 37. cum METABO. Alius Metabus Privernas eſt apud Virgil. Aen. XI, 540. vbi cf. Exc. II.

h) Vnum adiiciam, Mazochius etiam Metapontum ex Oriente petere maluit ad tab. Heracl. p. 99. Tum veteres *Alybantem* apud Homerum Odyſſ. Ω, 303. de Metaponto accepere, vt ex Schol. et Euſtath. diſcimus.

i) Strab. VI. p. 406. A. Nec aliter accipienda Antiochi Syracuſani auctoritas: ἐκλειφθέντα τὸν τόπον eod. loco.

k) Liv. XXV, 15, 7. Metapontini ad Hannibalem defecere. Hoc idem Thurini fecerunt. *Mouit eos non Tarentinorum magis defectio Metapontinorumque, quibus, indidem*

hoc modo reſtituta ſit, difficilis eſt quaeſtio, inprimis propter locum impeditum et luxatum Strabonis, qui Antiochi Syracuſani, grauiſſimi auctoris, fidem et narrationem appoſuerat *l*). Poſſunt tamen ex eo loco ſatis liquide conſtitui nonnulla, quibus conficitur poſt Olymp. LXXXIII, 2. Metapontum

indidem ex Achaia oriundi, etiam cognatione iuncti erant. Vltima haec ad ſolos Metapontinos ſpectant; nam Tarentini Dorici erant generis.

l) Strabo VI. p, 406. A. B. Quod ibi legitur: Achaeos ex Graecia arceſſitos, *μεταπεμφθῆναι κατὰ μῖσος τὸ πρὸς Ταραντίνους τῶν Ἀχαιῶν τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς.* Turbant haec verba: *Ἀχαιῶν τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς.* Quomodo enim ex Laconica Achaei, et qui tandem illi, eiici potuere? Tentat locum Mazoch. p. 109. parum tamen efficit. Equidem cenſeo verba illa ab male ſedulo in margine adſcripta fuiſſe, qui Cleandriae aduentum ad Thurios paullo poſt factum meminerat. Sin aliunde doceri poterit, *Achaeos Laconica pulſos* interueniſſe, ſaltem locus luxatus ſic erit reſtituendus: — *ἐποικῆσαι τῶν Ἀχαιῶν τινας τῶν ἐκπεσόντων ἐκ τῆς Λακωνικῆς, μεταπεμφθέντας ὑπὸ τῶν ἐν Συβάρι Ἀχαιῶν. μεταπεμφθῆναι δὲ κατὰ μῖσος τὸ πρὸς Ταραντίνους τῶν Ἀχαιῶν, ἵνα μὴ* etc. Nunc ſubiiciemus ea, quae paullo ante de Siritide ex eodem Antiocho memorauerat Strabo p. 106, 6. *Φησὶ δὲ Ἀντίοχος τοὺς Ταραντίνους Θουρίοις καὶ Κλεανδρίᾳ τῷ στρατηγῷ φυγάδι ἐκ Λακεδαίμονος πολεμοῦντας περὶ Σειρήτιδος συμβῆναι καὶ συνοικῆσαι μεν κοινῇ· τὴν δ' ἀποικίαν κριθῆναι Ταραντίνων.* Hunc Cleandriam eundem eſſe cum Cleandrida Spartano a Plutarcho memorato ſuſpicatur Mazochius ad tab. Heracl. p 75. Nomen Thuriorum (*Θουρίοις*) quo Antiochus vſus eſt, ſatis docet, ad ea tempora haec ſpectare, quibus Thurii iam deducti erant, quibus Cleandrides ſeu interfuit ſeu paullo poſt acceſſit bellique exorti aduerſus Tarentinos dux fuit. Incidit bellum a Diodoro XII, 23. memoratum in Olymp. LXXXIV, 1. quod de Siritide terra geſtum eſſe haud obſcurum eſt, ſi vtrumque Strabonis locum compares.

Digitized by Google

tapontum Achaeorum coloniam factam eſſe. Inter Sybarin et Tarentum, interiacebat Siris et Metapontum vtraque tum ſolo aequata. Cum, noua Sybari reſtituta, deliberatum eſſet de terris illis occupandis, vt Tarentinorum conſilia paria anteuerterent, Sybaritae miſere Achaeos nonnullos ex Peloponneſo accitos *m*) ad loca occupanda: cumque hi in terra Siritide conſidere vellent, Sybaritae iis perſuaſere, vt Metapontum, Tarentinis propius ſitum, occupare mallent, ne hi vacuam ab incolis vrbem ipſi occuparent; ita quoque Tarentinos a Siritide terra excluſum iri. Poſtea autem cum Thurii in Sybaris locum ſucceſſiſſent, vindicarunt ſoli hi terram Siritidem, ortumque hinc bellum cum Tarentinis de terra Siritide, ea conditione compoſitum, vt communi nomine colonia Siris ab vtrisque deduceretur, haberetur tamen ea Tarentinorum colonia: vt adeo metropolis iura apud Tarentum eſſent. Poſtea Metapontini, bello cum Tarentinis et qui ſupra adiacebant Oenotris conflato, pacem compoſuere partiti agrum cum hoſtibus, atque is tum factus Italiae et Iapygiae terminus *n*).

 Meta-

m) Strabo ex Ephoro l. c. C. hoc addit: auctorem coloniae fuiſſe Daulium Criſſae (in Phocide) tyrannum, aut ſecundum alios Leucippum aliquem, qui Tarentinos fraude circumueniſſe ferebatur; cum locum in diem et noctem ſibi concedendum pactus eſſet, repoſcentes ſeu interdiu ſeu noctu in ſequentem diem ſeu noctem diſtulit. Ceterum cf. ad h. l. Proluſ. XIII. et VII. p. 140. et XII. *n*)

n) cf. ex eodem Antiocho locum p. 391. A. Ceterum ex ſuperioribus natus forte error Stephani h. v. et Euſtathii in Dionyſ. Perieg. v. 368. quo Siris eadem cum Metaponto fuit habita.

Metapontinorum fata in ſequentibus temporibus expedita ſunt, vt de iis adeo laborandum nobis parum ſit *o*). A Cleonymo Spartano, quem Tarentini (ſub Ol. CIX, 2.) aduerſus Lucanos et Romanos arceſſiuerant, male ſunt habiti *p*); cum ſub Alexandri Moloſſi aduentum in Italiam (ſub Olymp. XC, 2.) meliore eſſent fortuna vſi, quandoquidem foedus et amicitiam cum eo fecerant *q*). Attriti inde ſunt et confecti cum ceteris Magnae Graeciae ciuitatibus in bellis Romanorum cum Pyrrho et cum Annibale, iterumque bello Spartacico *r*). Pauſaniae aetate praeter muros et theatrum nihil ex vrbe ſupererat (Pauſ. VI, 19. p. 500.)

Satisfecimus hactenus officio noſtro, vt ſollennibus indicandis, quorum cauſſa haec a nobis ſcripta ſunt, praeluderemus: etſi verendum forte eſt, cum in argumento ſubtili verſata ſit noſtra induſtria, (harum enim ciuitatum aut inſtituta aut leges aut aliud quid ſatis memorabile afferre in medium

o) v. Golzium et al. ſupra laudd.

p) Legendus Diodorus XX, 108.

q) Juſtin. XII, 2, 12.

r) cf. *des Broſſes in Mem. ſur la ſeconde guerre civile: Mem. de l'Acad. des Inſcr.* To. XXXVII. p. 37. (quod vero eo loco narrat de Philolao Metaponti ſcholam habente, auctoritate caret.) *Achaicarum vrbium nullam ſuo aeuo ſupereſſe praeter Tarentum* Strabo ait VI. p. 262. (402. A.) quod non ita accipimus, quaſi omnes illae vrbes ſolo tum fuiſſent aequatae: nam Thurii adhuc tum ſupererant; ſed Graeca inſtituta in ſola Tarento ſupererant, quippe quae poſt Legem Juliam non fundus facta erat LL. Romanarum, vna cum Neapoli et Rhegio, manſeratque vrbs foederata cf. VI. p. 389. B.

Digitized by Google

medium non licet) ne eueniat nobis id, quod ludorum inſtaurandorum cauſſam Romanis aliquando praebuiſſe narratum eſt *s*), cum Jupiter ſomno moneret, ludis praeſultorem ſibi haud placuiſſe. Enimuero, etſi Graeca et recondita forte ea ſunt, quae appoſuimus, non tamen inauſpicata et male ominata nos adſcripſiſſe arbitramur: nec vobis, Commilitones, obſceni portenti locum vocem Graecam auditam habituram eſſe ſperamus. Bono itaque cum omine ac propitio numine praeconium imperatum peragimus, vobisque, Ciues, edicimus ſollennia anniuerſaria Georgiae Auguſtae in craſtinum diem celebranda. Ducetur pompa in templum academicum, quam vt proſequamini, Comites illuſtriſſimi, vtque vos frequentes adſitis, Generoſiſſimi Nobiliſſimique Commilitones, rogamus humaniter et officioſe. Facite audientiam, pro modeſtia veſtra, Viro experientiſſimo, doctiſſimo,

ERN. GODOFREDO BALDINGERO D.

Medic. Ordin. Decano ſpectab. qui, vt ſollennibus tanto maior ſplendor maiorque amplitudo affulgeat, dignitati et honori ſummo Ordinis ſui in duo Candidatos conferendo praefabitur oratione *de piis medicis noſtra aetate deſideriis* habita: qua eadem deo O. M. debitas gratias perſoluet et noua vota ſuſcipiet. Vos, Commilitones, linguis multoque magis animis fauete. P. P. ex Georgia Auguſta d. XVI. Sept. cIↃ IↃ CCLXXIV.

s) Liv. II, 36.

XII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHR. FR. GE. MEISTER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA XXXVIII.

IN A. D. XVIII. SEPT. CIↃIↃCCLXXV.

RITE INDICIT.

Inſtituta et leges ciuitatum ſtirpis Dorienſium; nunc quidem Tarentinorum.

Fauſtis iterum auſpiciis ominibusque, Ciues, ſollennia indicimus in a. d. XVIII. Septemb. celebranda, quae vniuerſitas noſtra academica praecipua aliqua religione rituque ſacrorum ac pompae ſupplicationisque caerimoniis merito colit, dum primordia ſua, quae ante hos XXXVIII. annos habuit, reminiſcendo recognoſcit, recordaturque quam tenuia illa et imbecilla eſſent, quamque parum conditionem hanc rerum laetam illa oſtenderent, ad quam nunc efflorueriint. Etiam ſuperioris anni decurſu adeo multa laeta et ſecunda euenere,

vt

vt ad religionem publicam priuatamque pertinere nemo non putet, vt vota deo O. M. perſoluamus liberemurque adeo religione, qua erga tantorum bonorum auctorem obſtricti ſumus omnes publice ac priuatim ſinguli. Interpres autem erit pietatis noſtrae Vir Experientiſſimus, ERN. GODOFR. BALDINGER, Medicorum Ordinis h. t. Decanus, qui ſollennibus his anniuerſariis ſplendorem inducet nouum ac praeclarum, dum ex ſui ordinis decreto Candidatis quatuor digniſſimis, *Io. Chr. Ackermanno*, Variſco, *Io. Frid. Blumenbach*, Gothano, *Fr. Car. Wagner*, Moeno-Francofurtenſi, et *Io. Henr. Iaeger*, Gottingenſi, dignitatem medicae artis ſummam impertiet. Faciet hoc oratione publice habita de quaeſtione cognitu non iniucunda: *quo ſenſu affirmari poſſit, medicinam hoc, quo viuimus, ſaeculo emendatam nouisque incrementis inſigniter eſſe locupletatam.* Gratias pro beneuola auditione aget oratione latina idem *Io. Fr. Blumenbach*, de cuius ingenio ac doctrina maxima quaeque exſpectamus. His itaque vt verba facientibus facere audientiam ac fauere velitis, pro officio veſtro, Ciues et Commilitones, proque eo amore, quo matrem hanc veſtram, academiam, tanquam doctrinae eius ac diſciplinae alumni, amplectimini, diligenter et magnopere rogamus. Vos inprimis, Comites Illuſtriſſimi, florentiſſimae iuuentutis principes et ornamenta, ſi qua huic academiae vnquam contigerunt, certiſſima, vt pompam ſollennem ducere, nosque ipſos ne religioſae caerimoniae publicique ritus poeniteat, efficere velitis, ad religionem veſtram humanitatisque officium pertinere arbitraminor.

Interea, dum ſacra parantur, caerimoniae recognoſcuntur, pompa inſtruitur, quandoquidem vacat et ad confabulandum et diſcurſandum convertimur, agite, fingite vos porticu aliqua inambulare otioſos, et cognoſcere obiter ornamenta parietum vel ſuſpenſa donaria, interque haec tabellam appenſam, cui inſcriptum ſit aliquid eruditioris argumenti. Opportunum igitur, dum in apparatu hoc ſollennium a grauioribus negotiis vacamus, eſſe videtur, inſtare telae, quam ſuperioribus *annis* exorſi eramus, vt leges resque publicas, quibus Magna olim Graecia floruit, recognoſceremus: ſi forte inde erui poſſet notio aliqua et iudicium, quibus artibus conſiliisque Italiae illa loca a barbaris obſeſſa ad tantum humanitatis cultum expolita fuerint.

Non male ſtudium noſtrum leuatum vidimus conſilio, quod inieramus, vt reuocaremus ciuitates has ad ſtirpis genera: abſolutoque nunc *Achaico* coloniarum genere *Doricum* ſuccedit, quod ciuitatibus ſuis temporibusque deſcribendum eſt: nec tamen alio conſilio, quam vt inde, quae earum respublica, quae inſtituta fuerint, aſſequamur; omiſſis adeo iis, quae iam aliunde ſatis nota aut virorum doctorum diligentia expedita ſunt. Ne autem aut implicetur aut exſpatietur oratio, ad certas familias reuocabimus has ciuitates, primoque loco commemorabimus eas, quae a Lacedaemoniis originem duxerunt, inde Corinthiorum colonias, tandem alias aliunde profectas.

Ita

Ita ſtatim ab initio, quandoquidem temporum iniuria inuidit nobis praeſtantiſſimos hoc in genere ſcriptores, iudicium aliquod de legibus et inſtitutis harum ciuitatum fieri poſſe videtur, cum coloniae metropolin ſuam in iis ſequi ſolitae ſint. Patrium nimirum fuit Doribus inde a prima gentis ſtirpe et ab Hyllo Heraclidarumque in Peloponneſum reditu, id quod ex pulcherrimo Pindari loco tenemus (Pyth. I, 118 ſqq.), vt libertatem populus, magiſtratuum honore principibus viris relicto, coleret, ariſtocratiamque adeo amplecteretur. Huius itaque generis respublicas etiam in his Italiae et Siciliae coloniis iam ab initio expectabimus.

Tarentum *), portu ſitusque opportunitate, Polybio iudice (Exc. lib. X. pr.), ad opes copiasque maritimas parandas maxime accommodata vrbs, Lacedaemoniorum colonia fuit eaque antiquiſſima. Paucis enim poſt bellum Meſſeniacum I. annis ad has oras appulere Partheniae. Aſſignauit profectionem Ol. XVIII, 2. Hieronymus ex Euſebio, adeoque a. C. 707 *a*). Duce Phalantho eam factam eſſe ſatis

 conſtat,

*) Τάρας. quod idem nomen in numis adſcriptum vrbem, non heroem deſignat, vt bene monuit Eckhel. V. C. p. 33. Taras, vt Acragas. Tarentum *noſtrum* Plato appellat de LL. lib. I. p. 30. Bip. (repetitur locus ap. Athen. IV. p. 156. A.) verum Laco loquens inducitur: *καὶ ἐν Τάραντι δὲ παρὰ τοῖς ἡμετέροις ἀποίκοις.*

a) Cf. Simſon. ad eand. Olymp. Fuit is annus poſt bellum I. Meſſeniacum XVII. Cum autem Parthenias circa annum belli XI genitos eſſe neceſſe ſit (v. Strabo ex Ephoro lib. VI. p. 428. A.) bellum vero anno XX. exitum habuerit: non longe a XXX annis eos abfuiſſe

conſtat, expulſis barbaris, qui ea loca tenebant *b*), quos Iapyges ſeu Meſſapios fuiſſe, Illyrici, quantum aſſequi licet, generis, ex ipſo oraculo intelligitur, quod Phalanthus ante profectionem accepiſſe fertur *c*). Barbaros hos vt ad vitae humaniorem cultum

fuiſſe in confeſſo eſt. Perperam itaque hactenus tentare videri debent viri docti locum Juſtini lib. III, 4, 8 *qui cum ad annos XXX perueniſſent — ducem Phalanthum adſumunt.* Sed in Juſtino diligentiam aliquis requirat in hoc, quod mox eosdem *diu et per varios caſus iactatos tandem in Italiam delatos* memorat: quod ſi verum eſt, citius eos Laconica egreſſos eſſe neceſſe eſt: ſi quidem anno triceſimo vrbem iam condiderunt. Enimuero omnino in his conditarum vrbium numeris ſubtilitatem moroſius perſequi non licet. Bellum autem Meſſeniacum primum finem habuiſſe Ol. XIV, 1. a. C. 724. locus claſſicus eſt apud Pauſan. IV, 13. De Partheniarum inſidiis reip. Spartanorum factis, quibus patefactis expulſi ſunt, diſertiſſime agit Strabo p. 426. ex Antiocho Syracuſano. Attingit rem paucis Ariſtot. de Rep. V, 7. pr.

b) *Barbaros* appellat Pauſan. X, 10. *Tarentinos* nominat et hos parum docte Juſtin. III, 4, 11. niſi vox *Tarentinorum* gloſſema eſt. Addit tamen idem: *Sed poſt annos plurimos dux eorum Phalanthus, per ſeditionem in exilium proturbatus, Brundiſium ſe contulit, quo expulſi ſedibus ſuis veteres Tarentini:* (h. e. barbari, qui antea loca illa et vrbem tenuerant, mox ab aduenis cedere coacti.) Narrat hinc praeclarum amoris in patriam ingratam facinus eiusdem Phalanthi. Inter hos Barbaros erant nonnulli Cretenſes, qui cum Minoe aut cum Daedalo in Siciliam traiecerant. Strab. VI. p. 427. B. 432. A. De iis cf. Exc. VIII. lib. VII. Aen. 691. de Meſſapo.

c) Apud Strabon. lib. VI. p. 427. A. *Σατύριόν τοι δῶκα, Τάραντά τε πίονα δῆμον Οἰκῆσαι, καὶ πῆμα Ἰηπύγεσσι γενέσθαι.* Ait adeo deus, ſortem ſe Phalantho aſſignaſſe Satyrium et regionem Tarentum, cum Japygum detrimen-

cultum adducerent, non magis curaſſe videntur, quam aut olim Romani aut nunc Europaei qui Americam adierunt; contra vero inter illos indigenas agris ſuis expulſos et hos nouos colonos aliena loca occupantes perpetuo armis infeſtis eſt certatum, donec ita attrita eſſet barbarorum ſtirps, vt a victore ſubiugata tandem cum eo in vnum populum coaleſceret. Atque haec fere tantum non perpetua populorum fuit fortuna, qui, cum ipſi barbari ac feri eſſent, a colonis nouis ad meliorem vitae cultum adducti eſſe vulgo memorantur; nec niſi attrita et exhauſta viribus gens cum victore permixta et diſperſa veterem vitae morem facile dedidicit. De Tarante

detrimento; quos inde expellendos eſſe ſignificat. De Satyrio campo, qui in Tarentino agro fuit, v. ad Virgil. Ge. II, 197. cf. Mazoch. ad tabb. Heracl. p. 93: etſi ille argutatur in hoc ipſo et in ceteris p. 89. Meſſapios autem, etſi diſtingui interdum ſolent inter ſe, vt apud Polybium II, 24. eosdem eſſe cum Japygibus, docuimus ad Virg. Aen. VII. Exc. VIII. p. 136. (nov. ed. p. 154.) Pro Cretenſibus eos habuere, cum Clearcho apud Athen. XII. p. 522. F. qui audierant Cretenſes aliquando inter eos conſediſſe: quod factum eſſe iam Minois aetate narratum acceperat Herodot. VII, 170. cf. Strab. VI. p. 427. B. 432. A. ex Antiocho Syracuſano. Ephorus (apud Strabon. p. 428. D.) in *Achaeos cum barbaris bellum gerentes incidiſſe Parthenias iisque ſe adiunxiſſe* dixerat; quo nomine nullo modo Cretenſes deſignare voluit; non enim Achaici generis eſſe potuere illi, qui cum Minoe profecti erant: ſed priſci illi Cretae incolae e Phoenicia oriundi, Homero Ἐτεοκρῆτες dicti Odyſſ. τ, 176. Achaei autem poſt Troiana tempora immigrarunt, v. Homer. ibid. et Herodot. VII, 171. Verum Ephorus Achaeos, qui iam Sybarin condiderant, declarare voluit: eos cum barbaris de agro occupando certaſſe hinc manifeſtum fit.

Tarante heroe, Neptuni filio, omnia, vel ex numis, vulgata ſunt *d*).

Cum

d) v. Cluver. Ital ant. p. 1233. In numis v. c. ap. Golzium (add. Magnan. Numiſm. Miſcell, Muſ. Hunter. t. 55. 56. p. 304-314.) frequens occurrit Taras delphino inſidens, modo galeam, clipeum, Victoriolam, tridentem, clauam, tripodem, modo concham, limacem, ſepiam tenens. Neptuni et nymphae indigenae filium diſerte edit Pauſan. X, 10. Delphinum, cui ille inſidere ſolet, Phalantho quoque adiunctum viderat Delphis Pauſan. X, 13. f. Cur *Herculeum* dixerit Tarentum Virgilius Aen. III, 551. diſputatum eſt ad *e. l. in* Exc. XIV. Simpliciſſimum eſt dicere, ad originem ab Heraclida Phalantho, Lacone, poetam reſpexiſſe. Eſt etiam numus ap. Golz. t. 33. 4. Muſ. Hunter. tab. 56. n. XI. in quo Hercules leonem elidens occurrit. Alius ap. Eckhel. n. 6. qui ad Heracleam T. *coloniam* trahit numum: cum paullo ante (n. 5.) numum *alium* attuliſſet, qui Tarenti et Heracleae nomina coniunctim exhibet. *Neptuno ſacrum cuſtode Tarentum* Horatius ediderat. Nec tamen Neptunum in numis obſeruare licuit praeterquam in vno aureo ap. Eckhel. l. c. t. 3, 1. Quod de inferiis in Atridarum aliorumque heroum honorem *Tarenti* factis memorat Auctor de Mir. Audit. c. 114. (882. ed. Genev. C.) ad Siritas colonos pertinere reputandum eſt. Ex Laconica origine ſeruarunt heroum cultum et nomina, vt Temeni, qui ex Heraclidis erat, a quo portae Temenides appellatae, vt in Polybio legimus Exc. l. VIII, 23. Erat ante portam ſepulcrum Hyacinthi. ibid. Intra vrbem inſolito more ſepulcra ac tumuli Tarentinorum ex vetere oraculo, quod Polybius commemorat. Veteris cognationis et originis memores multa alia e Lacedaemone transtulerant, eodem diſerte monente c. 28. inter quae Eurotae nomen fuit Galaeſo impoſitum. Dioſcuri in numis: vt ap. Eckhel. l. c. n. 2. Mirationem inter haec facit, quod in numis nonnullis Tarentinorum, Athenarum inſigne, noctua, occurrit. Quid? quod nomen ΑΘΗ Pelerinus obſeruare ſibi viſus eſt (*Recueil* To. I. pl. 9. n. 51. 2. 3.) adde alios

in

Digitized by Google

Cum Dorica ſtirpe oriundi et Sparta profecti eſſent, ciuitatem eos ad ariſtocraticam formam conſtituiſſe probabile ſit; idque ſi ab initio teneamus, in luce conſtituta hinc videbimus loca aliquot ſcriptorum, alioquin valde obſcura: inprimisque hoc, quod Ariſtoteles Tarentinos ab Iapygibus bello victos ac plurimis e nobilibus caeſis, paullo poſt Medica, *ex politia ad popularem ſtatum* prolapſos narrat *e*); ſublata

in Muſeo Pembrok. apud Haymium et Generoſ. de Schachmann p. 33. n. 3. ſed in his litterae exaratae ſunt ΞOP; nec aliter puto in Pelerinio numo eſſe expreſſum: deſignatur forte nomen magiſtratus, quod Ὀρ prioribus litteris erat. Alios numos T. noctua inſignitos vulgauit Eckh. t. 3, 8. 9. 10. Noctuam autem a Metapontinis petitam arbitramur, forte ex iis temporibus, cum ſibi iuris in Metapontum aliquid arrogabant; niſi Metapontinorum numos eſſe dicendum eſt ad Tarentinorum honorem et obſequium excuſos. Certe in Metapontinis numis regnat Minervae caput cum noctua; quod non meminerant viri docti. Eodem modo ex Metapontinis translatam Cererem videas in aureo numo ap. Eckhel. l. c. t. 3, 1. Fuſum, quem paſſim manu teneri video a deo vel heroe, ad lanae Tarentinae praeſtantiam refero. Ceterum argenteorum numorum copia magna; aurei rariores: aerei vix reperiuntur obſeruante Eckhel. in Numis vet. anecd. p. 31. Idem in Sylloge t. 1, 5. numum protulit cum capite muliebri pulchello, altera parte cum Pegaſo dimidio.

e) Ariſtot. cuius Remp. Tarentinorum ad nos non perveniſſe dolendum eſt, in aureo de Rep. libro IV, 3. vbi oriri interdum commutationes rerump. ait, ordine ciuium alio aliis aut nimium increſcente aut decreſcente: *οἷον ἐν Τάραντι ἡττηθέντων καὶ ἀπολομένων πολλῶν γνωρίμων* (nobilium) *ὑπὸ τῶν Ἰαπύγων, μικρὸν ὕστερον τῶν Μηδικῶν, δημοκρατία ἐγένετο ἐκ πολιτείας.* Quid hoc ſit: ciuitatem *democratiam fieri ex politia,* ex ipſo Ariſtotele diſcendum eſt. Claſſicus locus eſt lib.

ſublata inter ordines ciuitatis aequilibritate, cum egenorum numerus ſuis incrementis ſuperior factus eſſet nobilitati iſta clade afflictae et imminutae. Credendum adeo eſt, cum ſumma rerum antea eſſet apud Magiſtratum et Senatum, nunc populi comitia de rebus ad remp. ſpectantibus haberi coepiſſe. Cum eueniſſe hoc narretur paullo poſt Medica (μικρὸν ὕστερον τῶν Μηδικῶν), tempus hoc accuratius conſtituere licet ex Diodoro *f*); contigit enim illa clades memorabilis Tarentinorum cum ſociis Rheginis, a Micytho tutore liberorum Anaxilai miſſis, quam Herodotus maximam omnium, quas nouerat, exſtitiſſe aiebat, Ol. LXXVI, 3. a. C. 474. anno poſt

lib. III, 7. ὅταν δὲ τὸ πλῆθος πρὸς τὸ κοινὸν πολιτεύηται συμφέρον, καλεῖται [κατὰ] τὸ κοινὸν ὄνομα πασῶν τῶν πολιτειῶν, πολιτεία. Cf. lib. IV, 1. p. 516. A. Politia autem talis, h. e. reſpublica ad communem vtilitatem a populo adminiſtrata, genus ipſi eſt ciuitatis recte conſtitutae, cuius tres ait eſſe formas: βασιλείαν, ἀριστοκρατίαν et πολιτείαν: ab iis eſſe degreſſiones (παρεκβάσεις) τυραννίδα, ὀλιγαρχίαν et δημοκρατίαν, hanc adeo politiae oppoſitam eſſe neceſſe eſt. Iam politia huiusmodi, h. e. popularis adminiſtratio legitima vix eſſe poteſt niſi magiſtratibus, conciliis et iudiciis recte deſcripta, vt eam adeo ad ariſtocratiam eo ipſo propius accedere neceſſe ſit. Aut itaque vetus Tarentinorum ariſtocratia in politiam cum temporis ſucceſſu abierat, aut politia ab Ariſtotele appellari potuit, quae aliis dicta eſt ariſtocratia. Sed prius illud probabilius. Ariſtophilides Ταραντίνων ὁ βασιλεὺς apud Herod. III, 136. commemoratus de magiſtratu eſt accipiendus, vt recte Mazoch. in Tab. Heracl. p. 97. (52).

f) Diodor. XI. 52. adde Herodot. VII, 17. Bellum cum Meſſapiis de Heraclea geſtum ad eadem tempora reuocandum eſſe apud Strabon. VI. p. 430 A. putabit, qui de finitimis agris pugnatum eſſe ex Diodoro teneat.

Digitized by Google

poſt pugnam Salaminiam ſexto. Democratia itaque ab eo inde tempore vſi ſunt, vt ex Strabone quoque conſtat *g*), ad extrema vsque tempora libertatis amiſſae: nam ipſa illa legatis Romanorum data concio in theatro popularem ciuitatis formam arguit, etſi Magiſtratum et Senatum habuere; cuius conſultum (*προβούλευμα*) opus erat ad bellum ſciſcendum, vt ex Liuio (VIII, 27.) intelligere licet. Nec tamen male legibus et inſtitutis deſcripta ciuitas eſſe debuit, quandoquidem ad tantas opes peruenere Tarentini, vt inter ceteras Magnae Graeciae ciuitates per multos annos principatum fere tenere videri poſſent: nam claſſem habuere quantum in his oris nemo, et exercitum peditum XXX M. et III M. equitum *h*). Memoratu dignum eſt *i*), quod vulgo in libellis de hiſtoriis Romanis omiſſum videmus, antiquo eos foedere obſtrinxiſſe Romanos, ne vltra promontorium Lacinium claſſe eueherent. Commemorat Ariſtoteles inſtituta eorum nonnulla ad democratiam temperandam ac bene conſtituendam praeclara *k*): vt enim

g) Strabo VI. p. 429. A. *Ἴσχυσαν δέ ποτε οἱ Ταραντῖνοι καθ' ὑπερβολὴν, πολιτευόμενοι δημοκρατικῶς.* Notatum iam eſt a viris doctis, ſed parum expeditum, Epitomen legere: *ἀριστοκρατηθέντες ἐν δημοκρατίᾳ.* Sed indocte interpolatam eam eſſe, dicendum erat, ab eo, qui aliquando ariſtocratica rep. vſos eſſe Tarentinos audiuerat.

h) Strabo l. c. A. poſt *ἱππέας δὲ τρισχιλίους*, addit *ἱππάρχους δὲ χιλίους.* qui hi ſint, non intelligo: turmarum duces mille eſſe non poſſunt. An fuit ſingularis aliqua ac praecipua turma?

i) Appian. fragm. ap. Vrſin. Exc. Legatt. p. 344.

k) Ariſtot. de Rep. VI, 5.

Digitized by Google

enim egentibus ſuppeditarent opportunitatem rei faciendae, poſſeſſiones cum iis ad vſum communicabant optimates *l*), adeoque multitudinis ſibi beneuolentiam comparabant. Fecere porro magiſtratuum omnium duo genera, vt alii ſuffragiis populi, alii ſortitione obtingerent: ſortitione quidem, vt eos plebs quoque obtinere poſſet, ſuffragiis autem, vt reſpublica eo melius adminiſtraretur. Nec ab litteris aliena fuit ciuitas; et amplexos eſſe Tarentinos philoſophiam Pythagoricam ſatis conſtat. Clariſſimus autem inter eos fuit Archytas, qui magiſtratum quoque inter eos geſſit *m*). Rhinthon, poëta tragicus, auctor generis tragici in ludicram rem verſi, etſi Syracuſis natus, apud Tarentinos floruit. Laudatur quoque Iccus medicus, qui aegris tenuem victum

l) Ibid. *κοινὰ ποιοῦντες τὰ κτήματα τοῖς ἀπόροις ἐπὶ τὴν χρῆσιν.*

m) Strabo VI, p. 429. A. *ὃς καὶ τῆς πόλεως προέστη πολὺν χρόνον.* Ex Diogene Laertio et aliis conſtat, *Strategi* nomen fuiſſe magiſtratui, *στρατηγῆσαι αὐτὸν*, et quidem ſexies vel ſepties. Nomine hoc in multis ciuitatibus ſummum magiſtratum fuiſſe appellatum notum eſt. At Suidas: *τοῦ κοινοῦ*, inquit, *τῶν Ἰταλιωτῶν προέστη, στρατηγὸς αἱρεθεὶς αὐτοκράτωρ ὑπὸ τῶν πολιτῶν καὶ τῶν περὶ ἐκεῖνον τὸν τόπον Ἑλλήνων.* Si ſciremus, quem auctorem, ſatisne grauem illum, ſequutus ſit in h. l. Suidas, Archytam fuiſſe diceremus ſummum imperatorem, *στρατηγὸν*, Graecarum ciuitatum foedere inter ſe iunctarum ad commune bellum gerendum. Coiiſſe enim eas in ſocietatem, et concilium habuiſſe Panhellenicum, vidimus p. 190 in diſputatione de Crotoniatis; haberique illud ſub haec tempora Heracleae ſolitum, paullo poſt ex Strabone p. 429. B. videbimus. Viuere autem Archytas deſiit paullo poſt Ol. CV. Apud Aelian. V. H. III, 27. inter philoſophos nomen eius recitatur, qui remp. adminiſtrarunt et ſuae ciuitati profuerunt.

victum praeſcribebat, adeo vt in prouerbium abiret *Icci coena n*). Etiam Ariſtoxeni Muſici nomen fuit clarum; et Nicocles omnium citharoedorum erat celeberrimus (Pauſ. I, 37.)

Habuit et haec Tarentinorum felicitas, quemadmodum opulentia et proſpera fortuna aliorum populorum, comitem luxum ac proteruitatem. De luxu quae paſſim plurima commemorantur *o*), repetere hic nihil attinet. Spectant omnino alia ad opulentiam vrbis et ſplendorem, alia vero ad vitae mollitiem et luxuriem.

Ludos inſtruxerunt opipare, pompasque ſollenni ritu ductas. Equeſtres pompas inprimis ſplendido apparatu adornaſſe videntur *p*): et de his nos quidem interpretamur in numis Tarentinorum equites vario habitu ac poſitu decurrentes, appoſito magiſtra-

n) Stephan. Byz. in *Τάρας*. Euſtath. ad Perieg. 376.

o) v. Athen. XII. p. 522. D. E. ex Clearcho: erat is Ariſtotelis diſcipulus, vt hinc tempora colligere liceat, quibus ſcripſit. id. lib. IV. p. 166. ex Theopompo. Quaeſtum inprimis fecere ex piſcatione (vnde magna Tarenti piſcatorum turba fuit: Ariſtot. de Rep. IV, 4. p. 492. A. du Val.) et ex purpura lanaque.

p) Colligas ex interpretatione vocis *ταραντινίζειν* apud Stephanum in *Τάρας*, Euſtath. ad Dionyſ. Perieg. 376, Heſych. in *Ταραντῖνοι*, Suid. in eod. voc. et in *ἱππικῇ*. add. Victor. Var. Lect. IX, 3. Sybaritarum exemplum ſimile alias vidimus. Veſtibus iidem ornati erant pretioſis. De veſtibus tenuibus et pellucidis, quibus mares vſi ſunt, nota res eſt. cf. p. 172. v. Athen. l. c. D. Etymol. M. in *Ταραντεινόν*. Pollux VII, 76. Heſych. in *Ταραντῖναι* et *Ταραντινόν*. Suidas in *Ταραντινίδιον*.

magiſtratus nomine, qui ludos equeſtres curaſſe videtur, diuerſi forte et hos generis: nam etiam clauis armati equites depugnant; occurrunt quoque κέλητες ſeu coronas manu praetendentes, ſeu ipſi a Victoria coronati *q*). Quam intemperanter autem ludicro et otio indulſerint, illud maxime docet, quod ne bello quidem grauiſſimo impliciti ad ſeria animum adiecere. Pyrrhus itaque theatrum occluſit et conuiuiis eos comeſſationibusque interdixit, praeterea gymnaſiis et ambulationibus vacare vetuit *r*); etſi haec eo potius pertinuiſſe videntur ne intempeſtiuis ſermonibus ſerendis ad nouas res animos conuerterent. Ludis quidem ſpectaculisque adeo indulſiſſe feruntur, vt ferias haberent numero plures quam dies profeſtos *s*). Inter praua reipublicae

q) Numos videre licet apud Golz. in num. M. Graec. t. XXXI. II. III. de Schachman, *Catalogue des Medailles* p. 33. 34. et locis ſupra laudd. Ipſe Taras coronas interdum fert. Quod idem alia attributa tenet, bene ad feſta et ludos refertur, quod uvam vel diotam, ad Dionyſia, ſi tridentem, Neptunia, ſi clauam, Heraclea, ſi tripodem, Apollinaria: vide V. C. Eckhel. Numi vet. anecd. T. I. p. 33. Vocabuli νοῦμμος vſum apud Tarentinos teſtatur Pollux ex Ariſtotelis πολιτείαις. Ceterum inter numos Tarentinorum multi ſunt ſumma arte elaborati.

r) Zonar. VIII. p. 370. Plutarch. in Pyrrho p. 392. D. E.

s) Ita enim haud dubie conſtituendus locus Strabonis lib. VI. p. 491. A. Spectat eodem locus Athenaei IV. p. 166. F. ex Theopompo. Ludos ſcenicos eo ipſo die ſpectabant, quo Romana claſſis ad portum conſpecta eſt. Dionyſia enim tum egiſſe narrantur a Dione in Exc. Legat. ex lib. XXXIV. Dionyſiorum feſto tota ciuitas temulenta, Platone teſte de LL. lib. I. p. 30. ed. Bip.

Digitized by Google

publicae inſtituta memorat Strabo hoc, quod externis in bello vſi plerumque ſunt ducibus, Quod tamen ipſe popularis ſtatus ſuadere debuit, in quo neminem adeo excellere conſultum eſt, vt ei aequo animo pareant caeteri; nec finito bello imperium deponunt aequo animo ii, qui ad vitae priuatae obſcuritatem redeundum ſibi eſſe vident; aemulationis quoque et inuidiae obtrectationisque ſtudia omnem facile imperatoriae prudentiae fructum inter pares intercipiunt. Nec defuere Tarentinae plebi demagogi ſui, vt ex iis intelligitur, quae ſub belli cum Romanis initia euenere *t*).

Attriti autem ſunt Tarentini bellis variis, quae cum Meſſapiis, Lucanis aliisque finitimis populis geſſere *u*); euerſi prorſus fortunis ſuis, Romanorum

t) v. Plutarch. in Pyrrho p. 390 C. Appiani fragm. in Exc. Legatt. Vrſin. p. 443 ſqq.

u) De bello cum Japygibus ſeu Meſſapiis ſub Ol. LXXVI iam ſupra vidimus not. *f*). Cum Thuriis de Siritide pugnarunt Ol. LXXXIV. Diodor. XII, 23. Strabo VI. p. 405. C. cf. ſup. Proluſ. VII extr. XI et XIII. Super eadem terra cum Metapontinis, ibid. p. 406. B. Inter expeditiones Dionyſii, Syracuſ. tyrranni, in Italiam factas Ol. XCVI. VII. VIII. ab omni belli calamitate intacta manſiſſe videtur Tarentus. Cum Dionyſio iuniore amicitiam quoque exercuiſſe videntur. Nam memoratum legimus in Athen. XV. p. 700. D. donarium ab eo in curiam Tarentinorum datum, lychnis CCCLXV candelabrum factum. Cum Lucanis bella geſſere, externis ducibus arceſſitis, Archidamo Ageſilai filio Ol. CX. 3. Alexandro Moloſſo Ol. CXII, 1-3. Agathocle ante Ol. CXV, 4. (v. Diod. XIX, 4.) Cleonymo Spartano Ol. CXIX, 2. (cf. Mirab. Audit. 79.) tandem Pyrrho Olymp. CXXV. Strab. p. 429. B. Ab

 Acrotato

Digitized by Google

rum armis laceſſitis *x*) et Pyrrho rege arceſſito, quem pro ſocio dominum habuere. Triumphatum eſt de Tarentinis L. Papirio Curſore II. Sp. Catuilio Maximo II. Coſſ. V. C. 482. a. C. 272. Accepta ciuitas in fidem, tributum impoſitum, arma naveſque tradere iuſſi, muri diruti, relicta tamen libertas (αὐτονομία), quam quidem et ipſam amiſere bello Punico II. *y*); quod vrbe a Romanis recepta V. C.

Acrotato Lacone vexati ſunt Ol. CXVI, 3. v. Diodor. XIX, 70. Addi his poſſunt antiquiora bella, quae ex Pauſania coniectando elicimus: narrat ille lib. X, 10. p. 822. f. ſe vidiſſe Delphis donaria Tarentinorum de victis Meſſapiis, ex aere ab Ageladа facta: atqui Ageladas inter Ol. LXV. et LXX. arte clarus fuit. Argumenta rerum propoſita ſunt in *Deutſch. Societ. Schriften* To. I. p. 248. Arguebant alia Tarentinorum donaria ibid. lib. X, 13. f. victoriam de Peucetiis, rege Iapygum Opi caeſo, qui auxilium Peucetiis tulerat: circa Ol. LXXV bellum hoc geſtum videtur, nam eo tempore Onatam, qui ea fecerat, vixiſſe alio loco docuimus. Aliud eorum bellum cum Iapygibus eſt, quod ex Clearcho narrat Athenaeus XII. p. 522. E. quo Carbinam, oppidum Iapygum, ſolo aequarunt, in oppidanos autem incredibili flagitioſiſſimaque crudelitate ſaeuierunt. Vrbem Carbinam alibi memoratam non vidimus.

x) Nec vero impetum in claſſem Romanam adeo temere factum putemus, ac vulgo narrari videmus. Nam ex inſidiis L. Valerium portui imminere putabant (v. Zonaras VIII. 2 pr.) et ex foedere Romanis non licebat in ſinu hoc nauigare, vt ſupra vidimus. Suſpecta autem merito iam dudum habebatur ad ingentes auctus euecta Romanorum potentia, Samnitibus et Lucanis domitis. cf. Liv. VIII, 27. IX, 14.

y) Strab. VI. p. 429. C. cf. Mazoch. ad Tabb. Heracl. p. 98. cum antea ad Poenos deſciuiſſent: Appian. Annib. p. 573 ſq. (332).

V. C. 545. a. C. 209. factum eſſe neceſſe eſt. Accepta mox colonia, quiete Tarentinos viuere et melius quam olim, teſtatur Strabo. Colonia a Romanis deducta eſt Tarentum a. V. C. 631. quo etiam Scylacium, Mineruium, Neptunia et Carthago coloniae conditae ſunt z). Municipii tamen ius poſtea eam conſequutam eſſe neceſſe eſt; ita quidem, vt, Legis Juliae beneficio, libertatem (αὐτονομίαν) ſuam retinere, quam legum Romanorum fundus fieri mallet: ſiquidem Strabo a) eam cum Neapoli et Rhegio ſolam fuiſſe inter Graecas Italiae ciuitates ait, quae Graecum ſermonem Graecaque inſtituta retineret: quod in colonia Romana fieri nullo modo potuiſſet. Si Plinium ſatis recte aſſequimur, colonia ea non in veteris Tarenti moenibus, ſed in agro conſtituta fuerat, moxque cum eadem vrbe coaluerat: vbi enim de ſinu Tarentino agit, *ab oppido*, inquit, *Laconum, in receſſu hoc intimo ſito, contributa eo maritima colonia, quae ibi fuerat b)*.

Vrbem tam opulentam multis praeclarae artis operibus et aedificiis inſignem fuiſſe nemo dubitet.

 Theatrum

z) Vellej. I, 15, 4.

a) Lib. VI. pr.

b) Plin. III. 11, 16. Saepe ſic Plinius de coloniis, quae cum aliis vrbibus coaluere, vt *contributas* dicat, v. c. XIV, 6. ſ. 8, 2. *Vrbanam coloniam Syllanam nuper Capuae contributam*. Non igitur aſſentimur Gallico interpreti, Poinſineto de Sivry, qui coloniam *Contributam* hinc effinxit et in ſinu Tarentino collocauit nemini auditam; et repugnat verborum ordo et copula *eo*. Veteranorum coloniam deducere iterum tentatum erat ſub Nerone. Tacit. XIV, 27.

Theatrum fuit eximium portui imminens ad proſpectum maris *c*); porro gymnaſium pulcherrimum et forum ſatis amplum, in quo Jovis coloſſus poſitus erat poſt Rhodium omnium facile maximus *d*). Lyſippi ille opus, factusque adeo vix L annis ante bellum cum Romanis ſuſceptum: nam Lyſippi aetatem in Alexandri M. tempora incidere notum eſt. Reliquerat eum, propter magnitudinem difficultatemque moliendi, Q. Fabius Maximus Verrucoſus Coſ. vrbe a Poenis recepta (V. C. 545), *quum Herculem, qui eſt in Capitolio*, ait Plinius *e*), *inde transferret.* Templum Jovis commemoratum legimus, in quo Pyrrhus primo cum Romanis praelio facto titulum adfixerat *f*). Jovis καταιβάτου ſtatuam ac ſollenne ſacrum ex Athenaeo nouimus (XII. p. 522 F.). Templum Σωτειρας, an Junonis? apud *Polybium*

c) Flor. I, 18, 8. Theatrum etiam alii ſcriptores memorant: Florus adeo *maius theatrum*, ſi aut librario aut ipſi Floro modo fidem habere licet.

d) Strabo VI. p. 426. B.

e) Poſt Strabon. VI. p. 426. B. Plin. XXXIV, 7. ſ. 18. Repertum erat ſaec. XV. in colle Palatino Herculis ſignum e marmore factum, cum titulo, qui Lyſippi opus illud eſſe ſignificaret. Fraude iam olim, antequam ruina aedium vicinarum ille opprimeretur, inſcriptum nomen ipſa res arguebat. A Coſmo Medicis emtum ſignum nunc Florentiae in Palatio Pitti proſtat; eſtque id, quod Blanchinius in Palatio Caeſar. t. XVIII exhibuit.

f) Oroſius IV, 1. — *adfigens titulum in templo Tarentini Iovis, in quo haec ſcripſit: Qui ante hac inuicti fuvere viri, pater optime Olympi, Hos ego in pugna vici, victusque ſum ab ipſis.* Metri ratio docere poterat viros doctos, legendum eſſe: *Qui antehac inuicti fuerunt, pater o. O.*

lybium obſeruauimus (Exc. VIII, 28). At arx olim donariis ornamentisque refertiſſima pauca retinuit veteris ſplendoris veſtigia; nam pleraque aut Carthaginienſes, cum vrbem capiebant, deleuerant, aut Romani vrbe recepta abduxerant. Fabius quidem argenti vim ingentem facti ſignatique, auri LXXXIII M. pondo, ſigna tabulasque, prope vt Syracuſarum ornamenta aequarent, in praedam redegerat *g*); et iam antea bello Tarentino confecto V. C. 479, in triumpho quem Man. Curius habuit, praelata ſunt partim Epirotica partim Tarentina ſpolia, tabulae pictae ac ſigna, aliaque luxus Tarentinorum inſignia, primoque tum artis Graecae opera Romanis viſu cognita ſunt *h*).

Doricam eos dictionem ad magnam elegantiam et ſuauitatem expoliiſſe credere licet. Inter ea, quibus petulanter Romanos legatos excepiſſe narrantur, fuit hoc, quod, quoties ab illis aliquid, vtpote ab hominibus Romanis, parum Graece prolatum eſſet, tota concio ſolueretur in riſum *i*).

P 4 Atque

g) Liv. XXVII, 16.

h) Flor. I, 18.

i) Appian. in Exc. Legat. Vrſin. p. 344. Dionyſ. Halic. in iisdem Excerptt. p. 303 f. *ἀλλ᾽ εἴ τι μὴ κατὰ τὸν ἀκριβέστατον τῆς Ἑλληνικῆς διαλέκτου χαρακτῆρα ὑπ᾽ αὐτοῦ λέγοιτο, παρατηροῦντες ἐγέλων καὶ πρὸς τὰς ἀναστάσεις ἐτραχύνοντο, καὶ βάρβαρον ἀπεκάλουν.* Leg. *πρὸς τὰς ἀνατάσεις*, et accipiendum de minis, quibus prouocati *ἐτραχύνοντο*, exaſperati conuiciabantur legatos, barbaros eos appellando, tandemque theatro eiiciebant. Multa ceterum habuiſſe ſingularia Dialectum Tarentinorum, cum ex gloſſis intelligimus, quae paſſim ſuperſunt,

Atque haec quidem eo commemorata a nobis ſunt, vt ex ipſis opibus ac copiis, quas ea ciuitas conſequuta eſt, exque litterarum et artium inter Tarentinos ſtudiis intelligeretur, non male legibus inſtitutisque deſcriptam eſſe debuiſſe ciuitatem in ipſo populari ſtatu, quem bene temperare ac conſtituere omnium difficillimum vulgo habetur. Floruerat democratia per CC annos; cum antea per CCXXXIII annos ariſtocratia vſi non minus feliciter res geſſiſſent. P. P. ex Academia Georgia Auguſta, d. XVII. Sept. cIↃ IↃ CCLXXV.

perſunt, v. c. in Heſychio, tum multo magis teneremus, ſi Rhinthonis fabulae ad nos perueniſſent cum aliis ſcriptoribus Tarentinis. Inter gloſſas referendum νοῦμμος apud Polluc. IX, 80. niſi forte Romana vox Tarentum immigrauerat, vti et Himerenſium οὐγκία Romanorum vncia eſſe videtur. Potuit in vtroque falli Ariſtoteles, vt pro domeſticis vocabulis ea haberet.

XIII.

XIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHR. FR. GE. MEISTER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS
SACRA XXXIX.

IN A. D. XVII. SEPT. CIↃ IↃ CCLXXVI.

RITE INDICIT.

Inſtituta et leges Heracleenſium, quae Tarentinorum fuit colonia.

Magna nos, Commilitones, pro neceſſitudine noſtra, proque officio et amore noſtro, tenet cupido alloquendi vos, eumque, quo vos amplectimur, animi affectum declarandi. Annus enim vertitur, ex quo nihil vobiscum egimus; quandoquidem continuato per alterum hoc ſemeſtre magiſtratu academico, defuit opportunitas publice vobiscum confabulandi, quam commendatio ſucceſſorum ſuppeditare ſolet. Redeunt nunc anniuerſaria inauguratae Vniuerſitatis noſtrae litterariae ſacra; quae cum indicenda vobis ſint, vosque ad bona

vota precesque ſitis exhortandi, vtemur occaſione oblata, et, quod facere ſolent familiares, quibus videndi ſe et confabulandi facultas per aliquod tempus fuit erepta, agamus nunc de rebus communibus, repetamusque eam diſputationem, quam anno ſuperiore eramus exorſi, vt perſequamur *inſtituta et leges ciuitatum Doricarum per Magnam Graeciam et Siciliam;* et nunc quidem de Heraclea agemus, quae diſputatio nonnulla complectetur, quae ad antiquam iurisprudentiam ſpectabunt, quaeque adeo magnae veſtrum parti, vtpote ſeu legum iuriumque, ſeu antiquitatis doctae ſtudioſis, diſplicere haud poterunt. Quod ſi cui tamen iucundius fuerit, de quacunque alia re cum adſtante vel adſidente amico ſermones ſerere, nos quidem tam moroſi non ſumus, quin illud ſine vlla noſtri offenſione facere liceat.

De Tarentinis ſuperiore proluſione egimus: quorum colonia cum *Heraclea* eſſet, in eadem Magnae Graeciae ora inter Metapontum et Sybarin, in agro mirae felicitatis, ſita, proximum eſt, vt de ea dicamus *a*). Origines quidem eius vltra Ol. LXXXVI non aſſurgunt; fuit tamen antea in iisdem

a) Egit de ea fuſe potius quam copioſe vir doctiſſ. Mazoch. in Comment. in tab. Heracleenſem. Itaque ea potiſſimum attingemus, quae ab eo parum accurate prodita aut minus commode digeſta viſa ſunt. Tenebimus autem morem noſtrum et in oram libelli reiiciemus ea, quae doctioris diſputationis videri poſſint, ne legentis oculos teneant.

Digitized by Google

iisdem locis *b*) antiquiſſima vrbs *Siris* ad amnem Sirin, Troianae vulgo originis habita *c*); etſi leviſſimo

b) Locorum felicitatem et fertilitatem praedicant Archilochi verſus excitati Athen. XII. p. 523. D. *οὐ γὰρ τι καλὸς χωρὸς οὐδ' ἐφίμερος Οὐδ' ἐρατὸς, οἷος ἀμφὶ Σίριος ῥοάς.* inde etiam Siritarum luxus aliquando fuit celebratus: ib. C. *Numi* tamen *Siritarum* ſunt rariſſimi: necdum niſi ex aere minore noti: ap. Pelerin. *Supplem.* III. *pl.* 3, 8. 9. 10. et Magnan. Lucania numiſm. t. 50. in vno roſtrum nauis, adſcripto Σειρις, antiquis litteris: in altero et tertio caput Mercurii, vt ſuſpicor; in aduerſa parte modo vas modo aquila. Adſcriptum Σειρι et Σει. In Winckelmann. Hiſt. art. recenſ. Vindob. p. 138. laudatur numus argenteus in Muſeo Ducis Caraffa Noia: altera parte prae ſe ferens caput bouinum cum voce Πυξοεν antiquis litteris; altera taurum incuſum cum voc. Σερενον. adiectum ibi eſt, vix ab ipſo Winckelmanno, ſpectare haec *ad vrbem Syrinon;* nec hoc aut mutatum aut monitum ab Italis in verſ. Immo vero ad Sirin; cuius ciues dicti Σιρῖται. In vſu tamen quoque fuit (v. Steph. Byz. in Σιρις) Σιρηνὸς, et forte etiam Σειρηνος et antique Σερενος. Adſcriptum adeo in numo Σερενον pro τῶν Σειρηνῶν. Inter Πυξοῦντα autem ſ. Buxentum et Sirin amicitia vigere debuit.

c) Strabo VI. p. 405. A. *Σίρις, ἐφ' οὗ πόλις ἦν ὁμώνυμος Τρωϊκή.* Athen. XII. p. 523. C. *Καὶ οἱ τὴν Σίριν κατοικοῦντες, ἣν πρῶτοι κατέσχον οἱ ἀπὸ Τροίας ἐλθόντες.* conf. Lycophr. 978 ſqq. vbi quae legitur *Leutarnia* (*πολλοὶ δὲ Σῖριν ἀμφὶ καὶ Λευταρνίαν Ἄρουραν οἰκήσουσι*); de qua interpretes Lycophronis tacent, dum Cluver. Ital. ant. p. 1273. pro alio Siris vrbis nomine habet, conſentiente Mazochio p. 71. qui multa mira comminiſcitur; illuſtranda erat e Strabone lib. VI. p. 430. C. Fuit Leuternia, vt apud Strabonem ſcribitur, ora extremae Japygiae circa Barin et Leuca ad ipſum promontorium Sallentinum; a Lycophrone igitur nomen latius fuit poſitum pro ipſa Calabria. Haec niſi Strabonis auctoritas impetum ſufflaminaret, legi poſſet, *Λευκανίαν ἄρουραν.* Lucaniae enim fines ad Siritidem pertinuere.

Digitized by Google

viſſimo argumento, ſi quidem grauius aliud fuit nullum quam quod Strabo commemorat, quod Palladium ibi erat, ſeu Palladis Iliacae ſimulacrum antiquum oculis in ſolum defixis, quod Troia advectum vulgo credebatur *d*). Poſtea acceſſerunt Iones, qui vrbe vi capta in victos, quamuis ſibi ſupplices factos, nefando more ſaeuierunt; *ipſi* vrbem a ſe inhabitatam *Polieum* h. oppidulum appellarunt *e*). Iones illi Lydorum imperium fugerant *f*), vt adeo eos ſub Alyattis vel Croeſi tempora (puta

d) Strabo l.l. qui etiam fabulam, quam ipſe explodit, narrat, deam facinore in ſupplices commiſſo auertiſſe oculos et in terram defixiſſe. Religioſo tamen ritu coli ſolitam Palladem etiam Heracleenſibus infra videbimus. Quod ibidem ſubiicitur: καὶ τὸ Τρωάδων δὲ τόλμημα vsque ad καίπερ δυνατὸν ὄν· alieno loco inſertum arbitramur, et retrahimus ad p. 402. B. de Troianis feminis captiuis.

e) Ita Steph. Byz. in Σίρις. Strabo l. c. B. vbi τὴν πόλιν αὐτοχθόνων οὖσαν recte MSS. Χώνων habent; *Chones* enim cum *Oenotris* loca circa Siritidem tenebant, iisque ex Troianis exulibus nonnullos adhaeſiſſe exiſtimandum eſt; quandoquidem paullo ante *vrbs Troiana dicta* eſt. Argutatur Mazoch. p. 79 ſqq. dum Chanaanem in nomine Chonum et Choniae quaerit, hoc eſt Phoeniciam. Nam Χωνίαν Lycophr. v. 983. edit. v. ex Antiocho Strab. VI. p. 391. C.

f) v. Strabo l. c. A. B. At Lycophronem v. 983 ſqq. turbare calculos clamant omnes; nam aiunt eum narrare inuerſe, Ionas iam tum loca tenuiſſe, cum Troiani ſuperuenirent, eosque ab his, qui Achaeos, hoc eſt, Crotoniatas ſibi adiunxerant ſocios belli, fuiſſe in ipſo deae conſpectu caeſos; quod rerum et temporum rationibus prorſus repugnat. Scholiaſtes multo magis ineptit; quem cum parum ſapienter ſequatur Mazochius, miris commentis omnia contaminauit p. 69 ſq. Enim-

Digitized by Google

(puta circa Ol. L) ad has oras appuliſſe neceſſe ſit. Colophone profectos fuiſſe ex Athenaeo colligere licet *g*). Iam hi coloni Poliei ex Ionia ſceleris ſui fructum non adeo magnum nec res admodum florentes habuiſſe videntur.

Locus

Enimuero virorum doctorum feſtinationi imputandum eſt, quod Lycophroni tribuunt. Nam Calchantis nomen non ad Sirin ſpectat, ſed ad declarandum ſitum Leutarniae, de qua ante diximus. Fuit autem, vt ex Strabone diſcimus, lib. VI. p. 435. extr. Calchantis ſacellum in iis locis Calabriae in monte Drio, vt adeo Calchantis in iis locis memoriam fuiſſe conſtet. Porro non de Troianis, ſed de Achaeis aduenis loqui Lycophron putandus eſt, qui ad Troiam fuerant. Iam nihil eſt quod diuerſi tradat Lycophron ab Antiocho apud Strabonem, quam quod Achaeis aduenis ad Sirin tribuit, quod ille iis qui ſerius acceſſere, Ionibus. Nam *Ξουθίδας*, h. Iones, ex praua Aurati correctione legitur; ſcriptum eſt vbique *Ξουθίδος* ſc. *θεᾶς*, quae Pallas eſt, et agitur de priſtinis incolis, quos paullo poſt *Ικονας* appellat veteri nomine, quod docte poſuiſſe videtur pro Chonibus. De Ionibus, quos nos poſuimus, etiam locus eſt accipiendus, et inde illuſtrandus, in Mirab. Audit. c. 114. *Λέγεται δὲ μετὰ τὸ παραβαλεῖν τοὺς Ταραντίνους, Ἡράκλειαν τὸν τόπον καλεῖσθαι, ὃν νῦν κατοικοῦσιν. ἐν δὲ τοῖς ἄνω χρόνοις, τῶν Ἰώνων κατεχόντων, Πολίειον. ἔτι δὲ ἐκείνων ἔμπροσθεν, ὑπὸ τῶν πρῶτον κατασχόντων αὐτὴν Σίριν ὠνομᾶσθαι.* vti hunc locum iam olim diximus emendandum eſſe. Ceterum haec narratio de Ionibus prorſus conſpirat cum illa de Siri a Metapontinis, Sybaritis et Crotoniatis expugnata ap. Juſtin. XX, 2. vt adeo communi conſilio Italicarum ciuitatum et aduenarum Ionum rem geſtam eſſe neceſſe ſit: cf. ſup. Proluſ. X. de Crotoniatis p. 185.

g) Athen. p. 523. C. ex Timaeo et Ariſtotele. Etiam Rhodios olim ad haec littora appuliſſe, et Siritidem terram cum Sybari inhabitaſſe fama fuit: de qua ex Srrabone VI. p. 405. C. actum in Proluſ. XIV.

Locus eſt Herodoti in verbis Themiſtoclis ad Eurybiadem Laconem, in quo ille minatur, niſi pugna ad Salaminem fiat, Athenienſes, quippe qui ſemel iam naues conſcenderint, profecturos eſſe ad Sirim in Italia; eam enim a priſco inde tempore Athenienſium fuiſſe, et oracula iubere Athenienſes eam condere *h*). Spectant haec ad Ol. LXXV, 1. Ergo iam tum loca ad Sirim incolis vacua erant, et colonos, eam qui frequentarent, exſpectabant. Conuerterant Polieum inhabitantes Iones, ſeu Siritae, ſi ita dicere placet, animos, vt probabile ſit, ad Athenienſes, vtpote eadem ſtirpe Ionica oriundos; et forte alia interceſſerant, quae nunc ignoramus, quaeque efficere potuere, vt Athenienſium ea colonia ab priſco tempore haberetur. Iam dudum autem Athenienſes, rei naualis forte ſtudio, Italiam ac Siciliam oculis quaſi et conſilis defixerant, vt certas ſibi in iis ſedes, forte portus et naualia, pararent. Exitum res habuit mox in Thuriis condendis, et aliquanto poſt claſſe aduerſus Syracuſanos miſſa. Verum iam ante haec tempora contigiſſe neceſſe eſt, quod de Samiis narrat ex Hegeſandri commentariis Athenaeus *i*): eos aliquando Sybarin nauigaſſe, et iam Siritidem terram tenuiſſe, cum perdicum euolantium ſtrepitu perterrefacti iterum nauibus conſcenſis diſceſſerunt. Poſt Olymp. LXXXI, 4. autem nouae Sybaris coloni loca illa ad Sirim fl. quibus Tarentini imminebant, occupare voluere.

h) Herodot. VIII, 62.

i) Athen. lib. XII. p. 656. C. locus iam a Valken. ad Herodot. l. c. excitatus. Ex eodem rem petiit Euſtath. p. 789. extr.

voluere. Acciti mox ex Graecia Achaei, ad Sirim incolendam miſſi, Metapontum tenere maluere (v. inf. Proluſ. XI. vbi de Metaponto) non ſine prudenti conſilio, vt ſic Tarentinos a Siritide terra, vlterius verſus Thurios ſita, ipſi interiecti intercluderent. Mox tamen cum Thurii Ol. LXXXIII, 3. in Sybaritarum locum deducti eſſent, arma ſumſiſſe narrantur Tarentini aduerſus Thurios recens tum conditos Olymp. LXXXIII, 1. vt eos de terra Siritide depellerent (Strabo ex Antiocho Syracuſ. VI. p. 405. Diodor. XII, 23.), vt adeo credendum ſit, Thurios, vix nouarum ſedium compotes, extemplo Siritidi terrae inhiaſſe, inuitis Tarentinis. Non ſatis conſtat, quod aut horum aut illorum in hanc terram ius fuerit; niſi prudentia Tarentinis id ſuaſiſſe putanda eſt, ne ceruicibus ſuis inſiderent aduenae finibusque ſuis imminerent; videtur tamen ager incolis parum fuiſſe frequentatus, ita vt Thurii eum ſibi vindicare auderent. Eduxerunt illi copias duce Cleandria, exule Spartano (v. ſup. Proluſ. VII. de Thuriis p. 140. cf. p. 210). Conuenit mox Ol. LXXXVI, 4. a. C. N. 433. inter eos et Tarentinos, vt coloniam ex vtrisque conſcriptam in agrum deducerent Siritisque adſcriberent, Tarentinorum tamen colonia ea haberetur; hoc eſt, vt iura in eam tanquam coloniam haberent Tarentini; condita tamen vrbs alio loco, quam Siris *k*), haud dubie Tarentinorum conſilio, vt, ſi in interioribus

k) Diodor. XII, 36. *κατὰ δὲ τὴν Ἰταλίαν Ταραντῖνοι τοὺς τὴν Σίριν καλουμένην οἰκοῦντας μετοικίσαντες ἐκ τῆς πατρίδος, καὶ ἰδίους προσθέντες οἰκήτορας, ἔκτισαν πόλιν τὴν Ἡράκλειαν.*

rioribus locis illa eſſet, ditioni ſuae tanto magis obnoxia eſſet; et nomen quoque paullo poſt aliud nacta eſt, vt *Heraclea* appellaretur *l*); ducto nomine ab heroe patrio Tarentinorum, quos a Lacedaemoniis originem duxiſſe alio tempore vidimus. *Siris* autem nauale Heracleenſium factum eſt *m*).

Poſt haec tempora geſtum eſt bellum, quod Tarentini, regibus Dauniorum et Peucetiorum in belli ſocietatem adſcitis, de Heraclea cum Meſſapiis ſuſcepiſſe narrantur *n*). Floruit inde Heraclea per multos annos, cum etiam Conuentus Magnae Graeciae in ea vrbe haberetur *o*); nec niſi

l) Haec Strabo lib. VI. p. 405. C. ex Antiocho Syracuſano, aetate Herodoto ſuppare. Mazoch. p. 66. et p. 109 ſqq. duas vrbes, Sirim et Heracleam conditas credebat, et falſa interpunctione adductus multa mire miſcet. Paullo pinguius Plin. III, 11. *Heraclea aliquando Siris appellata.* Nec magis accurate et per prolepſin Livius Servii Tullii tempore *Heracleam* memorat in vltima Italiae ora, lib. I, c. 18. Situs Heracleae ad dextram Aciris amnis ripam, paullo remotius a mari, ſatis declaratus eſt a Strabone: et a Mazoch. p. 110 ſqq. Si Parthenio Erotic. c. 7. e Phania Ereſio fabulam narranti fidere liceret, tyrannum aliquando ea vrbs habuit ab Hipparino occiſum, qui tamen ab ouibus inter ſe colligatis in fuga impeditus periit: quo facto et ſignum ex aere ei poſitum, et *νόμος ἐγράφη, μηδένα ἐλαύνειν τοῦ λοιποῦ πρόβατα συνδεδεμένα.*

m) v. Proluſ. XI. vbi de Metaponto p. 211. e Strabone VI, p. 406. A. B. Turbant magnopere in his viri docti, vt nuper Pelerinus in Supplem. P. III, p. 90. et me ipſum multum diuque trepidaſſe haud diffiteor.

n) v. Strab. VI, p. 430. A. cf. ſup. p. 227. *u*)

o) Strab. VI, p. 429. C. *πανήγυρις. σύνοδος.* de quo praeclaro inſtituto alio tempore diſputatum eſt: Proluſ. X, p. 189. 190.

niſi finitimarum vrbium communi fortuna contacta eſſe videtur. Primum ab Alexandro Moloſſo, qui Italiae inhiabat, in ditionem fuit redacta, quod intra annos V.C. 414 et 423 (a.C. 340 et 326) eueniſſe neceſſe eſt q). Ante Heracleam captam (nam ſi vrbem iam tum ditione tenuiſſet, conſilium illud alienum et inutile fuiſſet) conuentum Magnae Graeciae ex ea vrbe in Thuriorum terram, in locum circa Acalandrum fluuium, transferre voluit, Tarentinorum odio; quorum adeo in poteſtate Heraclea, tanquam colonia, vſque ad id temporis fuit r). Poſt haec tempora, etſi de anno non conſtat s), ſui iuris facta eſt ciuitas; exſtant enim numi ab ea cuſi t). Poſtea

q) v. Liv. VIII, 24. cf. Juſtin. XII, 2.

r) Strabo l. c. Hoc argumento vti in hunc modum debebat Mazochſ. p. 107. pro aliis quae vim nullam habent.

s) Leue eſt Mazochii p. 131. aſſertum, per Alexandrum Moloſſum Heracleam ſui iuris factam.

t) Numos aliquot recenſet Mazoch. p. 112. 113. et tab. ad p. 138. alios Magnan. num. Lucaniae. Muſ. Hunter. Originem coloniae declarat numus n. 3. in quo Tarentinorum typus eſt ſeruatus, Taras delphino inſidens, ſubſcripta ſigla: ⊦ H P h. e. Ἡράκλεια. Alium ſimilem, adiecta adeo voce T A P ex Muſeo Caeſareo protulit Eckhel Vir Doctiſſ. in Num. vet anecd. tab. III, 5. quem cf. p. 32. et tertium n. 11. in quo TA et ⊦H. Hoc ⊦H etiam alius numus apud Pelerinum exhibet (*Recueil T. I. pl. 7, 12.* et *Supplem.* p. 111. pl. 3, 7. et n. 5.) alius HE. In aliis ⊦HPAKΛEIΩN vel ⊦HPAKΛHIΩN legi ſolet, quod perperam Ἡρακλητῶν lectum fuit a Golzio in Sicil. et M. Graec. t. 9. tractum quoque ab eo et Paruta perperam ad Heracleam Siciliae; Etiam ⊦HPAKΛHI. in numo apud Eckhel. p. 36. n. 12. qui et alium ad Heracleam refert, in quo HPAKΛEΩTAN ſcriptum inſolito more, cum Baccho

Digitized by Google

Poſtea in bello, quod cum Tarentinis geſſerunt Romani, poſt Pyrrhi in Siciliam diſceſſum V. C. 476. a. C. 278, C. Fabricius Coſ. cum Lucanos, Bruttios, Tarentinos Samnitesque cecidiſſet, ciuitates inter alias Heracleam foedere prope ſingulari adiunxit *u*). Fuit itaque ea inter foederatas ciuitates, quae ſui iuris eſſent, niſi quod ex foedere auxilia et alia, in quae conueniſſent, mitterent; neque illa, cum Lege Julia ciuitas eſſet ſociis data, (V. C. 664.) legum fundus facta eſſe videtur, etſi ſinguli ciues, atque etiam aliquando tota Heracleenſium legio, ciuitate Romana eſſent donati

Baccho tamen, quem cum Pallade, quae et ipſa in numis obuia eſt, ab Heracleenſibus cultum fuiſſe, infra videbimus. Reperit iſtam vocis inflexionem in alio numo, quem ad noſtram Heracleam ſpectare paullo certius affirmat, Pelerinus in *Supplem. III.* p. 85. n. 6. Hercules fere ſtans exhibetur aut leonem elidens, vnus t. 2. ſedens in numo a *Dutens* vulgato *Hiſt. de l'Acad. d. I. T. 40. p. 94.* Alia ne commemoremus, fecit otium Raſchii induſtria in Lexico numiſmat. voc. Heraclea T. II. P. II. p. 115 ſqq. Etiam Heraclea et Metapontum eodem numo iuncta occurrunt: vt Hunter. Muſ. tab. 29. 30. Verum et haec collegit Raſche p. 123.

u) Cic. p. Balbo c. 22. *ex ea ciuitate, quacum prope ſingulare foedus Pyrrhi temporibus, C. Fabricio Coſ. ictum putatur.* cf. Mazoch. p. 113 ſq. qui et foederatam ac ſociam, et municipium appellat. Enimuero municipium proprie ita dictum eſſe non potuit, quandoquidem iure ciuitatis R. vti noluit. Foederatae autem vrbes ſunt eaedem ac ſociae, ſeu Latini ſeu Italici iuris; etſi hoc potius genus ita dici ſolet. Dicendum itaque Heracleam fuiſſe iuris Italici; non autem municipium.

Digitized by Google

nati *x*). An igitur municipii locum illa aliquando obtinuerit, ſatis liquido non conſtare putamus *y*).

Q 2 Quae

x) v. Cic. pro Balbo l. c. vnde ſimul colligi poteſt, ex foedere Heracleam copias Romanis miſiſſe. Idem c. 8. *ipſa denique Julia, qua lege ciuitas eſt ſociis et Latinis data, qui fundi populi facti non eſſent, ciuitatem non haberent: in quo magna contentio Heracliensium et Neapolitanorum fuit, cum magna pars in iis ciuitatibus foederis ſui libertatem ciuitati anteferret.* Adde pro Arch. 4. Ceterum bello Italico et ipſam Heracleam grauiter afflictam fuiſſe neceſſe eſt, quandoquidem tabularium eorum incenſum Cicero eodem loco memorat.

y) Sane quidem Mazochius ſummis viribus contendit, Heracleam factam eſſe municipium. Sed ex loco Cicer. p. Balbo 8. effici id nequit. Grauius argumentum eſſet aes Heracleenſe, quod ille poſt Conradum docto commentario illuſtrauit, in altera ſui parte Latine ſcripta, quae legem comprehendit miſcellam Romae factam, primo de recenſu ciuium agendo, frumenti populo diuidendi cauſſa, tum de viis in vrbe Roma locisque publicis tuendis, de fruendis vectigalibus publice conductis; de magiſtratibus et ſenatu in municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis ciuium Romanorum varia: v. c. vt ne in iis eſſent honorariae, quas nos ſupernumerarias appellamus, dignitates, et ſic porro; tandemque de cenſu in iis agendo. Iam in illa lege cum non de ciuibus modo Romae degentibus agatur, verum etiam ad municipia, colonias, praefecturas, fora, conciliabula, legem ſpectare manifeſtum ſit, Mazochius effectum eſſe ait, vt Heraclea municipium fuerit. Cur tamen, ſi iſta ratio valet, municipium, nec magis colonia, praefectura, forum, conciliabulum? Variae eſſe potuere cauſſae, cur iſti aeri Heracleenſi altero latere lex illa miſcella inſcriberetur, vt nec tamen ea ad Heracleenſes pertineret. Nec maius firmamentum ex clauſula legis peti poteſt, quod in ea municipia fundana memorantur, h. e. quae fundi legis facta eſſent. Quod

Digitized by Google

Quae huius ciuitatis inſtituta fuerint, ea quidem aetate, qua ſui iuris fuit, ex iis, quae narrata ſunt, colligi potius poteſt, quam diſertis veterum ſcriptorum locis doceri. Communia primum cum ceteris Dorici generis ciuitatibus multa eam habuiſſe per ſe patet; tum vero Tarentinorum leges et mores eam ſeruaſſe probabile fit, cum coloniarum officium ac pietas iſtud poſtularet; quumque adeo illi a Lacedaemoniis originem haberent, etiam ad

Quod vero grauiſſimum eſt, nec animaduerſum a viris doctis, ait Cicero a P. Craſſo Heracleenſium legionem ciuitate eſſe donatam. Quod ſi factum eſt, illo tempore Heraclea municipium eſſe nequiuit, alioquin omnes Heracleenſes ius ciuitatis R. habuiſſent. P. Craſſus autem fuit cenſor cum L. Julio Caeſare a. V. C. Varr. 665. Lata ergo iam tum erat Lex Julia *de ciuitate cum ſociis et Latinis communicanda.* Nec adeo Heracleenſes eam tum quidem ſuam fecerant, h. e. fundi legis facti non erant; itaque probabile fit, legionem illam, ciuitate R. donatam, ex parte eorum fuiſſe, qui ciuitatem praeferrent libertati: cum alii, vt Cicero narrat, libertatem ciuitati praeferrent. Quod ſi itaque Heraclea ciuitatem R. adſciuit, ſerius vtique hoc factum eſſe neceſſe eſt; caditque adeo tota Mazochii diſputatio caeteroqui perquam docta, inprimis p. 88 ſq. Ex loco vero Ciceronis pro Arch. c. 4. ne Cicerone quidem Coſ. adeoque V. C. 691. Heracleenſes fundos legis ſeu Juliae ſeu Plotiae factos eſſe contendimus: nam Archias eo anno Romanam ciuitatem petit ex lege Plotia, quod adſcriptus erat Heracleae tanquam ciuitati foederatae, mirum vero fuiſſet, ciuitatem Romanam petere Archiam, ſi Heracleenſes ciuitate Romana fruebantur, quibus ille tamen tanquam ciuis erat adſcriptus. Quod ſi itaque eod. l. paullo poſt Heraclea *integerrimum municipium* appellatur, nomen paullo latius poſitum manifeſtum fit pro ciuitate foederata: quemadmodum a Cicerone quoque factum obſeruatum eſt de Neapoli, ad Div. XIII, 30.

Digitized by Google

ad Heracleenſes nonnulla perueniſſe credere licet. Iam primum, vt a religionibus ordiamur, Herculem iis inprimis cultum fuiſſe, cum nomen declarat tum ſpecies Herculis in numis expreſſa, leonem plerumque elidentis *z*). Dionyſo ſeu Baccho honores habitos, nec non Palladi, cum numi *a*) tum tabula Heracleenſis declarat; ex qua alia quoque collegimus, quae ad ſtatum ciuitatis publicum ſpectant, quaeque aliunde comperire non licuerat. Scilicet miro aliquo fortunae beneficio peruenit ad nos ex innumeris aeribus deperditis ſeruata tabula aerea in agro Heracleenſi ab aratore, qui per alueum torrentis per aeſtatem fere exareſcere ſoliti boues agebat, inuenta ſub annum huius ſaeculi XXXII. In fruſta illa erat disrupta, quorum duo tantum fuere ſeu in limo detecta ſeu ſeruata; nam primo neglecta illa iacuit, alterumque eius fruſtum anno abhinc tertio (ſaeculi XXXV.) per Brianum

 Fairfax

z) cf. ſup. *t*). Raro caput Herculis protome leonis ornatum, apud Pelerin. Suppl. III. pl. 3, 5. et 6. frequentius Hercules ſtans cum ſpoliis manu iniectis, ſed, praeter clauam, arcum et ſagittas tenens, pharetratus.

a) Dionyſus, Apollinis caput, et Palladis pulchellum caput, paſſim in numis Heracleenſium locis laudd. ap. Pelerin. Eckhel. Magnan. occurrunt. Videri poteſt Pallas ab antiquioribus incolis, Siritis, accepta eſſe, cum Palladis Iliacae ſimulacrum antiquum a Troianis apportatum oſtentaſſe eos ſupra viderimus. Niſi, quae verior forte ratio, a Thuriis, quos vna cum Tarentinis Heracleam deduxiſſe memorauimus, Palladem repetere placet, qui Athenienſium colonia habiti fuere. Itaque vt Pallas Poliuchos et Polias Athenarum, ita Polias in tabula Heracleenſi occurrit. Manifeſta Palladis Atticae ſpecies viſitur in numo apud Mazoch. ad p. 112. num. 2.

Digitized by Google

Fairfax armigerum in Britanniam migrauerat; alterum ad Carolum Guevara Equ. Hieroſolym. peruenerat. Mox cum Maittarius prius fruſtum illuſtratum commentario vulgaſſet, intellectum eſt ab *Italis*, alterum fragmentum apud ſe exſtare, quod orationem prioris continuat. Vtrumque nunc in Muſeo Herculanenſi ſeruatur, cum ante aliquot annos ex Anglia fruſtum retractum fuerit. Eſt autem tabula ex altera parte graece ex altera latine inſcripta. In priore quidam illa, quae graeco antiquiore Dorico ſermone exarata eſt, proponitur duplex tabula ſeu commentarius, ſeu, quod *nos* appellare ſolemus documentum publicum, ciuitatis Heracleenſis: alterum quidem ad agrum Dionyſo ſeu Baccho ſacrum ſpectans, cuius dimenſio quadripartita proponitur, tum quantum ſacri *agri*, huius dimenſionis ope, Dionyſo recuperatum fuerit, cum a priuatis eſſet poſſeſſum, et quanti id iisdem locatum, qui priuatim antea poſſederant; hinc agri terminatio peragitur. Adiectum in fine inſtrumentum locati conducti agrorum Dionyſi *b*). Alterum documentum, vt hac voce vtamur, ad agrum Palladi Poliadi ſacrum ſpectat, cuius dimenſione facta cum intellectum eſſet, quantum a priuatis poſſideretur, eam portionem recuperarunt totumque agrum item publice locarunt finitores qui ad hanc rem publice erant conſtituti. De lege, quae in altera aeris parte, tanquam tergo, ſcripta eſt, iam ſupra ad libelli oram actum eſt. Illuſtratum eſt vtrumque monumentum docto commentario a Mazochio poſt Maittarii, Maffei, et Conradi diligentiam.

b) Συνθήκα Διονύσω χώραν.

Digitized by Google

gentiam. In priore itaque duplici tabula quae ad ſtatum Heracleae publicum pertinentia animaduertimus, huiusmodi ſunt.

Spartanorum inſtituto per Tarentinos tradito, magiſtratum habuere Heracleenſes ſummum eumque annuum *Ephororum* nomine, ſiue vnius ſiue plurium, quorum tamen vnus ſeu ſorte ſeu ordine erat eponymus, cuius nomen actis praeſcriberetur *c*). Alius fuit, isque et ipſe annuus, magiſtratus *Polianomorum* *d*): quos Dio cum Praefectis vrbi comparat *e*); tum quoque *Scriba publicus* (Γραμματεὺς) ex more; commemoratur quoque Γαμέτρας, hoc eſt *geometra*, *finitoribus agrorum* (ὁρισταῖς) additus; tum Σιταγέρται, qui ſub Polianomis rem frumentariam curabant, in certos annos, in luſtrum ſcilicet, creati *f*).

Populum Heracleenſem in tribus ac curias diuiſum fuiſſe manifeſtum fit; Spartanorum phylas et obas non male comparat Mazochius *g*). *Curias* certis *epiſemis* ſeu ſignis diſtinctas ac deſignatas fuiſſe probabile fit ſeu in clipeis ſeu in hermis ac cippis ante curiam poſitis; certe nominibus illa adiecta videmus, vt tribum Romae, demon Athenis. *h*)

 Comitia

c) v. tab. apud Mazoch. p. 145. p. 205.

d) v. p. 205. 219. 224.

e) Dio XLIII, 28. et 48.

f) v. tab. p. 208. 9.

g) Mazoch. p. 149.

h) Ita v. c. ΠΕ Καρύκειον Ἀπολλώνιος Ἡρακλήτω, h. e. Apollonius Heracleti f. ex tribu, cuius nomini initium erat ΠΕ, et ex curia, cuius inſigne erat caduceus.

Comitia erant *populi*, *κατάκλητος ἁλία* dicta *i*), vt *comitia calata* apud Romanos; in iis agrorum finitores creatos tabula docet.

Locationem conductionem agrorum publicorum fieri videmus in perpetuum, vt emphyteuſeos genus haberi poſſit, annua tamen mercedis penſione conſtituta et datis praedibus in quinquennium, h. e. in luſtrum; cuius adeo vſus non Romanis ſolis fuit. Praedes *πρώγγυω* (h. e. *προέγγυοι. ἔγγυοι*) *τοῦ σώματος* dicuntur; in quo habemus vetuſtum Romanorum morem, vt praes ſeu vindex, qui pro altero ſpondebat, et ipſe corpus ſuum obligaret, quandoquidem creditori debitoris non bona modo ſed et corpus obnoxium erat et in compedibus ac neruo teneri poterat; hinc illa ſaeuitia creditorum in nexos, cui tandem obuiam itum lege Poetelia Papiria (V. C. 428.) qua omnes, qui bonam copiam iurarent, ne eſſent nexi, diſſoluti, h. e. vt pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium eſſet. Ita derogatum tabb. XII. legi.

Penſionem mercedis annuam fuiſſe paullo ante memorauimus. Quantum in ſingula iugera conſtitutum fuerit, ſubſcriptum non eſt, ſumma tantum cum agrorum eorumque diuerſi generis, arationis, vindemiae, paſtionis, tum mercedis vniverſe appoſita. Ex agris v. c. Dionyſo ſacris in annum redibant mercedis loco CCCCX medimni cum ſemiſextario *k*). Soluta merces in frugibus et quidem

i) v. p. 154. et 260.

k) $\frac{1}{12}$ medimni. *κάδδιχον* appellabant, h. quatuor choenices, v. Mazoch. p. 134.

dem in hordeo, menſe Panemo, qui cum Julio conuenire videtur.

Menſuram publicam habuere Heracleenſes, vt ex tabula conſtat. Nec tamen genera ac nomina repetere vacat; copioſe de iis egit Mazochius. At pecuniae ſignatae genera praetermittere non poſſumus. Praeter minas enim memoratos in tabula videmus *νόμως ἀργυρίω* h. *νούμμους*, numos *l*). Fuiſſe *νοῦμμον*, qui Tarentinis quoque, forte et aliis Magnae Graeciae ciuitatibus frequentatus eſt, quartam drachmae partem, ſatis conſtat, *vnum obolum cum dimidio m*), atqui is exaequat *ſeſtertium numum* Romanorum *n*): quos adeo hoc numorum genus a Graecis ciuitatibus accepiſſe patet; intelligiturque inde etiam hoc, quod mirationem facere poteſt, cur Romani tam inaequali diuiſione in duo et dimidium aſſes vſi ſint; accommodanda ſcilicet erat argenti ſignandi et numerandi ratio ad morem Graecarum ciuitatum, quarum commerciis vtendum erat.

Multae genus, *δίκαι τριακοσταῖαι*, aliquoties in tabula memoratur; obſcurum tamen eſt, quale illud fuerit. At illud manifeſtum eſt, a Lacedaemoniis accepiſſe multa Heracleenſes etiam in ſermone ac verbis ſingulis, quorum forma omnino eſt Dorica. Inprimis notatu dignum, quod menſium nomina, quae vulgo pro Macedonicis habentur, Dorica et Laconica fuiſſe ex hac tabula intelligitur

l) v. p. 216.

m) $1\frac{1}{2}$ oboli.

n) $2\frac{1}{2}$ aſſium, mox quatuor aſſibus aeſtimatum.

Digitized by Google

ligitur, in qua Panemus, qui cum Julio, et Apellaeus memoratur, qui cum Decembre comparari ſolet *o*).

Iam ex his hactenus diſputatis intelligi poteſt illud quoque: in tenuibus quamuis antiquitatis reliquiis, quandoquidem integra nobis tam pauca ſeruauit fortuna, reperiri poſſe multa, modo ſit qui callide inquirendi artem teneat aut otio abundet.

Enimuero ne ſermonem nimium producendo moleſti ſimus, progrediendum nunc eſt ad id, cuius cauſſa ſuſcepta eſt tota haec commentatio. *In*dicenda a nobis ſunt publice in diem craſtinum ſacra academiae noſtrae anniuerſaria, quandoquidem propitio numine ea nobis contigit felicitas, vt republica ſalua et incolumi illa redeant. Praedicanda habemus diuinae indulgentiae munera multa et ſingularia, quorum interpretem audietis academiae oratorem, rhetorices profeſſorem,

CHR. G. HEYNE,

cui prouincia haec orationis habendae ex more eſt tradita, in qua pauca praemittet ad nobile illud Ciceronis dictum: *neminem virum magnum ſine aliquo afflatu diuino vnquam fuiſſe p*). Inter reliqua quae proſperum

o) Alia omittimus, quae propter Doriſmum notatu digna ſunt. *Φίντια* pro aurigationis loco habebat ex loco Pindari et eius Schol. male accepto (Olymp. VI, 37.) Mazochius; ſed cauſſam ipſe mox deſeruit; nam *παρ τὰ Φιντία* ſunt *παρὰ τὰ τοῦ Φιντίου* ſc. *χρήματα*. Ita et *τὰ τῶ Ἡρωίδα* et *τὰ Ἡρωίδεια* de agro Herodae alicuius accipienda ſunt.

p) Cic. N. D. II, 66.

proſperum rerum et ſecundum curſum declarare poſſint, munificentiae regiae genus publice commemorabit, cum Indulgentiſſimi noſtri Regis imaginem ex marmore perquam affabre elaboratam, academiae dono miſerit publico loco in bibliotheca Regio-Academica ponendam, Regina Sophia Charlotta, dulciſſimum ciuibus, et orbi terrarum cariſſimum nomen; vt adeo munus per ſe ſplendidum mirum quantum ſplendoris ex duplici dote habeat, quod et ab Optima Regina profectum et Optimum Regem ad viuum expreſſum exhibet. Quae noſtra ſollennia, cum ipſa pompa, quae ad templum academicum ducetur, vt Comites illuſtriſſimi, vosque genere, et, quae generis ſplendore potior habenda, indole et ingenio ac morum honeſtate, ornatiſſimi Ciues, veſtrae frequentiae tanquam luce fulgeat, hac ipſa tabula propoſita noſtrisque precibus humaniſſimis efficere voluimus. P.P. in Georgia Auguſta d. XVI. Sept. cIↄIↄccLXXVI.

Digitized by Google

XIV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

CHR. FR. GE. MEISTER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

ERN. GOTHOFR. BALDINGER D.

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. II. JANVARII CIↃIↃCCLXXVII.

Abſoluitur commentatio de rebuspublicis Magnae Graeciae et Siciliae ſtirpis Doricae; tum de Chalcidicis et reliquis.

Quod in ciuitatibus liberis et ad popularem ſtatum deſcriptis, priſcarum inprimis aetatum, inſigni honori ac laudi eſſe, et inter adminiſtratae cum fide et dignitate reipublicae, rerumque quietarum ac tranquillarum, argumenta certiſſima haberi ſolebat; ſi vni eidemque ciui populi ſuffragiis per plures annos continuati erant magiſtratus honoresque ſummi: hoc in academica hac ciuitate, vt alia nunc de nobis ipſis taceamus, veſtrae ſaltem, Commi-

Digitized by Google

Commilitones, laudi ac praeconio veſtrae virtutis vt cedat aequum eſt, cum, pro ſemeſtri magiſtratu, quem lex mandare ſolet, continuati per ſeſquialterum annum faſces declarent ſaltem hoc, veſtrum obſequium, veſtramque obſeruantiam ac modeſtiam fuiſſe tam eximiam, rerumque noſtrarum ſtatum difficultatibus et moleſtiis, quae turbidorum ingeniorum et inutilium ciuium fraude creari plerumque ſolent, tam parum impeditum ac vexatum, vt nihil eſſe videretur, cur aut eum, qui magiſtratum ſummum academicum gereret, honoris mandati poeniteret, aut ſummi rerum noſtrarum Curatores onus hoc ab his humeris, qui illud ſuſtinebant, amouendum eſſe cenſerent. Saltem curae noſtrae ac vigiliae tam felices habuere ſucceſſus, vt res florentes ac validae tradi poſſint ei, qui nunc in magiſtratus vices more ac lege eſt ſucceſſurus. Transferentur enim die craſtino faſces academici in domum Viri Experientiſſimi omnique humanitatis laude florentiſſimi,

ERNESTI GODOFREDI BALDINGERI.

Cum de ſtudiis veſtris, Commilitones, in Virum veſtro amore veſtraque obſeruantia digniſſimum iam ſatis conſtare arbitremur: certam et exploratam fouemus ſpem, fore, vt vos laudem praeclare partam tueri, legumque obſequium ac vitae officiique ſanctitatem praeſtare tanto magis cordi curaeque habere velitis, quo turpior eſſe ſolet laudis, quam ſemel aſſequuti eramus, amiſſio, retinendae contra pertinacia honorificentior et glorioſior.

Cum

Cum interea, vt ſtudia veſtra acuamus, Ciues, in hac ipſa tabula, in qua, vt craſtino die fauſtis noui magiſtratus auſpiciis frequentes adeſſe velitis, edicimus, de re aliqua docta et ad communia ſtudia ſpectante, nonnulla praefaminis loco diſputare mos ac lex iubeat: pertexere placet telam, quam aliquoties abruptam iterum conglutinatam retractauimus, de rebus publicis per Magnam Graeciam earumque inſtitutis ac legibus, eamque aut conficere nunc, aut, ſi res minus ita fert, prorſus ſeponere conſtituimus.

Subſtitit noſtra inquirendi et inueſtigandi ſedulitas in *Dorici generis* coloniis, et quidem in *Tarentinis* eorumque colonis *Heracleenſibus*. Supereſt itaque, vt adiiciamus ea, quae de ceteris Doricae ſtirpis ciuitatibus erui poſſunt. Recenſebimus autem haec omnia breuiter et ſtrictim, vt ne, dum ſingula nimis diligenter perſequimur, aut rerum ſumma e manibus elabatur, aut ad legentium taedium protrahatur oratio *).

A *Lacedaemoniis* ductos vidimus *Tarentinos:* cum profecti eſſent in ea loca Partheniae iam ſub Ol. XVIII,

*) In vrbibus Siciliae curioſius et copioſius illuſtrandis eo minus operam noſtram collocamus, quo notiora haec ſunt et aliorum opera tractata: inprimis Cluverii, d'Orvillii, praeter ſcriptores e popularibus. In prolegomenis Principis Caſtelli ad Inſcriptt. Siciliae iterum loca Thucydidis et Scymni Chii exſcripta et appoſita ſunt. Itaque nec nimis diligenter enotandis laboramus. Nam propoſitum erat ea perſequi, quae obſcura, aut neglecta, aut minus ſubtili iudicio videbantur eſſe exacta, ita vt, quid inde confici et intelligi poſſet, non eſſet animaduerſum.

Digitized by Google

XVIII, 2. a. C. 707. Tarentinorum colonia fuit *Heraclea* ſub Ol. LXXXVI, 4. et a. C. 433 deducta.

Altera coloniarum Doricarum ſtirps a *Corinthiis* fuit oriunda. Corinthus enim, etſi initio ab Aeolibus eſſet habitata, reditu tamen Heraclidarum in Peloponneſum facto, ab Alete occupata Dorienſibus ceſſit (Thucyd. IV, 42. Pauſan. II, 4. p. 120) circa 1100 a. C. cumque regibus ab eo ortis aliquamdiu paruiſſet, in Bacchiadarum poteſtatem venit a. C. 779. vt regeretur Senatu CC virorum ex ea gente conſtituto. Succeſſit Cypſelidarum dominatio Ol. XXX, 2. a. C. 659. eaque deiecta (a. C. 584. Ol. XLIX, 1. Lacedaemoniis opitulantibus, vt ex Plutarcho Opp. To. II. p. 859. D. aſſequi licet) populare imperium eſt conſtitutum *a*). Iam hoc

a) Phidonem laudat Corinthium vnum ex antiquiſſimis legumlatoribus Ariſtoteles de Rep. lib. II, 6. p. 240 H. ed. Genev. nec tamen temporum notatione adiecta vlla. Potuit adeo alterius ciuitatis eſſe quam Corinthiorum; potuit etiam commentari tantum de legibus. Phidon Cumae Aeolidis legislator proditur in fragm. Heraclidis (p. 22) *Φείδων, ἀνὴρ δόκιμος, πλείοσι μετέδωκε τῆς πολιτείας· νόμον θεὶς ἐπάναγκες ἕκαστον τρέφειν ἵππον. Προμηθεὺς δέ τις, ἀνὴρ δραστήριος καὶ ἱκανὸς εἰπεῖν, χιλίοις παρέδωκε τὴν πολιτείαν.* Nam Phidon Argis ab Ariſtotele in *πολιτείαις* memoratus ap. Polluc. X, 48. eſſe vix potuit; is enim fuit idem, qui tyrannidem occupauit: Ariſtot. de Rep. V, 10. p. 538. C. Etſi et inter hos fuere, qui bonas leges conderent: exemplo eſt apud ipſos Corinthios Periander: cuius leges haud malae recenſentur in Heraclidis fragm. p. 16. Summam probabat omnium bonorum aequalitatem, adeoque multo magis agrorum portiones aequas, quae libertatis in ſtatu populari fundum facere videntur.

hoc idem reip. adminiſtrandae genus in coloniis Corinthiorum ſeruatum eſſe ex more probabile fit, ariſtocraticum quidem in antiquioribus, democraticum autem in ſerioribus; temperatum tamen et circumſcriptum; vt vel ex Plutarcho colligas in Dione p. 981. D. Poſuimus autem annos ex vulgari computandi ratione, cuius fundus eſt Euſeb. et Ariſtot. Rep. V, 12.

Ceterum coloniarum numero felix fuit Corinthus. Praeter Corcyram enim, Epidamnum *b*), Leucadem, Anactorium, Ambraciam, fuere extra Graeciae fines aliae, quarum nobiliſſimae *Syracuſae*, ab Archia ex Heraclidis oriundo deductae, paullo poſt Naxum a Chalcidenſibus conditam, adeoque anno tertio Ol. V. ſeu, quod melius ad Thucydidis rationes conſtituas, Ol. XI, 2. *c*) [Thucyd. VI, 3.]; nec facile vno eodemque anno abſolui potuere vrbium condendarum primordia. Dorici generis ac ſermonis fuiſſe Syracuſas, inter omnes conſtat. Aſſumſerat etiam Archias alios Dorienſes, qui ad promontorium Italiae Zephyrium adhaeſerant. (Scymnus Chius v. 277 ſqq.) Δωρίζειν autem Syracuſanis fuiſſe domeſticum, vel ex nobili Theocriti loco teneri poteſt (Id. XV, v. 91-93). Varius fuit reipublicae ſtatus: ariſtocraticus quidem ab initio; id quod colligimus ex Herodoto (lib. VII, 155).

b) Epidamniorum legem laudat Monteſquieu lib. IV, 6. ex perperam accepto Plutarchi loco, quem inuenias To. II. opp. p. 297. E.

c) a. C. 735. De his ſatis copioſe actum a viris doctis ad Marm. Arundel. tum a Dodwello et al. cf. Simſon. Chronic. 3272. Cauſſa autem Archiae in coloniam profecti a flagitio ducta erat: v. Diodor. Exc. T. II. ed. Weſſ. p. 548 extr. et ibi Weſſel.

Digitized by Google

155). Cum plebs aduerſus optimates turbas concitaſſet *); Gelo rex eſt conſtitutus circa Olymp. LXXII, 2. a. C. 491. Succeſſere fratres Hiero et Thraſybulus; quo eiecto popularis ſtatus reſtitutus (Diodor. XI, 68.) Ol. LXXVIII, 3. (a. C. 466.) varias habuit viciſſitudines, cum vix vnquam deeſſent, qui regnum affectarent: inter quos reginam Philiſtidem fuiſſe numi docent. Emendatus ciuilis ſtatus mox Diocle leges ferente Ol. XCII, 1. a. C. 412 †); cumque eum magiſtratus ſortito legendos conſtituiſſe audiamus, ad popularem eum formam procliuiorem fuiſſe probabile ſit (v. Diodor. XIII, 34. 35. cf. Ariſtot. de Rep. V, 4. p. 522 E. qui diſerte ait, politiam in democratiam eſſe mutatam.) Nec tamen valuit legum vis aduerſus malas Dionyſii artes, quibus ille paullo poſt tyrannidem eſt conſequutus Ol. XCIII, 3. a. C. 406. (Diod. XIII, 96). Cum Dionyſio iuniore eiecto ſeditionibus, inter quarum cauſſas refert Ariſtoteles de Rep. V, 3. quod peregrini et mercenarii milites ciues facti erant, modum ſtatuere nequirent Syracuſani, ad Corinthios, tanquam ad parentes liberi, conuerſi precibus ſuis impetrarunt, vt Timoleon mitteretur Ol.

*) Forte ea de cauſſa, quam Ariſtoteles refert de Rep. V, 4. pr. vt doceat, verti reſp. interdum paruis de cauſſis.

†) De his legibus haec ex Diodoro conſtant: fuiſſe poenas improbitatis conſtitutas acerbiſſimas, definitas tamen curioſe, et ex merito cauſſae. tum eas breuitate orationis et obſcuritate laboraſſe. ἐστὶ δὲ κατὰ τὴν λέξιν σύντομος, καὶ πολλὴν τοῖς ἀναγινώσκουσιν ἀπολιπὼν ἀναθεώρησιν.

Ol. CVIII, 3. a. C. 346. qui popularem reip. formam ad Dioclis maxime legum exemplum reſtituit: Cephalo vſus Corinthio, viro docto ac prudenti (v. Diodor. XIV, 70 et 82.) „Priuatorum quoque contractuum iura et cetera diligenter ordinans, in hoc maxime operam dedit, vt aequalitatem inſtauraret.„ Haec quidem maxime ad Dioclis exemplum; at quae ad reip. adminiſtrationem pertinebant, ea de ſuo iudicio conſtituit.„ Nouis iterum ſeditionibus vexata ciuitas Agathoclem regem accepit Ol. CXV, 4. a. C. 317. Recruduerunt turbae poſt eius mortem, arceſſito quoque in Siciliam Pyrrho rege, donec Hieroni ſumma rerum tradita eſt Ol. CXXVII, 4. a. C. 269. quo tempore Polydorum aliquem veteres Dioclis leges, propterea *quod priſca lingua conſcriptae difficiles intellectu eſſent*, retractaſſe conſtat (v. Diod. XIII, 35). Poſſunt vtique leges nonnullae et inſtituta Syracuſanorum memorari, ſed vt plerumque difficile dictu ſit, ad quod tempus et ad quem auctorem ea ſint reuocanda *d*). Sufficiant hae tanquam lineae ductae eorum, quae de hac ciuitate ſingulari libro eſſent exponenda.

Condide-

d) v. c. apud Athen. XII. p. 521. B. *ne feminae auro, florido colore et purpura vterentur, niſi quae ſe ſcortorum loco eſſe profiteri vellent* (ſimilem ſupra in Locrenſium legibus vidimus p. 33-34.) Cum e Phylarchi hiſtoriis petitus ſit is locus, qui res Syracuſanas a Pyrrhi inde diſceſſu erat exorſus; incertum ſit, an ex ſuperioribus temporibus res retracta fuerit. Luxu autem et ipſi Syracuſani infames fuere: v. c. Athen. XII. p. 527. C. quod tamen ad tyrannorum tempora ſpectare videtur.

Digitized by Google

Condiderant autem Syracuſani et ipſi colonias in auſtrali inſulae parte (Thucydide auctore VI, 5.) *Acras*, LXX annis poſt Syracuſas conditas, adeoque Ol. XXVIII, 4. a. C. 665. et XX annis poſt, adeoque Ol. XXXIII, 4. a. C. 645 *Caſmenas;* tandem anno a Syracuſis conditis CXXXV *Camarinam*, Ol. XLV, 1. a. C. 600. Euerſa eſt Camarina, quoniam obſequium detrectauerat, ab ipſis conditoribus annis XXXXVI poſt (hoc eſt Ol. LVI, 3. a. C. 554.), vt e Scymno diſcimus (v. 293, 4. 5.). Iterum eam condidit Hippocrates Gelae tyrannus (paullo ante Ol. LXXII, 3.) ſed et hac a Gelone euerſa, deducta eſt paullo poſt colonia tertia (v. Thucyd. l. l. Herodot. VII, 154-156.) iterum aucta ſub Ol. CX, 2. (Diodor. XVI, 82. extr.). Omittimus in hoc cenſu vrbes ſerius ciuibus frequentatas, vt Timoleontis opera ſub Ol. CX, 2. Agyrinam (Diod. eod. loco).

Megarenſes, qui et ipſi inter Dores fuere, *Hyblam* ſeu *Megara* condidiſſe, ſub ea ſtatim tempora, cum Naxus a Chalcidenſibus habitari coepiſſet, adeoque ſub Ol. XI. e Scymno colligimus *e*). *Hyblaeos Megarenſes* intelligendos eſſe manifeſtum fit; et diſertior eſt in eam rem Thucydidis locus (l. VI, 4.), in quo eos conditos ait eſſe annis CCXXXXV antequam a Gelone Syracuſano moenibus expellerentur, id quod ad Ol. XI. calculos reuocat. Lamis is, qui Megaris in Atticae finibus coloniam adduxerat, primo Trotilum tenuerat, cumque Leontinos mox conceſſiſſet, inde eiectus, Thapſum

e) Scymnus v. 276. Οἱ Χαλκιδεῖς κτίζουσι Νάξον· οἱ Μεγαρεῖς δὲ τὴν Ὕβλαν.

Digitized by Google

condiderat: qua poſt eius mortem relicta, digreſſi erant illi qui Megara inhabitarunt. Habemus itaque et *Thapſum* inter ciuitates Doricae originis. Syracuſanorum ditioni eam mox ſubiectam fuiſſe vicinia vrbis credere iubet.

Rhodiorum coloniae non minus ad Doricum genus ſunt referendae: nam Rhodios et Dorica ſtirpe fuiſſe ortos et Dorice loquutos nota res eſt. Fuit ex hoc genere *Gela*, quam annis a Syracuſis conditis XXXXV (Ol. XXII, 3. a. C. 690) deduxere Antiphemus Rhodo et Entimus Creta colonis adductis (v. Thucyd. VI, 4. Herod. VII, 153. Scalig. ad Euſeb. p. 80.). Dorica inſtituta eam tenuiſſe Thucydides diſerte tradit *f*). Gela profecti ſunt CVIII annis poſt, (Ol. XLIX. 3. a. C. 582.) qui *Agrigentum* condiderunt, Ariſtonous et Pyſtilus. Impertita iis eadem inſtituta Dorica *g*). Ex *Agrigentinorum* rep. vnum hoc habemus, quod Pollux IV, 174 et IX, 80. ex Ariſtot. tradit, XXX λιτρῶν, quae totidem oboli ſunt, multam apud eos fuiſſe. *Gelae* resp. in Ariſtotelis πολιτείαις fuit, vt fere plerarumque ceterarum ciuitatum: quae ſi ſupereſſent, melius nobis de cauſſis conſtaret, cur nulla earum fuit, quae non tyrannos ſuos aliquando nacta eſſet: etſi facile intelligitur, in omni rep. populari, etiam optime temperata, ſi opulentia partis alicuius ciuium,

f) Thucyd. VI, 4. νόμιμα δὲ Δωρικὰ ἐτέθη αὐτοῖς. de iis v. ad Pindar. Pyth. I, 118.

g) Thucyd. VI, 4. add. Scymnus 291. Itaque apud Agrigentinos religio Jovis Atabyrii erat a Rhodiis deducta. Polyb. IX, 21. Fertilitatem agri et ex ea diuitias et luxum praedicant Polyb. et Diodor.

Digitized by Google

ciuium, aut certae claſſis opes inualuere, neceſſario ad oligarchiam et tyrannidem res ſe inclinare. In Italia Rhodiorum colonias memoratas legimus *Parthenopen* et *Salapiam* in Apulia *h*).

Sed

h) Hanc Elpias cum Cois condidit: Strab. XIV. p. 967 B. Congeſſit pleraque quae huc faciunt Meurſ. in Rhodo I, 18. nec tamen vbique ſatis ſubtiliter. Difficultatem haud paruam facit Rhodiorum colonia modo circa Sirin fl. modo circa Sybarin fl. memorata. Loca ſunt ap. Strabon. VI. p. 405 C. XIV. p. 967 B. et Mirab. Audit. c. 115. Quae ex his locis colligimus, haec ſunt: fuiſſe qui traderent, Rhodios ad loca circa Sirin acceſſiſſe et ibi vrbem Sybarin tenuiſſe, quam alii cum Sybari fl. et vrbe Sybari ad eum ſita, adeoque ab altera illa diuerſa, permutarunt: repetita narratio ex erroribus Tlepolemi, qui occiſo Licymnio Argis fugerat, et poſt varios errores, quos poeta aliquis ornaſſe et amplificaſſe videtur, Rhodum appulerat: v. Apollod. II, 8. 2. et Not. Adſcribemus loca: et primo quidem ex Mirab. Audit. 115 Philoctetеn ſepultum eſſe ad Sybarin fluuium: *βοηθήσαντα Ῥοδίοις τοῖς μετὰ Τληπολέμου εἰς τοὺς ἐκεῖ τόπους ἀπενεχθεῖσι, καὶ μάχην συνάψασι πρὸς τοὺς ἐνοικοῦντας ἐκείνην τὴν χώραν.* Iam Strabo XIV. p. 967 B. vbi de Rhodo: *Ἔνιοι δὲ τῶν Ῥοδίων καὶ περὶ Σύβαριν ᾤκησαν κατὰ τὴν Χωνίαν* (vt legendum pro *Χαονίαν*. nam Chones cum Oenotriis loca inhabitarunt: conf. Proluſ. XIII. *e*). Tertius locus, ap. Strab. VI. p. 405. C impeditus eſt: Egerat de antiqua vrbe Siri: *Τινὲς δὲ καὶ Ῥοδίων κτίσμα φασὶ καὶ τὴν Σειρῖτιν καὶ τὴν ἐπὶ Τεύθραντος Σύβαριν.* Quae ſi ſic accipiuntur vt ſint: „Quidam et Siritidem et Sybarin ad Teuthrantem Rhodiorum colonias faciunt„ ab omni rerum fide abhorrent; nec Teuthras fl. notus eſt in his locis. Sed pro *Σειρῖτιν* probabile ſit legendum *Σεῖριν* l. *Σείριν*, nam vtrumque vſus fert; tum *τὴν ἐπὶ Τεύθραντος Σύβαριν* intelligere licet *coloniam auctore ac ductore Teuthrante Rhodio conditam:* vt adeo narratum eſſe neceſſe ſit, „Sybarin et ipſam aliquando a Rhodiis conditam fuiſſe.„ Liceret forte cogitare de altera Sybari inter Hydruntem

Digitized by Google

Sed et *Meſſanam* ad Doricum genus ſpectaſſe neceſſe eſt, ex quo Meſſenii eam occuparunt: cum antea, Zancle dicta, Chalcidicae ſtirpis fuiſſet (v. inf.). Eius colonia fuit *Pyxus*, ſeu *Buxentum* in Lucanis (Strabo VI. p. 388. A. B.) ſub Ol. LXXVII, 2. a Micytho deducta: Diod. XI, 59 extr. Etiam *Tyndaris* in Sicilia Meſſenios colonos habuit (Diod. XIV, 78.).

Tandem commemoranda *Lipara* inſula, quam colonia a *Cnidiis* deducta inſederat (vid. Scymnus 261. 2. Diodor. V, 9. Strabo VI. p. 422. B.).

Locros, de quibus ſuo tempore egimus *), an inter Dores referre liceat, dubitari poteſt. Nam Locri, a quibus originem habuere, Aeolicae ſtirpi annumerandi ſunt. Dorico quidem ſermone eos vſos eſſe docuit Bentleius †). Sed Aeolicum genus plerumque in Doricum ſermonem et inſtituta abiiſſe, etiam aliis exemplis obſeruaſſe nobis videmur; et adhaeſerant Locris Epizephyriis aliquando coloni ex Lacedaemoniis, Polydoro regnante, adeoque

tem et Brunduſium ſita, quam Pauſan. II, 19. p. 409. narrat poſthaec *Lupiam* dictam. v. ſup. Proluſ. VII. extr. not. *x*). Ita coniiciat aliquis ἐφ' vel ἐπὶ Ὑδροῦντος Σύβαριν in Strabone fuiſſe ſcriptum. Verum hoc eſt hariolari; nec quicquam hinc efficitur, cui ſatis firmiter inſiſtas. Paullo ante haec Strabonis verba locus ille καὶ τὸ τῶν Τρωάδων — δυνατὸν ὂν male inculcatus eſt e margine et retrahendus ad p. 402. vbi de mulieribus Troianis, quae naues combuſſere, agebatur.

*) ſup. p. 46 ſq. et an inter Dores referendi ſint p. 48. 49.

†) *Diſſ. upon Phalaris.* p. 355–58.

adeoque a. C. 724. *i*). A Locris conditus in adverſo Italiae littore, quod ad occidentem ſpectat, *Hippo*, quem Bruttiis, qui occupauerant, ademtum Romani *Vibonam Valentiam* nuncuparunt (v. Scymn. 307. Strab. VI. p. 393 C.). Etiam *Medma* a Locris condita (Scymnus ibid. et Strabo p. 394 B.)

Dorienſibus annumeranda eſt, ſi Solinum *k*) audimus, *Poſidonia* ſeu *Paeſtum*, quod, non tam inuentis, quam diligentius inſpectis ruinis, a viginti inde annis clarum nomen habet. Grauior tamen eſt Scymni Chii auctoritas *l*), tum expreſſa Strabonis *m*), qua Sybaritis Paeſti primordia tribuuntur, vt adeo in Achaica ſtirpe illa relinquenda ſit. Sane Dorici ſermonis vſum fuiſſe Paeſtanis numi docent, in quibus ipſum eorum nomen Dorice, etſi mira cum varietate, ſcribitur; potuit tamen ſermo Doricus ſerius adſciſci, potuit eſſe communis Achaeis, quorum ſermonem aliunde parum cognitum habemus, etſi eum Dorico propiorem fuiſſe, multa perſuadent vt credamus; tum vero iis, qui Sybarin condiderant, adiuncti fuere Troezenii: iam autem

 Troezen

i) Pauſan. III, 3.

k) Solin. c. 2. *Paeſtum a Dorenſibus*, ſc. conſtitutum.

l) v. 245. ex certiſſima Salmaſii emendatione: *ἣν Φασι Συβαρίτας ἀποικίσαι ποτὲ*, cum *Συμβρίτην* vel *Συμβρίτας* ante legeretur.

m) Strabo V. p. 384. cuius verba male a Mazochio Tab. Heracl. p. 409. poſt alios vexata ſic accipi debent ex ſermonis vſu et lege: „Sybaritas ad mare ab initio locum muniiſſe, inde colonos mox ad interiorem locum ſe contuliſſe, ſcilicet eundem, quem Poſidonia condita occupabat. Poſtea Lucanos vrbem in poteſtatem ſuam redegiſſe, iisque eam ademtam eſſe a Romanis.„

Troezen in Dorum poteſtatem ſub Heraclidarum reditum venerat. Retinuere iidem Sybaritae a Troezeniis Neptuni religionem, quam Paeſtani quoque in numis ſeruauere, Neptuno fere tridentem in iis iaculante expreſſo. Quo tempore Sybaritae Poſidoniam antea a barbaris habitatam munierint, non conſtat; citra Ol. LXVII, 2. 3. a. C. 510 tamen primordia vrbis retrahi nequeunt *). Artibus eam et opibus floruiſſe declarant ipſae ruinae et numi. Reliqua de ea ciuitate paucis perſequi non pigebit *n*). Non conſtat quo tempore Poſidonia ſub Lucanorum ditionem ceſſerit; etſi ceſſiſſe ſatis conſtat: Strabo VI. p. 390. 1. Nondum *Lucani* haec loca inſederant tum, cum Graeci oram Tarentini ſinus occuparent: id. p. 388 C. Verum Samnites, cum nimis laetis ſobolis incrementis florerent, miſere qui ab orientali Silari fl. parte agros inſiderent (ibid. p. 389 A.) Oenotris ſeu Chonibus expulſis; adeoque nec Graeci tum in interiora terrae verſus occidentale Italiae inferioris littus proceſſerunt.

Circa

*) Ante L. Olympiadem conditam eſſe, contendit d'Hancarville ex formis in numis p. 194. 5. 6. T. IV. *Vaſi Etruſchi* et in *Recherches* l. c. p. 463 ſq. argumento nimis incerto et lubrico.

n) Ii, qui feciſſe otium videri debebant, errorum et commentorum plurimorum profligandorum taedium reliquerunt, auctores, inquam, qui de ruinis Paeſtanis egere, inprimis *Th. Maior*, et is, quem ſequutus eſt, Mazochius in tabb. Heracl. Collectan. I. p. 507 ſqq. tum *Goſſe* Paeſt. Origg. et, qui omnes multis paraſangis antecedere videri voluit, *Paullus Antonius Paoli* in Diſſertationibus Paeſtanis. Actum eſt de hiſce ſcriptis diligenter in *Recenſibus litterariis Gottingenſ.*

Digitized by Google

Circa Ol. LXXXV, 3. ante C. N. 438. V. C. 316. Samnites Campaniae fines adorti Etruſcos colonos expulere; forte inde latius progreſſi finitima obſederunt. Cum Romanis nihil ipſis fuit ante V. C. 428. ante C. 326 *) Liv. VIII, 25. Enimuero Graecas ciuitates Lucani iam ſub Ol. XCVI, 4. ante C. N. 393. coepere vexare, inde hae communi adverſus eos foedere iungi: Diod. XIV, 91. dum Dionyſius, earum libertati imminens cum Lucanis foedus faceret Ol. XCVII, 3. ibid. c. 100. hinc Lucani in Thuriorum fines excurrere, et eodem anno praelio facto magna clade Graecorum copias afficere (c. 101. 2.). Ab his itaque temporibus magnum fuit *Lucanorum* nomen **); et tum factum probabile fit, vt Poſidoniam cum aliis Graecis ciuitatibus, vt Velia, occuparent. Nec tamen Graecae litterae et artes ſtatim videntur eſſe abolitae; niſi forte inter bellorum tempeſtates †). Lucani enim finitima armis aggreſſi vltra Crimiſam et Metapontum excurrerunt. Interea Lucanorum fugitiui *Bruttii* latrociniis aucti in populum coaluerant: Diod. XIV, 15. Ol. CVI, 1. a. C. 356. Vt Lucanorum viribus reſiſtere-

R 5

*) Peſſime Lucanorum cum Romanis foedus retrahunt ad V. C. 396. e loco Polybii II, 24. qui ad V. C. 529. ſpectat.

**) Lucani, Λευκανοι, populari rep. vſi; magiſtratibus conſtitutis, a quibus, ſi bellum eſſet, Imperator prodi ſolebat Strab. VI, p. 391. A. cf. Liv. X, 18. Regem Lamiſcum narrat Heraclides in fragm.

†) Pythagorae tamen aetate omnia haec poſteriora ſunt; nec Ocellus Lucanus eſſe potuit, ſi eius aequalis fuit; ſiquidem Pythagoras diem obiit Olymp. LXVIII vel LXIX. Anteuertit quoque Lucanorum tempora Parmenidis et Zenonis aetas.

Digitized by Google

reſiſteretur, accitus fuit in Italiam Alexander Moloſſus Ol. CXII, 1. ante C. 332. cui eſcenſionem facienti in littore Paeſtano obuii facti Lucani cum Samnitibus victi ſunt: Liv. VIII, 17. add. c. 24. v. Froelich. reg. vet. num. p. 32. Vt ne ea, quae Pyrrhus cum Lucanis geſſit, aut arma cum Romanis collata, attingam, illud vnum memorabo, Romanos bello Samnitico ac Tarentino ſimul de Lucanis ac Bruttiis triumphaſſe, victores in captam Poſidoniam coloniam deduxiſſe V. C. 481. C. Fabio Dorſone et C. Claudio II. Coſſ. Liv. Epit. 14. Vellej. I, 14. Inde ſub Romanorum ditione omnia ſic coaluere, vt nec Graecos, nec Lucanos, Bruttios, Samnitesque, his in locis diſcernere liceret: Strab. VI. p. 389. C. Poſidoniam iam circa a. ante C. N. 300. Ol. CXX. ἐκβαρβαρῶσθαι, et ſermonem cum inſtitutis Graecis exuiſſe, Ariſtoxeni philoſophi Tarentini querela conſtat apud Athenaeum XIV, 7. D. De Lucania ſpiſſus eſt liber *Ioſephi Antonini de S. Biaſe.*

Numeroſa eſt coloniarum familia *Chalcidici generis*, Chalcide Euboeae oriunda. Ab hac enim coloniae fuere deductae plurimae, cum aliis in locis, inprimis in Macedoniae parte, quae olim Thraciae accenſebatur *o*), tum in Sicilia, Theocle quidem duce, ea, quam omnium, quas recitat, vetuſtiſſimam appellat Thucydides (lib. VI. c. 3.), *Naxus*, anno

o) Ex his maxime inſignis erat Chalcis, cuius legumlatorem Androdamantem Rheginum laudat Ariſtoteles de Rep. II, 12. (10) extr.

Digitized by Google

anno ante Syracuſas conditas p) proximo (Thucyd. l. l. Scymnus 271. etſi Euſebii Chronicon tres annos interponit). Iidem Chalcidenſes, Theocle duce, quinto a Syracuſis conditis anno, *Leontinos* (Thucyd. VI, 3. Scymnus 282.) et poſtea *Catanam* condiderunt (Thucyd. ibid. Scymnus 285).

Anteceſſerunt tamen hanc ipſam Naxum *Cumae* in Italia, quarum origines ipſam Ionicarum et Aeolicarum coloniarum in Aſiam deductionem exuperant; Strabo quidem (lib. V. p. 372. B.) omnium Sicularum et Italicarum coloniarum vetuſtiſſimam appellat. Conditores erant alter Hippocles Cumis Euboeae, alter Megaſthenes Chalcide oriundus q). Ex Euſebianis calculis profectio aſſignatur anno a. C. 1050. ſupputo ſubtiliore facile reuocanda ad a. C. 1031. Acceſſiſſe tamen Aeolenſes ex Scymno diſcimus v. 238. Magnas illa ciuitas adepta opes, maritimas inprimis, Etruſcos quoque nauali praelio vicit Ol. LXXVI, 3. ante C. N. 474. luxu mox et ipſa infamis v. Athen. XII. p. 528. E. Rempublicam inter optimates et populum aequa libertate

p) Adeoque Ol. XI, 1. quo ducit Scymnus egregie a Cluverio in Sicil. p 95. reſtitutus. Nam XV γενεαὶ XXX annorum ſingulae, conficiunt 450 annos, adeoque ducunt ab a 1184 ad annum a. C. 734. Eodemque reuocanda eſt Strabonis lectio lib. VI. p. 410. A. qui ex Ephoro ſua petiit.

q) Non neceſſe nunc eſt cetera perſequi inprimis poſt Scaligeri ad Euſeb. Cluverii, Simſoni, Martorelli diligentiam: cf. ad Virgil. Aen. VI. pr. Apud Ariſtot. Mirab. Audit. c. 97. Cumae a Lucanis (Λευκανῶν corruptum in Λευκαδίων) occupatae dicuntur. Sed eſt ea lacinia ab alia manu adſuta.

Digitized by Google

tate temperatam fuiſſe ſatis conſtat: vel ex iis quae de tyrannis, qui illam ſuſtulerant, memorantur: v. Dionyſ. Halic. VII, 3. 5. et al. Capta vrbs a Campanis V. C. 334. ante C. N. 420. Cum quibus illa per deditionem in Romanorum fidem venit V. C. 409. ante C. N. 345. Data Cumanis ciuitas, primo tamen ſine ſuffragio: V. C. 416. ante C. 338. Liv. VIII, 13. facti mox municipes V. C. 539. ante C. 215. Liv. XXIII, 31. Memorabile eſt quod ad an. V. C. 574. a. C. 180. memoratum ap. Liv. XL, 42. *Cumanis eo anno petentibus permiſſum, vt publice Latine loquerentur et praeconibus Latine vendendi ius eſſet.* Lucem mutuam dat et accipit Vellej. I, 4. *Cumanos Oſca mutauit vicinia* ſcilicet iam antea ſermonem Graecum cum barbaro commutauerat; nunc in Romanum abiit. Tandem ab Auguſto colonia deducta.

Cumarum colonia nobiliſſima *Neapolis:* adſcripti mox alii Chalcidenſes (Strabo V. p. 377. A. adde Scymnum v. 251.). Diuerſa autem vrbs habuit et diuerſis temporibus repetita primordia, diuerſa quoque nomina *Parthenopes* et *Palaepoleos.* Itaque mirum non eſt, ſi Phocaeenſibus et Maſſilienſibus origines vindicat Scymnus (v. 246.) et Rhodiis Stephanus Byzant. Nam Parthenopen Rhodii condidiſſe ferebantur *qq*). Palaepolis ſtolide ſollicitatis Romanis bello petita in eorum ditionem venit V. C. 428. ante C. 326. Liv. VIII, 22. Neapolis autem, in qua Campani recepti cum Grae-

cis

qq) v. Strabo XIV. p. 967. A. Hinc arbitramur rationem reddi poſſe, cur in antiquo apud Eckhel. V. C. Sylloge I. tab. I. numo Neapoleos inſcriptum ſit Dorice Νεοπολιτας.

cis coaluerant, (Strabo VI. p. 377. A.) ciuitas facta Romanorum foederata: v. Liv. ibid. et XXXV, 16. quae inter omnes ciuitates Italiae plurimum Graeci inſtituti retinuit: Strabo l. c. Vellej. I, 4. (vbi *illis* legendum eſſe facile patet). Municipium Romanorum aliquando eſſe coepit, e lege Julia: Cic. ad Div. XIII, 30. Agrar. II, 31. pro Corn. Balbo 24. et 8. tandemque colonia Auguſta facta, nec tamen citius quam ſub Antoninis. Haec forte tenere malis quam ſomnia Martorellii perſequi (in *gli Euboici ſecondi Abitatori della Città di Napoli* T. II.) Permixta bona et mala dedit Mazochius in Calendar. Neapol. meliora Ignarra de Palaeſtra Neapolit.

Nauale Cumaeorum *Dicaearchia*, Romanis Puteoli, a Samiis conditum narrabatur, Ionicae adeo originis, circa Ol. LXIII. Facta eſt Romanorum colonia ſub tempora belli Hannibalici, Strabo VI. p. 376. A.

Ab his ipſis Cumis *Zancle* ducta, adeoque et ipſa Chalcidicae originis ciuitas. Nam ex Cumaeis nonnulli, qui maritimas praedationes egerant, eſcenſione facta ibi conſederant; acceſſerant mox Chalcidenſes et alii Euboeenſes (Thucyd. VI, 4.). Eos expulere Samii aliique Iones, qui Medos fugerant (adeoque poſt Ol. LXX, 3. a. C. 492.) iis eiectis ſubmiſſi ab Anaxilao Rhegino conuenae: nomen vrbs nacta eſt Meſſanae a Meſſeniis *r*), et nunc

r) Haec Thucyd. VI, 4. De Samiis add. Herod. VI, 22. 23. VII, 164. Ariſtot. de Rep. V, 3. p. 520 C. Quae hic ex temporum rationibus difficultatem faciunt, moleſtiora ſunt, quam vt hic repeti et expediri poſſint: vt Pauſaniae

nunc Doricis ciuitatibus annumerata (v. ſup. p. 262) Ol. LXXI, 4.

Zancles colonia fuit *Himera* (Thucyd. VI, 5), etſi in eam adſcripti erant Syracuſani exules: vnde et lingua ex Dorica et Chalcidica mixta; obtinuerant tamen inſtituta Chalcidica (ibid.). Nec adverſatur, quod Mylarum colonos Himerenſes prodit Strabo (VI. p. 418. C. adſtipulante Scymno 285-8). Fuere enim *Mylae* a Zanclaeis et ipſae deductae; *Euboea* vero a Leontinis: (Strabo VI. p. 419. A.). Vtraque certe Chalcidica, vna cum *Callipoli*, quae a Naxiis fuit deducta (v. ibid.). *Tauromenium* quoque iuxta ipſam Naxum exciſam conditum inter Chalcidicas ciuitates numeratur a Scymno (v. 288. add. Diod. XIV, 59. XVI, 7. cf. Cluv. Sicil. ant. lib. I. c. 7).

In Italiae extrema parte, qua Siculi tum et Morgetes habitabant (Antiochus Syrac. ap. Strabon. VI. p. 395. extr.), *Rhegium* fuit ſeu *Regium* *), mature

ſaniae IV, 23. errorem taceam: nam in Anaxilai temporibus conſtituendis mirum in modum lapſi ſunt veteres. Poſuimus veriora nude et ſine controuerſia. A Naxiis conditam Zanclen ait Strabo VI. p 411. A. et Scymnus 282-85. qui et Samios iis ſucceſſiſſe addit v. 292. Scilicet Naxii inter Chalcidenſes et Euboeenſes fuere, quos Thucydides acceſſiſſe aiebat. d'Hancaruille *Recherches* T. II. p. 443. Zanclen iam Ogygis tempore conditam ex Euſebii Chronico prodit; eique rei multa mirum in modum commentitia ſuperſtruit. Vnde hoc arripuerit, non apparet. Idem errorem aliorum amplectitur, et Meſſanam ad Ol. XXX reuocat; his erroribus ſubnixus Himeram duobus ſaeculis antiquiorem pronuntiat, omninoque omnem antiquitatem ita miſcet ac turbat, vt ſi ille nanciſceretur qui ei obtemperarent, actum foret de omni priſca hiſtoria.

*) Vt in antiquis iam numis occurrit ap. Magnan. Brutt. t. 22. 24. Eckhel. Sylloge I. t. II, 1.

Digitized by Google

mature ſatis et ſtatim poſt Eiram Meſſeniorum a Lacedaemoniis captam (Olympiad. XXVIII, 1. a. C. 668) conditum a Chalcidenſibus, Meſſeniis adiunctis (v. Scymn. 310, 1. Strabo VI, p. 395 B. Heraclid. Polit. p. 26.) De his poſt alios egit Moriſanus in Inſcriptt. Regin. Nos ad noſtras rationes breuiter rerum ſummam conſtituemus. Vſi ſunt Rhegini ſtatim ab condita ciuitate rep. ariſtocratica; electis, ex cenſu quidem, mille qui eam adminiſtrarent (Heraclid. l. c.). Fuere tamen ii ſemper ex genere Meſſeniorum delecti (Strabo VI, p. 395 E.). Vertit illa resp., vt fere ſolet, in oligarchiam, et haec in tyrannidem (Ariſtot. de Rep. V, 12 p. 551 B.). Anaxilaus tyrannidem occupauit Rhegii et mox Zancles, eamque tenuit per XVIII annos; cumque vita is deceſſerit Ol. LXXVI, 1. ante C. 476. initia regni in a. 494. Ol. LXXI, 3. incidiſſe in promtu eſt *s*) (Diod. XI, 48). Decedens ille liberorum et imperii curam reliquit liberto Micytho, qui cum fide illud liberis, vbi adoleuerant, reddidit Ol. LXXVII, 2 (Diod. XI, 66. Herod. VII, 171. Pauſ. V, 26. p. 442. Juſtin. IV, 2. Macrob. I, 11. p. 259 Lipſ.) At iuuenes, partiti inter ſe regnum, altero Meſſanam occupante, mox libidinoſe ac licenter agere; tum ciuibus in eos conſpirantibus vrbibus expulſi exulatum abiere (Diodor. XI, 76 ſub

s) Antiquiora ſunt et in Ol. LXVIII vel LXIX reiicienda, quae de Pythagoreis Rhegium confugientibus, et de rep. Rheginorum per eos ordinata narrantur (Jamblich. V. P. 130. 251.) Multas vrbes illam in vicinia ditione habuiſſe, multasque colonias eduxiſſe Strabo affirmat (VI, p. 396 A. 397 A.)

ſub Ol. LXXIX, 4). Agitata inde ciuitas ſeditionibus, aduocatisque ab altera factione veteranis ex Himera, caedes aduerſae factionis ab his facta eſt crudeliſſima: Juſtin. IV, 3. Reſtituta poſthaec, incertum quo anno, quo auctore, antiqua respubl. Occurrunt in marmoribus Prytanes et Archontes: expeditum tamen non eſt ſacrorum hi miniſtri an et magiſtratus fuerint. Charondae Catanaei legibus quod vſi narrantur Rhegini (v. Heraclid. fragm. p. 26), non niſi ad haec tempora ſpectare poteſt. Quo ipſo manifeſtum fit, non ipſum Charondam, quippe multo antiquiorem, Rhegium adire potuiſſe; adſciuere Rhegini leges Charondae vndecunque tandem petitas: (cf. ſup. Proluſ. VIII. extr.) Contra Androdamas Rheginus legumlator factus Chalcidenſibus Thraciae: Ariſtot. de Rep. II, 12 f. Poſthaec Rhegini bello petiti a Dionyſio et ab eo obſeſſi ad extrema redacti dedidere ſe Ol. XCVII, 2 (Diodor. XIV, 100. 107. 111). Nec niſi Ol. CVII, 2 praeſidio Dionyſii eiecto, in libertatem ſe vindicant (ibid. XVI, 45.). Vulgata eſt in libris hiſtoricis calamitas, quam experti ſunt, cum ad Pyrrhi aduentum perculſi metu a Romanis auxilium petiiſſent; miſſa enim in praeſidium legio Romana cum praefecto Decio Jubellio occiſis Rheginis vrbem occuparat. Liberata illa decimo hinc anno a Romanis V. C. 482. inter foederatas Romanorum fuit ciuitates, vt ſui eſſet iuris, etſi foedere non aequo. Ex lege Julia V. C. 664. municipium Romanum facta; Auguſtus vero victo Sext. Pompeio coloniam eo deduxit, vnde Regium Julium appellari coepit.

Quaeſtio

Quaeſtio nunc ſuboritur, ad quodnam genus ac ſtirpem Graecorum reuocandae ſint hae Chalcidicae ciuitates. Si in Euboeae origines inquirimus, Abantes primos eam inſediſſe accipimus, qui Thraces fuere (ex Ariſtotele Strabo X. p. 686 B.) Aeolenſes inter antiquiores colonos fuiſſe e Plutarcho (Qu. Gr. Opp. To. II. p. 296 D.) diſcere licet: adhaeſerant ſcilicet nonnulli Aeoles ex iis, quos Penthilus in Aſiam deduxerat (adeoque poſt b. Troj. a. LX). Inſederant aliis in locis alii, vt Curetes, Leleges (Scymn. 571), Dryopes, ad quos Caryſti, Perrhaebi, ad quos Hiſtiaeae originem refert Scymnus (v. 576. 7). Quid? quod et Arabes Cadmi comites in Euboea ſubſtiterant (Strabo X. p. 685. 686). Omnino tamen Euboeenſes *Ionici* generis fuere habiti, partim inde ab iis, qui cum Cotho et Aeolo, Xuthi filiis, in Euboeam venerant *t*) [Plutarch. l. c.], partim ab iis, qui cum Cecrope, Erechthei filio, in inſulam traiecerant (Pauſan. I, 5. p. 13). Chalcidem vero Pandorus, Erechthei filius, Eretriam Aeclus, Athenienſes, condidiſſe ferebantur, (Scymnus 592 et 4. Strabo X, p. 685 B. add. Vellej. I, 4, 1.)

Iam quae Chalcidicarum ciuitatum inſtituta fuerint, eruere haud erit difficile. Chalcis enim optimates habuit, qui remp. gererent, Hippobotas dictos, de quibus videndi Herodotus (lib. V, 77.) et

t) Ad Cothum etiam Cerinthi origo referebatur v. Scymn. 575. Fratrem iis accenſebant Ellopem, a quo vetuſtis poetis Euboea dicta Ellopia Strabo X, p. 683. A.

et Strabo (lib. X. p. 685. 6.) et reuocarunt eundem ciuitatis adminiſtrandae morem tyrannis eiectis, quibus aliquando paruerunt Chalcidenſes *u*). v. Ariſtot. de Rep. V, 4. p. 522 E. Idem aliis locis eam πολιτείαν appellat, remp. bene temperatam ex ariſtocratia et democratia: v. V, 4. p. 522 E. V, 5. cf. ſup. Proluſ. XII. *e*).

Nec diuerſa omnino *Ionicarum* ciuitatum facies fuit: quippe quae magiſtratus fere ſuos ex optimatibus habuere. Ita de Mileto teſtatum facias ex Herodoto, et vel ex Athen. XII. p. 524 A. Ibidem ex nimia potentia magiſtratus prytaniae in tyrannidem abierat: Ariſtot. de Rep. V, 5. p. 524 E. conf. Diodor. XIII, 104. vbi ὀλιγαρχία et δῆμος opponuntur. Plura ex marmorum et numorum titulis peti poſſunt. Etiam *Maſſilia* a Phocaeenſibus condita, cuius inſtituta commemorat Strabo (lib. IV. p. 271 B.). Phocaeenſes, antequam Galliae littora adierunt, *Eleam*, ſeu Veliam, condiderant (Strabo VI. pr. Herodot. I, 167.): cui adſcripti poſtea ſunt coloni e Sybaritis: vt ſupra Proluſ. XII. p. 202.) declara-

u) Fuit harum ciuitatum fortuna communis, vt in oligarchiam, et ex hac in tyrannides inciderent, cum in reliqua Graecia, tum in Sicilia. Ariſtoteles hoc ipſe monet pluribus locis de Rep. IV, 3. pr. cum equos alere non poſſe dixiſſet praeterquam diuites, διόπερ ἐπὶ τῶν ἀρχαίων χρόνων ὅσαις πόλεσιν ἐν ταῖς ἵπποις ἡ δύναμις ἦν, ὀλιγαρχίαι παρὰ τούτοις ἦσαν. cf. idem IV, 13. p. 506. D. Habuit Chalcis ipſa non aliam fortunam: v. Ariſtot. de Rep. V, 4. p. 522. E. et c. 12 p. 551. A. Eretrienſem oligarchiam equitum ſuſtulerat Diagoras aliquis V, 6. p. 527. E. Multo plura exempla ſunt in Sicilia. Sic Leontini Panaetium tyrannum accepere: ibid. p. 551. B.

Digitized by Google

declaratum dedimus. Fertur autem Velienſibus leges ſcripſiſſe Parmenides ciuis: Diog. Laert. IX, 23. Tandem huic generi addendum *Scylletium*, ſeu Scylacium, infra Cauloniam, vetuſtiſſima Athenienſium colonia habita (Strabo VI. p. 401 A. cf. ad Aen. III, 553.); accenſendi quoque *Thurii*, de quibus ſupra accurate eſt diſputatum. Dicas forte, Chalcidenſes et Iones adeo non minus ariſtocratiam coluiſſe quam Dores. Enimuero inſigne interceſſit diſcrimen in hoc, quod in Dorici inſtituti ciuitatibus generis nobilitas, at apud Chalcidenſes et Iones cenſus, optimatum iura et nomen conſtituebat.

Praeter has colonias, in ſua genera non inani, vt nobis quidem videtur, ſtudio diſpertitas, paucae aliorum ſunt coloniae: et *Cretenſium* quidem antiquiſſimae inter Iapygas *Brundiſium*, (Strabo VI. p. 432. A. Juſtin. III, 4, 12) *Hyria* et *Salentia*. In Siculis *Heraclea Minoa*, LL. Creticis impoſitis. Heraclid. p. 28. A mixta autem ſtirpe profectos Cretas vel ex Homero facile memineris (Odyſſ. T, 176 ſqq.).

Iapyges, qui primi extrema Italiae loca inſederant, barbari fuere, Illyricae, vt probabile fit, originis; et ducunt eo Antonin. Met. 31 et 37. e Nicandro, Feſtus in Daunia. Fuere ex iis Meſſapii, Daunii: ſucceſſere Graecorum coloniae. Fecere nomina locum commentis Graecorum variis: vt Meſſapii, qui Meſſapyges erant (v. Dio Caſſ. fragm. p. 5. Reim.) a Meſſapo, Neptuni f. (cf. ad Aen. VII. Exc. VIII. p. 154 (136.), Daunii a Dauno heroe Graeco ducerentur (ibid. cf. ad Aen. VII. Exc. VII.);

 Lycao-

Digitized by Google

Lycaonis filios fecit ex Arcadia in Italiam profectos Nicander Iapygem, Daunum et Peucetium: v. Anton. Met. 31. Veniſſe in ea loca Diomedem Troia reducem, celebratiſſima inter Graecos fuit fama (v. ad Aen. XI. Exc. I.); gerentibus tum Dauniis bellum cum Meſſapiis, auxiliatus hoſpitibus, agros ab illis accepit, quos Dorienſibus diuidit; quos adeo adduxiſſe putari debet cum Achiuis; nam hi tum Argos inſidebant, et eos Diomedes ad Troiam duxerat. Inſederant Cretenſes, ex Creta ſeu cum Minoe, ſeu cum Daedalo profecti, ſeu Glaucum quaerere iuſſi (v. ad Virgil. Aeneid. VII. Exc. VIII. p. 154. (p. 136. pr. ed.). Multa Iapygum bella fuere cum Graecis, inprimis cum Tarentinis: cf. ſup. Proluſ. XII p. 227. Iapygas aliquando luxurie corruptos eſſe narrat Athenaeus lib. XII. p. 522 F. 523. Eſt Ant. Galatei libellus de Iapygiae limitibus inſertus quoque Theſ. Ital. To. IX. P. V. Antecedunt ibid. et ſequuntur alii, vt Gabr. Barrii de antiquitate et ſitu Calabriae. Nemini tamen auctor ſim, vt bonae horulae ſpatium his ſcriptoribus impendat: acumine critico et iudicio hiſtorico omnino ſunt deſtituti.

E *Theſſalia* diſceſſerant ii, qui *Petiliam* Lucaniae, cum *Crimiſa* in iisdem locis, et *Egeſtam* Siciliae (Strabo VI. p. 390. A. B.), ex *Aetolis* autem, qui cum Thoante venerant, ii, qui *Temeſam* condiderant: (Strabo VI. p. 392. C.), tandem *Phocenſes*, Epei comites, *Lagariam* non longe a Thuriis tenuiſſe ferebantur: (Strabo VI. p. 404. C.) *Herculanum* et *Pompeii* inter vrbes antiquitus a Graecis conditas referuntur: ſed obſcura eſt omnis de earum originibus fama. Herculanum ad Herculem

culem retrahitur ap. Dionyſ. Halic. I, 44. quod ad Pompeios transfert Solin. 8. Nimis credulus eſſet, qui tali auctoritati aliquid tribuere vellet.

Veteres *Pelasgos* et *Arcades*, qui Italiam adiere, licet quidem inter eos referre, qui primi, aut cum barbaris permixti, illa loca incoluere: inter colonias autem numerari nequeunt; neque illi ciuitates iuribus et inſtitutis deſcriptas condiderunt. Arcades quidem et ipſi legumlatores habuere; ſed multo ſerioribus aetatibus, ex quo in magnas ciuitates confluxerant: Tegeatae quidem Antiphanem, Croeſum, Tyronidam, Pyriam ap. Pauſan. VIII, 48 et Prytanim Megalopolitani apud Polyb. V, 93. Prorſus autem abiiciendae ſunt commentitiae origines Italicarum, inque his Latinarum, vrbium a Graecis indocta fraude Graecorum et Romanorum ſcriptorum repetitae: de quibus v. ad Virgil. Aen. VII. Exc. IV. VII. VIII. Nec verius dictum, quod ap. Juſtinum eſt XX, 1. *Iam Faliſci, Nolani, Abellani, nonne Chalcidenſium coloni ſunt!*

Toto hoc itaque diſputationis genere et argumento, vt dimitti illud a nobis poſſit, ſummatim deſcripto, ad eas preces redimus, quas iam in principio fecimus, vt Comites Illuſtriſſimos, Commilitonesque genere et ingeniis ornatiſſimos, rogatos eſſe velimus, vt ſollennibus his, quae indicimus, pompa in templum academicum ducenda, frequentiam concilient, et iis, qui publice dicturi ſunt, faveant. P. P. Kal. Jan. cIↃ IↃ CCLXXVII.

Digitized by Google

XV.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

GOTTFR. LESS D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS
SACRA XXXXIX.

IN A. D. XVII. SEPT. cIↄIↄCCLXXXVI.

RITE INDICIT.

Subiicitur Obſeruationum ad leges et inſtituta rerumpublicarum Magnae Graeciae et Siciliae complementum et ſpicilegium.

Sollenne anniuerſarium, Ciues, quod nunc rite indicimus, iam ipſo annorum numero praeſcripto, cum *vndequinquageſimum* ſit, animos veſtros aduertere poteſt: vnus enim adhuc deficit annus, quin ſemiſaeculare ſpatium, per quod academia noſtra adoleuit, expletum ſit. Putate itaque vos, tanquam epoptas, paruis initiis nunc ad maiora illa imbui et initiari; ſaltem, veluti in ſacris facere mos eſt, vt feſta ſollennia antecedat cura apparatus ſacri, ſi non caſtu et peruigilio, vt olim religioſus mos ferebat,

Digitized by Google

ferebat, caerimonia tamen hac religioſa, quam nunc indicimus, tanquam *paraſceue*, praeludamus ſollennibus futuri anni, et rite operando ſacris mature componamus animos ad religioſum habitum, quo magnum illud ſemiſaeculare ſollenne, quotquot noſtrum ſupererimus, ſimus celebraturi. Religioſo ritu ſacrum huius anni tanto magis continebitur, quo in diem dominicum illud incidit; adeoque pro oratione ſollenni ex more recitanda habebitur a Viro plurimum Reuerendo, Theologiae Profeſſore, HENR. PHIL. SEXTROH, ad coetum religioſe coactum e ſuggeſtu templi ſermo, quo erigantur animi ad piam recordationem beneficiorum, quae in hanc remp. litterariam per huius anni decurſum deriuata fuere. Eſt in his praecipuum illud, quod Iuuentutis principes, clementiſſimi noſtri Regis tres filios, noſtrae curae traditos, in medio noſtrum videmus ad praeclaram ſpem adoleſcere. Nec defuere reliqua bona, quibus academiarum felicitas aut continetur aut cenſetur: in his frequentia ciuium, diſciplina academica integra, docentium et diſcentium ſtudium, contentio et ardor. E noſtro Profeſſorio ordine nemo per hunc annum numerum imminuit. Ad vota itaque numini O. M. pia et grata mente perſoluenda, Ciues, templum academicum hora ſolita caſte pieque adite, et, quae pietatis veſtrae ſeu excitandae ſeu alendae et fouendae cauſſa dicentur, ita audite, vt ad animos veſtros ea vim habuiſſe intelligi poſſit.

Nos interea agamus id, quod mos et inſtitutum reip. noſtrae academicae nobis imponit, vt

proludamus ſollenni craſtino diſputatione aliqua e communibus ſtudiis depromta aut facile ad illa revocanda. Cumque meminerimus, ad ea, quae ante hos XX fere annos *de rerum publicarum Magnae Graeciae ac Siciliae deſcriptione, legibus et inſtitutis*, commentari inceperamus *a*), ſupereſſe nonnulla monitu ſeu neceſſaria ſeu vtilia: ne quid a nobis ad priorem hanc ſaeculi academici partem ſpectans inchoatum relinquatur, aut in alterum ſemiſaecularem decurſum differatur, ſubiiciemus hic nonnulla, quae partim *ex iis*, quae ſuis temporibus diſputata ſunt, *in vnum cogi et colligi*, aut *nouae annotationi* locum facere poſſunt. Praemittemus his *litterariam* partem; fuere enim *ſcriptores*, qui partim *respublicas*, partim *leges et inſtituta* deſcripſere.

Quantum quidem reperimus, primus in hoc genere verum vidit *Ariſtoteles:* cuius de republica (Πολιτικῶν) libros VIII ſeruatos nobis eſſe etſi gratulamur, periit tamen alterum eius opus longe vtiliſſimum, quod tanquam fundum ei ſubſtruxerat, omnem multorum temporum memoriam variosque Graecarum rerump. conatus, experimenta et commenta, quibus ad certa huius diſciplinae legumlatoriae

a) Commentationes erant XIV. Scilicet de *LL. Locris ſcriptis a Zaleuco* I. II. 1767. *LL. Charondae* I–IV 1768. 69. 70. *Inſtituta et LL. Sybaritarum et Thuriorum* I–III. 1771. 72. *Crotoniatarum* 1774. *reliquarum Achaici iuris ciuitatum* 1774 *Dorienſium*, et in his *Tarentinorum* 1775 *Heraclienſium* 1776. *coloniarumque a Corinthiis, Rhodiis, Meſſeniis deductarum;* tandem *Chalcidici generis reliquarumque ſtirpium coloniarum* 1777.

Digitized by Google

riae principia conſtituenda perueniretur, Πολιτεῖαι inquam, ſeu Respublicae deſcriptae, CLVIII ſecundum Laert. V, 27. ſeu CCL vt alii tradunt, admixtis forte aliis aliorum *b*). Quantum ex Laertio colligas, opus diremtum fuit *in ciuitates democraticas, oligarchicas, ariſtocraticas et tyrannicas.* Quo conſilio Ariſtoteles ad hoc opus deſcenderit, patefit extremis verbis librorum de Moribus (lib. X. extr.). Adhuc Sophiſtae et Rhetores de legibus et ciuitate praeceperant, ipſi nullo reip. adminiſtrandae vſu inſtructi *c*). Vt igitur recte de rep. inſtituenda diſputari poſſet, vſum rerum hactenus conſuluit, vt exempla colligeret, fata, cauſſas, vitia et euentus, notaret, atque inde tandem de rerum ſumma praecepta eliceret, ſecundum ea, quibus inſtitutis vnaquaeque resp. quibusque legibus ac moribus temperata melius an deterius rebus ſuis conſuluerat. Videntur adeo Πολιτεῖαι *Ethica ad Nicomachum excepiſſe; et ſecundum iſtas demum libri de Rep. eſſe ſcripti d)*; niſi et his *Oeconomica* praeceſſere, id quod

S 5 ex

b) Nam hoc eueniſſe, ſuſpicamur ex eo, quod *genuinae* eius resp. laudantur: v. ap. Fabric. B. Gr. To. II. p. 196. Extant ex iis fragmenta, ſed parui pretii nec niſi in grammaticis occupata.

c) Fuit in his *Phaleas* Chalcedonius ap. Ariſtot. de Rep. II, 7. memoratus, nec bene inter Legumlatores relatus a viris doctis, vt a Fabric. p. 548. To. I. B. Gr. Bona ille aequalia eſſe voluerat. Alter *Hippodamus* Mileſius (ibid. c. 8.) „qui primus inter eos, qui rempublicam non adminiſtrarent, conatus eſt de optima reip. adminiſtrandae forma dicere.„ Videtur Ariſtoteles in eundem cenſum Platonis remp. retuliſſe.

d) Vulgo verba illa libri X. extrema de Morib. de libris de Rep. accipi ſolent, inuito philoſopho, vt arbitramur.

Digitized by Google

ex eorum principio colligimus. Deduxere mox Reſpublicae enumeratae philoſophum ad *leges non ſcriptas*, hoc eſt ad inſtituta et mores barbarorum, Νόμιμα βαρβαρικὰ, paſſim laudata, etiam Ciceroni. Fuerunt praeter haec Δικαιώματα πόλεων, *controverſiae ciuitatum*, fere quas noſtri homines *pretenſiones* vocant. Etiam Νόμων libros IV. ſcripſerat: vt tamen non ſatis conſtet, Platonemne ille in his aemulatus legumlationem ipſe inſtituerit, an ciuitatum variarum leges enarrauerit. Alterum hoc probabile fit, ſi Gellius II, 12. vbi lex Athenienſium excitatur, ad eum reſpexit.

Altero ab hoc loco *Theophraſtus* fuit, cuius praeter libros *de Rep.* (Πολιτικῶν) etiam περὶ Νομοθετῶν libri tres, tum Νόμων κατὰ στοιχεῖον (alphabetico ordine, ciuitatum ac populorum, credere licet) libri XXIV. et Νόμων ἐπιτομῆς libri X. editi fuere (Laert. V, 44). In his non modo Graeciae, ſed et barbararum gentium leges conſignatas fuiſſe, ex Cicerone intelligitur (de Fin. V, 4).

Tandem *Dicaearchus*, Ariſtotelis auditor, variarum Graeciae vrbium conſtitutiones (Πολιτείας) collegerat, laudatas eximie a Cicerone (ad Att. II, 2) ex his Spartiatarum reſp. fertur Spartae quotannis publice lecta eſſe (Suid. h. v.). Notior eſt eiusdem βίος Ἑλλάδος, hoc eſt de victu et quaeſtu totaque vitae ratione inter Graecos, ſermone pedeſtri exaratus, e quo pauca fragmenta ad nos pervenere; qui enim intermixti ſunt verſus Jambici, ex alio opere (ἀναγραφὴ Ἑλλάδος) a deſcriptore aliquo ſeruati ſunt.

Sequutus

Sequutus hos eſt magnus numerus eorum, qui vel Πολιτείας, vel Νόμους, et Νόμιμα colligerent, vel Νομοθεσίας deſcriberent. Et Πολιτείας quidem *Heraclidis* Pontici ex fragmentis ad calcem codicum Var. Hiſt. Aeliani olim indocte a neſcio quo excerptis, quae ſuperſunt, nouimus; nam Laertius eas commemorare ſuperſedit. *Critias* paſſim laudatur antiquis (v. ad Aelian. V. H. X, 13). Alii ſingularium vrbium πολιτείας ſcripſerant. Ita *Proxenus* ἐν δευτέρῳ Λακωνικῆς πολιτείας ap. Athen. VI. p. 267. D. Porro *Molpis*, *Saeus*, *Dioſcorides*, *Ariſtocles*, IV. p. 140 B. et *Sphaerus* p. 141 C. et ſic ex vno Athenaeo nomina obſcura multorum aliorum, qui de rebuspublicis ſcripſere, conquiri poſſent. Νόμιμα autem βαρβαρικὰ collegerant *Poſidonius* Stoicus, *Cleanthes*, *Nymphodorus* Amphipolites, *Theodectes* Phaſelites Rhetor *e*). Inſeruere ea alii ſuis hiſtoriis; quo fit, vt etiam ex his ſimilia laudentur; inter hos inprimis *Theopompus*: tum *Nicolaus Damaſcenus*, e quo ſuperſunt excerpta apud Joannem Stobaeum. Debuere eius generis occurrere nonnulla in Κτίσεσι. Omnino autem ſcriptores hiſtoriarum, qui de rebus aut ſingularum ciuitatum ac rerump. aut de rebus certarum aetatum ac temporum egerant, ipſas rerumpubl. formas, mores ac leges deſcripſerant. Etiam *Clearchus* περὶ βίων non ſingulorum modo hominum,

e) Apud Wower. de Polymath. c. 9. Idem *Hermodorum* inter eos memorat, quem expunxit Jonſius de Script. hiſt. philoſ. I, 20. 2. et in eius locum retulit *Harmodium* Lepreaten περὶ τῶν κατὰ Φιγαλίαν (Arcadiae) νομίμων. *Hellanicum* ex Etymol. M. in Ζαμολξις addit Mauſſacus ad Harpocrat. p. 388. Sed intexta tantum hiſtoriis eius fuiſſe nonnulla, ſuſpicari malumus.

Digitized by Google

hominum, verum etiam ciuitatum et populorum mores perſequutus erat, vt patet v. c. ex Athen. XII. p. 518 C. et ex iis quae collecta ſunt a Jonſio (I, 18, 1). Νομοθεσίας ſingularium vrbium ſcripſerant alii: ita *Telephus* Pergamenus περὶ τῶν Ἀθήνησι νόμων καὶ ἐθῶν (ap. Suid. h. v.) inprimisque περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας inclaruerat *Demetrii Phalerei* liber. Iam περὶ νομοθετῶν *Apollodorus*, non conſtat quis, ſcripſerat, cuius lib. II. laudatur ap. Laert. I, 58. et *Hermippus* περὶ νομοθετῶν, forte Smyrnaeus, Peripateticus *f*). Leges tandem collegiſſe

f) cf. Jonſ. II, 9, 4. Catalogum veterum LLlatorum dedit Fabric. B. Gr. p. 546. 7. To. I. inſertis nonnullis, qui in cenſum non venire debebant. Sunt recentiorum ſcriptorum libri nonnulli, in quibus de antiquarum rerumpublicarum et legum natura et conditione docte diſputata expectes. Verum nimis exili opera ſcripti ſequentes libri: *Les Paraphraſes ſur les Loix des Republiques anciennes par Germ. Forget* Paris 1577. 8. Ad Romanas tantum leges ſpectant: *Io. Vlrici Zaſii Catalogus legum antiquarum* Argentor. 1551. 8. et *cum annotatt. Lud. Charondae* Lutet. 1555 12. Ceterum voc. νομοθέτου impertitum memineris etiam iis, qui vnam legem, aut legum genus tulerant: v. c. ap. Ariſtot. de Rep. II, 12. p. 449. D. tandem etiam iis, qui leges ſcriptis ſuis propoſuerant; vti Platonem νομοθέτην appellat Ariſtot. de Rep. II, 12. p. 449. A. Quam diuerſa haec notio ab illa, ſi quis aut remp. legibus deſcripſit et conſtituit, aut coloniae deductae auctor et dux nouam ciuitatem ordinauit? Ex hoc genere fuere, qui heroum more colerentur; vt Macareus inter Lesbios ap. Diodor. V, 82. etſi iidem etiam Pittacum habuere legumlatorem, quantum colligere licet ex Diodori Exc. p. 552. To. II. Weſſ. Occurrunt quoque exempla ſeruati praecipui honoris poſteris eorum, qui primi vrbem condiderant et habitatione locum occuparant; in inſula Thera,

Digitized by Google

legiſſe videntur auctores Νόμων (non περὶ Νόμων) e quo genere olim fuit liber *Heraclidis* Pontici ap. Laert. V, 87). Laudatus quoque *ἐν τῷ πρώτῳ τῶν νόμων Diogenes Babylonius* (ap. Athen. XII. p. 526. D.) et *Callimachus ἐν τῷ τρίτῳ πίνακι τῶν νόμων* (ap. eund. XIII. p. 585). Ex hoc genere debuit eſſe auctor, Pythagorea diſciplina imbutus, qui Zaleuci et Charondae forte et aliorum leges ita collegerat, vt in iis ipſis legum optimarum exemplum proponeret; qua de re ſup. in Proluſ. II. (add. Epimetrum) et Proluſ. VIII. IX. plura ſunt diſputata.

Quae ſi quis perſcripta a veteribus in vno hoc genere apud animum reputet, annon miſereatur ſortis humanae, quod nobis praeſtantiora et vtiliora ingeniorum et ſtudiorum antiquitatis monumenta fortuna inuidit, reliquit alia, quibus aequo animo careremus! eos eripuit, qui *facta* docuerant, ſeruauit eos, qui *opinionum commenta* chartis illeuerant! atque etiam ex his periere Archytae ceterique Pythagorei, periere fortiſſimi Stoici, contra peruenere ad noſtram aetatem integri Jamblichi, Porphyrii, et

Thera, et Apolloniae ad Ionium mare, ap. Ariſtot. de Rep. IV, 4. p. 489. C. Sunt viri docti qui ſibi in voce *theocratiae* placent, quoties in priſcis ciuitatibus ac populis ad vatum et deorum monita ac reſponſa attemperata vident fuiſſe conſilia. Parum commodum illi quidem et fere lubricum ac fallax nomen videntur ſectari; non enim in ipſa reip. natura ac deſcriptione illud conſtitutum erat, vt vates conſulerentur; ſed ex opinione et ſuperſtitione iſtarum aetatum eo adducta eſt interdum res a magiſtratu, ſeu a ſenatu ac populo inter ſe diſſidentibus, vt de re ſeu controuerſa ſeu dubia et obſcura deum conſulerent.

Digitized by Google

et huius furfuris alii; vt ne inferius deſcendamus! ſequentium enim aetatum et ex ipſa barbarie plauſtris ſcriptorum ſexcentis vnum facile Theopompum vel Ephorum, vitae humanae ex rerum memoria magiſtrum, redimeremus! Et nos, in tanta praeſtantiſſimorum ingeniorum obliteratorum ſtrage, ſeruatis inter haec calonum et lixarum operis, aut nominis immortalitati aliquid tribuere, aut ex paucis, quae ſeruata ſunt, ſuperciliosſe de veterum doctrina et ſapientia vniuerſa pronuntiare audebimus! Ad retundendum hominum doctorum faſtum et tumorem, quo minus aut de praeteritis aetatibus aſſeveranter ac fidenter pronuntient aut per futuras aetates ſuis opinionibus et praeceptis ſempiternam auctoritatem fore ſomnient, vix aliud nouimus exemplum potentius, quam hanc ipſam ſcriptorum fortunam in vtramque partem tam miram, iniquam ac temerariam. Itaque de ſuis quisque aequalibus, de ſua aetate, in his rebus, in quibus verſamur, bene merebimur; nimis fluxa et incerta eſt humanarum rerum conditio, quam vt a poſteritate bene meritorum praemia expectare tutum ſit.

Ab his vt nunc ad ea progrediamur, *quae vniverſe de hoc genere legum et inſtitutorum antiquae Graeciae ſtatui poſſunt*, in confeſſo eſt, hanc multarum rerum publicarum expoſitionem, cum cauſſis et euentis, multarum rerum intelligentiam philoſophis ſuppeditare debuiſſe, quo de ipſa ciuitate, partium deſcriptione, inſtitutione et diſciplina, veriora traderent; inprimis adeo Ariſtotelis libros de Republica quaſi pro *ſumma eorum, quae tot rerump. contemplatio*

templatio ſubtili eius iudicio ſubiecerat, habebimus. Verum ipſa inſtituta fuerintne praeclata et ſalubria ſi quaeramus: ea, quae de illarum ciuitatum fortuna ac proſperitate in hiſtoriis memorata ſunt, dubitationem facile eximunt; eſt tamen non minus de ſoli caelique natura et indole, tum de agriculturae ſtudiis, quae noui coloni attulerant, tum de adſcitis in amicitiam, ſocietatem, interdum et ciuitatem, barbaris cogitandum.

Vt tamen recte de illa veterum opera iudicemus, reputandum eſt, primum, *tempora illa antiquiora tanquam pro incunabulis politices* omnino eſſe habenda, a quibus adoleuit illa, nutrita poſt virorum doctorum cura ac ſtudio: ita tamen vt ab rerum veritate, non a mera ingenii ſubtilitate per hypotheſes ludentis, ea proficiſcerentur. Vti autem omnino exigui coetus et ſocietates parum numeroſae induſtria acriore res ſuas curant: ita eorum, quae ſalubria in rep. an noxia eſſent, obſeruationi diligenti multo magis accommodatae erant *paruae respublicae*, quam magna imperia, quibus nunc Europa intercepta eſt: in quibus multa caſu ac temere, alia vnius vel paucorum arbitrio ac libidine, pauca ad certam rationem, pleraque more et exemplo fiunt ac geruntur; cumque regna illa inter barbarorum victorum inſolentiam ac ferociam, vt fors ferebat, coaluerint et concreuerint, nunc fluminis more, qua illud alueum ſibi fecit ac curſum conuertit, omnia feruntur impetu; ipſa rerum curandarum et adminiſtrandarum multitudo, perplexus nexus, operarum et ſtudiorum concurſus plerumque inter-

intercedit, quo minus antiqua mutari, meliora, etiam bene perſpecta et multis virorum prudentium ſcriptis declarata, inferri poſſint. Solent quoque in magnis imperiis, quae principatum Europae affectant, eorum, qui rebus adminiſtrandis praeſunt, ingenia et ſtudia ad rerum externarum ſplendorem, auctoritatem ac vim ad fortunam reliquorum Europae regnorum inclinandam, ad rem militarem et ad tributa ac vectigalia, magis ſe conuertere quam ad ciuium virtutem ac felicitatem. Contra reſpublicae illae antiquarum aetatum, partim erant hominum, qui ex feritate et vita ſilueſtri, aut ex *nomadico* vitae genere ad agros colendos primum progrediebantur, vt forte ii, quibus Moſes leges ſcribebat; partim colonorum, qui, ex ciuitatibus iam ad certam rationem conſtitutis cum eſſent progreſſi, ipſa deſcriptione nonnulla melius conſtituere, cumque et fines et ciues eſſent exigui modi et numeri, facilius multa perſpicere ac conſulere poterant. Melius itaque legumlatoriae ſcientiae pericula facta ſunt in his paruis ciuitatibus, quam ſi in magnis regnis et imperiis hoc idem tentatum eſſet. Satis quoque hoc docuit imperiorum veterum per Aſiam hiſtoria; quam parum enim illa ad bonam legum deſcriptionem profecerint, ipſa res declarauit. Contra in illis paruis ciuitatibus experimenta facta ſunt, qua via ac ratione reſpublicae condi et conſtitui poſſint ſic, vt finis eiusmodi ſocietatis humanae, *felicitas* non vnius, nec paucorum, *ſed omnium*, ſi non aequalis ac par, nullo tamen alio gradu diſcrepans et inaequalis, quam quem naturae diſparitas et inaequalitas facit, obtineri

tineri

tineri poſſit. Videmus itaque antiquas reſpublicas fere eſſe populares, ex iisque antiquiores fere ab *aequalitate agrorum et fortunarum*, quam adeo Moſes ſequutus eſſe agnoſcitur, proceſſiſſe. Ipſo rerum vſu cum intellectum eſſet, laborare hoc genus nimis multis malis: emendatior facta eſt reip. forma, et tentata res per omne genus et democratiae et ariſtocratiae. Inter haec, principium et fundamentum omnis ſocietatis ciuilis eſſe animaduerſum eſt *libertatem*, ſine qua nulla eſſe poteſt tuta poſſeſſio ac fructus bonorum *g*); hanc vero muniendam eſſe domi bonis legibus ac moribus, foris virtute et corporum robore; in pace frugalitate, continentia, labore, in bello corporum animorumque viribus reique militaris prudentia ſummam rerum contineri. Itaque frugalitatis et laborum tolerantiae quanta bona ſint, melius perſpexere veteres; et recte illi maluere rerum moleſtarum ſenſum iniucundum obtundere, quam rerum iucundarum ſenſum acuere.

Aliud periculum factum eſt in eo, cum paruae reſpublicae vim externam et hoſtilem haud bene depellere, magnae vim ciuilem et iniuriam paucorum potentium facile ex ſe gignere ſoleant, annon reſp. etiam in modicis finibus et viribus ita inſtitui

g) Ephorus ap. Strabon. X. p. 735. D. de Cretenſium rep. *δοκεῖ δὲ ὁ νομοθέτης μέγιστον ὑποθέσθαι ταῖς πόλεσιν ἀγαθὸν τὴν ἐλευθερίαν· μόνην γὰρ ταύτην ἴδια ποιεῖν τῶν κτησαμένων τ'ἀγαθά.* (vides *liberty and property*) *τὰ δὲ ἐν δουλείᾳ τῶν ἀρχόντων, ἀλλ' οὐχὶ τῶν ἀρχομένων εἶναι.*

tui poſſit, vt hoſtilem impetum minus extimeſcat; Quod maxime propoſitum fuit Cretenſibus et Spartanis: Cumque virorum fortium et armis exercitatorum exiguus numerus par ſit magnae multitudini hominum imbellium, conſentaneum erat, vt armis et laboribus tolerandis a pueris aſſuefierent ciues. Ducebant haec ad illam prudentiae politicae arcem, vt omnem ciuium inſtitutionem a puerili aetate repeterent, eamque non in dictis ac praeceptis, ſed in factis exemplisque poſitam eſſe intelligerent: id quod etſi prudentiores nullo tempore latuit, nouiſſimis tamen temporibus demum inter noſtrates ſagacioribus perſuaſum eſſe coepit; tum vt non parentibus ac cognatis liberum relinqueretur, quo inſtitutionis quisque genere vti vellet, verum vt inſtitutionis et diſciplinae procuratio perſpicue legibus conſignaretur (v. Ariſtot. de Morib. X. p. 187. D. ſq.) Nullum facile eſt reipubl. liberae genus, quod non experti ſint Graeci; multo magis ſi de compoſitis et arte multiplici variatis generibus quaeritur. Quanta cum ſagacitate et ſubtilitate temperata fuit Athenienſium democratia! Qua tandem intellectum eſt, hoc genus ciuitatum omnino niſi in ſumma ſimplicitate, paupertate et ciuium paucitate, ſuis rebus ſupereſſe non poſſe. Inter haec eo tandem peruentum eſt, idque primi Graeci perſpexere, mox Romani maiore cura et ſollicitudine definiuere, temperandam omnino eſſe remp. quamcunque eum in modum, vt poteſtas exequendi decreta in vnius aut paucorum ſit manu, legum ferendarum toti populo ſeruetur, deliberandi autem Senatui relinquatur; aut ſi regnum conſtitutum fuerat, vt ſit inter

regem

regem et populum medius aliquis ciuium nobiliorum ordo.

Inter haec infitiandum non eſt, *plurima* in illis rebus publicis fuiſſe *a noſtris temporibus aliena.* Nam primum ad ipſa incunabula, vt diximus, et primordia politices, earum aetas aſſurgit. Sunt adeo nonnulla inſtituta e barbarie ſeruata, multae leges nimiae ſimplicitatis; interdum et horridam aſperitatem ac feritatem prae ſe ferentes *h*). Nec vero illi legum auctores diſputandi et cogitandi ſubtilitate philoſophi fuere, ſed vitae prudentia et ſapientia ex rerum vſu et obſeruatione nata *i*). Porro in magna veterum legum parte *morum diſciplina ad easdem reuocata eſt*, ita vt morum praecepta iis eſſent aut inſerta, aut prooemiis praemiſſis inculcata: quae tamen res facilius ferri poterat in illa

 legum

h) Ariſtot. de Rep. II. p. 436. C. *τοὺς γὰρ ἀρχαίους νόμους λίαν ἁπλοῦς εἶναι καὶ βαρβαρικούς· ἐσιδηροφοροῦντο γὰρ οἱ Ἕλληνες, καὶ τὰς γυναῖκας ἐωνοῦντο παρ' ἀλλήλων· ὅσα τε λοιπὰ τῶν ἀρχαίων ἐστί που νομίμων, εὐήθη πάμπαν ἐστίν.* Memorabile id genus exemplum conſtituunt leges Cretenſium et Spartanorum. Sunt tamen in his nonnulla idoneis rationibus haud deſtituta: v. c. opiſiciorum contemtus, inter homines ſcilicet, qui naturae humanae praeſtantiam non minus in corpore quam in animo vindicabant; qui adeo corpora frangi nollent arte ſellularia et ſordida.

i) Seneca Ep. XC. *Sed poſtquam, ſurrepentibus vitiis, in tyrannidem regna verſa ſunt: opus eſſe coepit legibus, quas et ipſas inter initia tulere ſapientes. Solon — Lycurgum — Zaleuci leges Charondaeque laudantur: hi non in foro nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagorae tacito illo ſanctoque receſſu,* (vitiosum hoc falſo pronuntiatur) *dedicerunt iura, quae florenti tunc Siciliae et per Italiam Graeciae ponerent.*

legum ſimplicitate et paucitate *k*). Contra noſtris aetatibus morum emendandorum viae et rationes non tam a legibus et inſtitutis, quam ex rerum cognitione et doctrina expectantur; cum veterum hominum religiones intra ritus et caerimonias ſubſiſterent, noſtra religio doctrinam ethicam ſibi vindicauit; ab hac igitur inſtitutio cum puerilis tum prouectae aetatis petitur. Praeclare vtique, modo praeceptio et inſtitutio non ad opiniones et ſubtilitates, aut adeo ad refellendas aliorum opiniones deducitur: quae vtique res ad animos ac mores fingen-

k) cf. Proluſ. I. p. 14 ſq. Ariſtot. de Mor. X, 10 p. 187. vbi docuerat, niſi natura, doctrina et vſus ac conſuetudo conuenerit, vix bonos fieri poſſe, moresque adeo fingi diſciplina et inſtitutione, atque ideo educationem et ſtudia legibus deſcripta eſſe debere: (διὸ νόμοις δεῖ τετάχθαι τὴν τροφὴν καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα) *itaque*, pergit, *exiſtimant nonnulli ab iis qui leges ferunt, honeſti cauſſa ad virtutem homines eſſe cohortandos atque excitandos.* διόπερ οἴονται τινες τους νομοθετοῦντας δεῖν μὲν παρακαλεῖν ἐπὶ τὴν ἀρετὴν, καὶ προτρέπεσθαι τοῦ καλοῦ χάριν, ὡς ὑπακουσομένων τῶν ἐπιεικῶν τοῖς ἤθεσι. Ipſe Moſes ſuarum legum fundum non modo virtutem, verum etiam pietatem in deum fecerat; cumque alii, inquit Joſeph. in Apion. II, 16. εὐσέβειαν partem virtutis conſtituant, ipſe eam fundum ac totum, ſingulas autem virtutes partes εὐσεβείας eſſe voluerat, ita vt καρτερία, σωφροσύνη, δικαιοσύνη, eſſent partes ſeu genera. Solent hoc iam antiquiores ſcriptores inter veterum legum proprium morem referre, vt a diis, eorum prouidentia, et a poenis praemiisque poſt hanc vitam expectandis aut metuendis, initium faciant. Copioſe hoc declarare annifus eſt Warburtonus. De Pythagoreis id forte probabiliter affirmari poteſt. At antiquiores non legum verbis, ſed inſtitutis ac ritibus ſacris metum deorum inculcabant, quo ipſa ſacrificia, auguria, luſtrationes, iuraiuranda, pertinebant. Nec aliud quid effatur Plutarch. adv. Coloten. p. 1125. D.

Digitized by Google

fingendos nullam vim habere poteſt. At priori-bus aetatibus vitae praecepta ipſis legibus proponebantur; aut moribus et inſtitutis, etiam nulla verborum praeceptione adhibita, inſtillabantur; ita officiis peragendis ipſo vſu homines aſſuefiebant *l*). Naturae humanae et indolis ingenuae, nulla auaritia et luxurie corruptae, inter haec magna vis eſſe debuit, exemplorum autem vitae auctoritas ſumma. Ipſis recte factis iuuentus erudiebatur et informabatur, ne verbis quidem monita, ſaltem nulla quaeſtiuncularum et diſputationum ſubtilitate. Mox etiam commemorari facta et in exemplum proponi debuere; tandem etiam ficta et ex vera vita adumbrata Cum his porro nonnulla ſymbolice praecipi coepere, adſcitis inſtitutis ſymbolicis. Sed ſymbolis his euenit id quod aliis fere omnibus ſymbolis, vt, ſenſu obliterato ac vi ſublata, maneret externa agendi ratio. Sic luſtrationum et purgationum manſit ritus, ignorari coepit conſilium et ratio. Etiam illud inprimis animo tenendum, quod facile in oculos incurrit, priſcis temporibus *nondum factam legum diuiſionem in iuris publici ac priuati et ſacri codicem, nec politiam et iudiciales leges, et, quod appellant, ius criminale ſeorſum fuiſſe in ſua capita redactum ac diſtributum;* contra vero veteres iſtae leges promiſcue ac permixtim capita omnis generis complectebantur. Etiam quando in LL. Solonis et in XII. tabulis diremta fuere iura in plura genera ac ſectiones, multum adhuc res aberat a iuſta aliqua

l) ἀσκήσει τῶν ἐθῶν, vt ap. Joſeph. in Apion. II, 16. Exemplo ſint Cretenſes et Lacedaemonii.

partium deſcriptione. Nec legibus comprehenſae ſunt ab initio cauſſae et iura cuncta quae in ciuitate deſiderari poſſint; verum ſcriptum eſt de vna et altera cauſſa aut crimine, quod illo tempore inter illos homines cum maxime reprimendum eſſe videbatur. Ita ſucceſſere aliis alia, modo conſilio ac prudenter, modo temere, ac caſu. Plerumque enim rerumpublicarum leges ſigillatim pro temporum ratione in codicem excreſcere ſolent, non alio modo quam muri Thebarum lapidibus ſparſim convolantibus et locum ſuum occupantibus.

Nec hoc dimittendum eſt animo, etiamſi integras legum tabulas ciuitatum haberemus, non tamen in illis totum ciuitatis ius perſcriptum nos eſſe cognituros, ſed *tantum nonnulla, quae a more et inſtituto maiorum recederent;* non enim dubitare licet, etiam poſt Charondae et Zaleuci leges multo plura vſu et conſuetudine, more et inſtituto, quam lege ſcripta, fuiſſe adminiſtrata. Multa quoque relicta iudicis arbitrio, inprimis in cauſſis ſimilibus ad leges applicandis: cuius rei exempla vel Romae tempora antiquiora ſuppeditant. Vix autem vllum fuit ante ius Romanum, quod tam late ad ſingula negotia et cauſſas deſcenderet, nihilque aut vſui et conſuetudini aut iudicis arbitrio et iudicio relinqueret. Tum *diſcrimen* ingens *inter mores veteris Graeciae et noſtros* conſtituit non modo popularis imperii forma, et ius ciuitatis, quo et iudicatus et magiſtratus gerendi ius continebatur, verum ipſa domeſticae vitae ratio et conditio; ſeruorum operae, inprimis in agro colendo, etſi paſſim fuere

libera

libera capita, quae operam locarent, etiam eſſent, qui glebae erant adſcripti *m*); porro muliebris ſexus conditio, cum per omnes aetatis gradus in manu virorum, ſeu patris, ſeu fratris et agnati, ſeu mariti, eſſet femina; iudicium de artibus ſordidis et illiberalibus tam diuerſum a ſenſu noſtro. Multa etiam mutata ſunt ſcripturae vſu, cum olim voce et oratione omnia negotia publica et priuata eſſent expedienda; quorſum etiam teſtium et iurisiurandi vſus multo frequentior, quam noſtra aetate, etſi etiamnum nimium forte frequentatus in foro, eſt referendus.

Bene tamen vel ſic nobiscum actum eſſet, modo ſeruaſſet nobis fortuna *libros illos et leges integras* vna cum iis, *quae de earum vi ad respublicas erant narrata.* Nunc *nudas* leges, plerumque *truncatas*, habemus, *deficientibus cauſſis* legum, et rationibus, quae potuere eſſe plurimae, quas ignoramus, eaeque variae, modo a gentis origine, ſedibus, ſolo, caelo, modo ab opinionibus, religionibus repetitae, ſeu phyſicae et ethicae, vt nunc loqui amamus. Licet quidem in his, Monteſquieui aliorumque, etiam antiquiorum, exemplo *n*) multa

 inge-

m) Tales fere *Helotae. Peneſtae* in Theſſalia et *Perioeci* in Creta: cf. Ariſtot. de Rep. II, 9. 10. inpr. Athen. VI. p. 263. 264. qui locus de ſeruorum conditione inter Graecos claſſicus eſt.

n) Exemplo ſint haec: Numam ex imputata vite diis libare vetuiſſe, *vt putare vites cogerentur.* Plin. XIV, 12. ſ. 14. mola ſalſa vti coeptum, *vt a glandibus reuocarentur homines.* Apud Aegyptios aſinos Typhoni conſecratos, ne iis vterentur homines, ſed equos alerent

ingenioſe comminiſci; enimuero in hiſtoriis veritatem quaerimus non commenti ſagacitatem. Raro itaque ipſam legum indolem et conſilium tenemus; raro cauſſas aſſequimur: quas tamen niſi teneas, ſaepe legum vim fruſtra putabis te tenere, non magis quam ii, qui leges Romanas ex Digeſto et Codice laudant nec reip. Romanae ſtatum et conditionem eo tempore, quo lex lata eſt, perſpectam habent. Vt exemplo rem declaremus: In Graecis ciuitatibus tantam legum ſeueritatem in diſcernendis legitimis a ſpuriis, (γνησίων et νόθων) contra apud Aegyptios fuiſſe nullam, bene intelligimus, quandoquidem apud iſtos ciuitatis iura et munera non poterant niſi in certa capita definito numero conferri; contra Aegyptii liberorum numerum et frequentiam in votis habebant, victus facilitate inuitante ad ſuſcipiendos liberos, et cum opinio vulgaris in generandis liberis nihil matri relinqueret, patrem vnicum auctorem haberet (v. Diodor. I, 80.). At qua de cauſſa a Lyciis dominatus feminarum receptus, aut ab Aethiopibus regni ſucceſſio non defuncti regis liberis, ſed ſororum filiis

rent. Haec et his ſimilia inter ingenioſa commenta referenda eſſe in promtu eſt. Ita etiam facile aliquid ponere ac ſtatuere licet, quod acute dictum ac ſagaciter inuentum videatur, vbi de cauſſis legum, morum et religionum vniuerſe diſputatur; at ea omnia ſaepe concidunt ſi ad ſingula exempla deſcenderis. Mohammedicos ritus, Arabiae ſaltem Orienti vnice accommodatos, quis tandem credere potuiſſet tam late recipi ac ſeruari per regiones ac terras ſoli caelique prorſus diuerſi? abſtinentiam a vino ſeruari in terris vitium feraciſſimis, lotiones religioſas in terris ſiccis aut gelidis?

Digitized by Google

filiis credita fuerit, et innumera eiusmodi alia, ignoramus. Quid quod illae *leges*, quae ad nos peruenere, ne quidem ab *inſtitutis* ſedulo ſunt diſtinctae, venitque *legis* nomine, quod *inſtitutum* erat, (νόμιμον non νομος); erant quoque multae leges haud dubie ab inſtitutis profectae, hoc eſt, vt noſtrates dicunt, lex non ſcripta abiit in ſcriptam; multa ſunt *ſimilia* noſtrarum ciuitatum *Statutis*, alia *Conſuetudinibus* et Iuri recepto.

Tandem et illud manifeſtum fit, in illis libris qui periere, πολιτείας et leges *non ſemper totius reipubl. deſcriptionem aut legum codicem* continuiſſe, ſed complexas eſſe tantum *ea, quae cuiusque ciuitatis aut reip. eſſent ſingularia*, inſtituta peculiaria ac ritus et mores inſolitos. Accidit igitur etiam in hoc genere, quod in hiſtoriis vbique factum meminimus, vt non notata ac memoriae tradita ſint niſi ea, quae a ſollenni rerum more ac ſtatu recederent; quae enim perpetua ac conſueta ſunt, quia popularibus obuia ſunt et trita, ſcripto conſignata vulgo omnes faſtidimus, gratiſſima illa cognitu et vtiliſſima futura poſteris, qui poſt aliquot ſaecula mores noſtros, vitas, et inſtituta, diſcere volent. Hinc plura audaciae per ſcelera ruentis vaſtique animi immoderata appetentis exempla quam honeſtatis ac virtutis moderatae, inprimis vitae priuatae, ad poſteritatis memoriam prodita ſunt per omnium temporum annales. Vulgus nonniſi ad noua et inſolita rerum miracula obſtupeſcit, ad multo maius naturae ſibi perpetuo rerum ac certo curſu conſtantis miraculum hebet:

 ita

ita nec in litteris ingenia, nec in rebus gerendis conſilia admiratur, niſi nouum aliquid et inſolens illa produxerint; vtrum vero illud recte nec ne procuratum, an a cauſſis probabilibus et honeſtis profectum ſit, et an vtilitatem aliquam veram attulerit, vulgus haud facile laborat, ne tum quidem, cum malorum ex eodem praeclaro facinore natorum ſenſu ad veriora duci poterat. P. P. in Georgia Auguſta d. XVI. Septemb. cIↃIↃccLXXXVI.

ACADE-

Digitized by Google

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

JO. STEPHANVS PÜTTER

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXV.

IN A. D. XVII. SEPT. CIↃ IↃ CCLXXII.

RITE INDICIT.

Litterarum artiumque inter antiquiores Graecos conditio ex Muſarum aliorumque deorum nominibus muniisque declarata.

Cum a noſtris hominibus, Ciues, quoties litterarum noſtrarum diſciplinarumque orbem ſymbolica aliqua ratione declarare volunt, Muſas et Apollinem, maxime in carmine, memoratos legimus: ſubit interdum animum illa cogitatio, an ſatis conſentanea cum noſtrarum litterarum conditione et indole illa ſint nomina. Quam enim ex Muſis appellabimus, in cuius tutela Struvius paruus, quem vocant, ſit! aut cui ius criminale, proceſſum imperii, vel theologiam paſtoralem ſacram ſanctamque eſſe dicemus! Contra eae artes, quae inter

inter ceteras Muſis propriae et conſecratae habentur, poetice et muſice, ex academicarum diſciplinarum orbe tantum non exulare videri poſſint; vt adeo Muſae non modo ex ſiluarum receſſibus fontiumque frigoribus in oppida et auditoria, ex ſolitudine et ſilentio inter clamores ſtrepitusque cathedrarum traductae, verum etiam ex ſacro vatum choro, ex mediis Charitum amplexibus abreptae, in contubernium, ne quis ergaſtulum dicat, earum diſciplinarum ac ſcientiarum detruſae ſint, inter quas citharae tibiaeque cantus non minus alienus eſſe videatur, quam iis in locis, vnde *exaudiri gemitus* *). Nec minus tamen fatendum eſt aliena eſſe Muſarum nomina et attributa ab omnibus illis aetatibus, quibus Graecia Italiaque litteris artibusque floruit; nec Muſis conſecrata fuit philoſophia, eloquentia, medicina aut alia diſciplina. Quo ipſo intelligitur, neque illis aetatibus Muſarum nomen eſſe inuentum; quod ſi enim tum demum philoſophiam litteras artesque liberales ſymbolice exprimere voluiſſent homines, alias ii haud dubie Muſas induxiſſent aliterque earum nomina et attributa conſtituiſſent, quam vt a cantu, carmine et ſaltatione, ea peterent.

Inter haec animus delabitur ad illam cogitationem, paullo grauiorem, quam diuerſa et a noſtris aetatibus aliena ſcientiae et doctrinae ratio et aeſtimatio inter eos homines eſſe debuerit, qui primi litteras ſuas Apollinis et Muſarum nominibus conſecrare voluerunt. Quae res cum paucis forte animad-

*) Aen. VI, 557.

animaduerſa nec ingrata tamen ſit ad cognoſcendum, nunc in ea cogitatione et commentatione iuuat animum paullatim defigere, vt diuinando aſſequamur: *quae litterarum artiumque omnino ratio et conditio eſſe debuerit ea aetate et inter eos homines, qui primi Muſarum reliquaque nomina ſymbolica excogitarunt, quibus litteras artesque et diſciplinas deſignare ſolemus.*

Et primum quidem, quod ex omnibus illis litterarum perſonis et nominibus ſymbolicis intelligitur, illud eſt, *nullam* illo tempore *tradendi praecipiendique rationem fuiſſe,* praeterquam quae fit *cantu et carmine:* quae res ipſa artium incunabula et exordia arguit, cum necdum ſcribendi artificium eſſet inuentum aut vulgatum. A carmine autem inter omnes populos, qui non ab alio populo victore vel victo cultum humanitatis acceperunt, litterarum primordia profecta eſſe, et proficiſci debere, ſatis conſtat *). Quod igitur *Apollo* et *Mercurius* artibus et litteris praeeſſe dicti ſunt, id non male deſignatum eſt alterius inuento et attributo proprio cithara, alterius lyra. *Mercurii* quidem notio haud dubie in Graeciam peregre inuecta, ex Aegypto maxime, vt probabile ſit, cum ab initio λόγου, h. e. mentis et rationis, tum ſermonis, tandem etiam ſcripturae eſſet ſymbolica declaratio, mox eam induere coepit perſonam, ad cuius auctoritatem referrentur omnia ea, quibus *hominum recentum cultus formare* ille dictus eſt, aut quibus priſca Graecia ad humaniorem cultum deducta eſſe credebatur; inter quae primo loco habitam eſſe videmus muſicam cum humano

*) cf. ſup. Comment. *de vet. poetar. doctrina* p.167 ſqq.

humano eloquio, ad eloquentiam deinceps expolito, tum palaeſtram et certamina gymnica, quibus nec dubie Graecia multas virtutis bellicaeque diſciplinae cauſſas debere viſa eſt, qua belluina illa veterum heroum ferocia fracta, hominesque ingentium corporum vires temperare et certo conſilio moderari regereque didicerunt.

Antiquior, et, quod nobis videtur, Pelasgicae originis, *Apollinis* eſt religio, quandoquidem illa in antiquiſſimis, Etruriae quoque, monumentis occurrit, et Romanis patrius deus fuit Apollo. Religionis vetuſtatem citharae etiam ratio docet, quam priorem fuiſſe lyra neceſſe eſt, quippe cui fundus acceſſit, teſtudinis cauum, quod ſonum corroboraret: cum cithara fides tantum haberet iugo iunctas inter duo cornua. Quod autem Apollini muſica inprimisque cithara, tanquam proprium inventum, tributa eſt, ex eo, niſi fallimur, repetendum eſſe videtur, quod antiquiſſima Delphis fuit religio, quae carmina et choreas cum cantu, citharae maxime, deſideraret. Et fuere Pythici ludi eius generis vetuſtiſſimi, (ἀγὼν μουσικὸς) in quibus cantus primum cum cithara et chorus viguit, nec niſi ſero, Pythiis inſtauratis, (Olymp. 48, 3.) acceſſit tibia, altera autem Pythiade equorum quadrigarumque curſus, octaua qui aſſis fidibus canerent, hinc alia certaminum genera ſunt recepta. Artium itaque tutela et praeſidium Apollini non alia de cauſſa delatum eſſe videtur, quam quod primum in eius ſacris antiquiſſimo et patrio Graeciae ritu citharae chorique vſus fuit. Pari more Bacchus inter

inter deos ingeniorum fautores eſt adſcriptus, quod Athenis in eius ſacris dramatica poeſis prima incrementa et laudem habuit. Neque mirum videri debet, ſi poetae ad deum, tanquam auctorem, retulerunt ea, quae in eius ſacris ludisque fierent. Pani quoque ſyringis, tanquam proprii inuenti, laus forte non aliunde venit, quam quod Arcades eius feſtum choreis fiſtulaeque cantu antiquo more celebrabant. Ceterum in Apollinem ſucceſſu temporis artis quoque medicae inuentum et honos fuit collatus: cuius opinionis cauſſam et originem non niſi coniectando aſſequimur. Notum eſt primo tempore medicinam inter homines fuiſſe vix vllam, praeterquam vulnerum, quibus herbas, herbarumque ſuccos vel radices tritas inſpergebant; morborum autem *cohors* partim in illa vitae ſimplicitate *terris* nondum *incubuerat*, acuti vero morbi a deorum, Phoebi maxime et Dianae, ira repetebantur. Ad ſolis, aeſtu ſuo aerisque intemperie corpora tentantis, vim in eo alluſum eſſe, non ſit improbabile. Cum tamen ſemel morborum cauſſas ad deos referre coepiſſet vetus Graecia, mos inde inualuit, vt de morborum auxiliis conſulerentur ſere vates, deorumque oracula adirentur; inter quae poſt Dodonaeum antiquitate et auctoritate eminuere Delphi. Vates autem inter priſcos homines, apud quos omnia, quae quis diceret, moneret, ſuaderet, etiam quae narraret, carmine, adeoque inflammato animi ſpiritu, magnoque ore proferebantur, pariter omnis doctrinae et ſapientiae auctores *a*), et

a) ἐνέπνευσαν δέ μοι αὐδὴν (Muſae) Θείην, ὥς τε κλύοιμι τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. Heſiod. Theog. 31, 31. et paullo

et futurarum rerum prouidi, religionum ac rituum conſulti, ideoque et occultarum cauſſarum, remediorumque, quibus morbis medela fit, intelligentes peritique habiti ſunt.

Artes metalla tractandi et ex iis opera conflandi, fingendi vel ſculpendi, in promtu fuit veteri Graeciae ad *Vulcanum* referre, quippe quem ignis ſymbolum acceperat, etiam eius, qui per vniuerſum hoc cum aere et aethere fertur, et qui per ſubterranea loca diffuſus interdum per hiantem terram incluſo ſpiritu erumpente montium Lemni Siciliaeque incendia facere viſus erat. In hoc vero illud obſeruandum, quod, artium adhuc paruo et obſcuro diſcrimine, idem Vulcanus arma, thoracem et clypeos, ſimulque affabre factos tripodes cum ſignis puellarum aureis, idemque fibulas, armillas aliaque ornamenta procudit et fabricatur (v. Il. Σ.

Minervam nondum memorauimus; eam quidem ab initio virtutem bellicam, quae cum conſilio, arte et ſcientia coniuncta eſt, deſignaſſe, ex Homero ſatis obuium eſt, qui Martem fere apponere ſolet, temerarii impetus caecique pugnandi ardoris, quem vaſti corporis vires faciunt, interpretamentum. Ad Minervam mature Graecia manſuetas retulit artes pacis, inprimis femineas texendi, nendi, tingendi acuque pingendi; nullae autem artes aliae, quam feminarum, heroum tempore vigebant,

paullo poſt v. 37. 38. Muſae, Εἰρεῦσαι τά τ' ἐόντα τά τ' ἐσσόμενα πρό τ' ἐόντα. An aliter de Calchante Homerus Iliad. α, 70? Sed de his egregie iam Strabo monuit.

vigebant, virorum ſtudiis ad armorum tractationem conuerſis. Tandem in eam congeſta ſunt alia attributa et munia ex Aegyptiorum Neith, quam Graeci Athenen interpretati ſunt: cf. Cic. N. D. III, 23. Plat. Timaeo p. 22.

Herculis Muſagetae notio in Italia primum nata eſſe videtur, cum M. Fulvius Nobilior nouem Muſarum ſigna Ambracia Romam translata in Herculis templo dedicaſſet (Plin. XXXV. ſ. 36, 4.) quod aliquanto poſt Marcius Philippus reſtituit (Sueton. Aug. 29. Ovid. Faſt. VI. extr.). Herculis in ea communis cum Muſis ara fuit, quam perperam ad Euandrum referre volebat Plutarchus (Qu. Rom. p. 278. D. Frf.), errore inde nato, quod in foro boario alia Herculis ara fuit Maxima dicta, cum ſigno, quod *ab Euandro ſacratum, vt produnt.* (Plin. XXXIV. ſ. 16.) An vero Herculem Muſageten Fulvius *in Graecia cum eſſet imperator acceperit,* vt Eumenius tradit, in Or. pro reſt. Sch. c. 7. admodum dubitamus, cum nondum vlla eius rei in vetere Graecia auctoritas occurrerit; ſin is recte id adfirmauit, Herculis Muſagetae nomen vix aliunde ortum videtur, quam ab artificis opere aliquo inſigni, qui Herculem cum Muſis exhibuerat, eo forte conſilio, vt praeclara facta Muſarum praeconiis decorari ſignificaret. Serioris artis frequens argumentum eſt Hercules lyram intendens vel pulſans. Quicquid eſt, recentius certe Herculis cum Muſis eſt contubernium, neque ad litterarum incunabula, de quibus nunc agimus, reuocandum *b*).

Iam-

b) [v. nunc Comm. de Hercule Muſag. Vol. III. p. xxIII.]

Digitized by Google

Iamdudum vocant nos *Muſae*, quarum religionem a Thracibus, et quidem e Pieria primum in Graeciam eſſe illatam, dubitari nequit *c*). Prima eius ſedes in Helicone, vnde hunc potiſſimum montem Muſis ſacrum eſſe voluit omnis antiquitas. Acceſſit alius fabulae ornatus ex poetarum ingeniis. Primi enim priſcae Graeciae vates ex his Boeotiae locis prodiere, quorum quidem princeps Linus, Orphei diſcipulus habitus, ex Thracia aduena, ita excelluit carmine, vt, vetere loquendi more *d*), cum Apolline certaſſe narraretur. Poſt alios, quorum non niſi nomina extant, Heſiodus Aſcrae, qui ſub Helicone vicus erat, vixit, qui etiam Muſarum nomina et numerum nouenarium conſtituiſſe dicitur; qua de re infra videbimus. Tandem nouam Muſis celebritatem attulere Theſpiae, qui et ipſe Boeotiae vicus eſt, apud quas dies feſti Muſis et ludi habiti ſunt *e*). Quae ſi quis meminerit, tantam in Muſarum numero et nominibus varietatem *f*) occurrere non mirabitur: nam in fabulis ornandis ſuo poeta quisque ingenio indulſit: alia feſtorum et ludorum celebritas et caſus peperiſſe videri debet.

Nos

c) Obuia res, ſi vel Pauſaniam inſpexeris IX, 29 ſqq. Heſiod. Theog. 53 ſqq. [v. nunc ea de re Commentationes antiquiores Volumini VIII. Commentationum Soc. R. Gott. ſubiectas. Comment. II. III.]

d) Sic Thamyras cum Muſis, Marſyas cum Apolline certaſſe dicti: ſic paſſim apud Homerum alii armis, curſu cum diis contendere memorati, qui iis rebus excellerent.

e) Pauſan. IX, 31. p. 771.

f) Adeat, qui volet, libros mythologicos. cf. Dauiſ. ad Cic. N. D. III, 21.

Digitized by Google

Nos ea tantum notabimus, quae de litterarum artiumque incunabulis iudicium nobis facere videbuntur.

Ab initio Aloidae, viribus opibusque potentes homines, quorum nomen ab Orchomeniis, prima veteris Graeciae ciuitate, quae opibus inſignibus floruit, profectum videtur, tres Muſas ediderant *Meleten*, *Mnemen* et *Aoeden* g). Illo itaque adhuc tempore omnis ſapientia carmine continebatur, cuius naturam illi a *meditatione*, *memoria* et *cantu* repetebant. Antequam enim priſca aetas ſcribendi artificium aut inuenerat aut ſatis excoluerat, deficiente inprimis opportuna habilique materia, cui inſcribi litterae poſſent; qua ex re, tenui per ſe et exigua, quanto opere omnem vitae humanae ingeniorumque cultum pependiſſe putatis! ei, qui nouum carmen, nam carmine omnis tum oratio erat incluſa, conderet; mente et memoria verſus, quos elaborauerat, retinere neceſſe erat; idem facere debuit, quicunque cognoſcere nouum ingenii fetum volebat, vt memoriae verſus mandaret poetae ore exceptos. Auditione enim omnis tum inſtitutio et doctrina in animos deſcendebat, eoque altius, quo voce, ore, ſono, geſtu, actione pene mimica, illa animari ſolebat. Neque aliter quicquam in vulgus edi vel ad poſteritatem prodi potuit, quam ſi memoriae eſſet mandatum. Memoriae itaque beneficium eo tempore fuit ſummum, inprimis

g) Pauſan. IX, 29. cf. Cic. N. D. III, 21. ibique Dauiſ. Multum argutati ſunt in huius numeri ternarii cauſſis Plutarchus, Cenſorinus, alii.

inprimis in retinendis ſuperiorum vatum carminibus. Quare a nonnullis *Mnemoſyne* Muſarum mater edita fuit, quae ex Jove eas peperit. Nam ii, qui Vrani et Terrae filias eas perhibuerant *h*), aliud quid ſequuti videntur, forte hoc, vt carminis antiquitatem ea re declararent: aut, quae ſimpliciſſima ratio, quod, ea, quae abſtracta, proprietates, virtutes, in perſonas mutarant, cum inter numina retuliſſent, modo ad Jovem, modo ad Coelum et Terram, tanquam nata ex iis et partu edita, referre ſolebant. Quod vero *Euphemen*, quaſi *bene eloquentem* diceres, Muſarum nutricem, cuius in Heliconis luco ex ſaxo ſignum fuit, commenti erant, id ad carminis ſuauitatem ſpectare quis non videat? Carminis autem, vti poſtea eloquii, multo maior eſſe debuit vis ad hominum ferorum et barbarorum animos, maiorque adeo auctoritas, quam nunc a nobis facile intelligi poteſt, ex quo philoſophandi ſubtilitas orationem ad hanc exilitatem attenuauit, qua a ſenſuum impulſibus viuidoque animi vigore et robore ad iudicii acumen et cogitandi ſubtilitatem (bono noſtro an malo factum dicemus?) omnis reuocata eſt doctrina et ſcientia. Quid? quod ipſa ſcriptura et lectionis inuenta facilitas, dum taciti apud animos ea, quae leguntur, cognoſcimus, vt orationem ab aurium iudicio, a numeris et modulationis ſuauitate reuocauit, ita animum ab iis omnibus, quibus ſenſus grauiſſime impelluntur, numeroſae inquam orationis grauitate et venuſtate, actionis

h) Res nota ex Diodor. IV, 7. Pauſan. IX, 29. Schol. Apoll. III. 3. qui Alcmanem et Mimnermum auctores eius fabulae memorant.

Digitized by Google

nis geſtùsque et motus vi ad afficiendam mouendamque mentem, abduxit et alienauit.

Obtinuit tandem, vt reliquam in numero varietatem omittam (de qua Cicero N. D. III, 21. videndus), *numerus Muſarum nouenarius:* qui et ipſe, cum primum condi coepit vna cum nominibus, nullam adhuc inter Graecos eo tempore philoſophiam, nullas artes liberales fuiſſe, manifeſtum facit. Quotquot enim vel nomina indita, vel attributa et munia ſunt aſſignata, ſi ſingula excutimus, ad poeſin, cantum et ſaltationem ſeu chorum ſpectant; niſi quod hiſtoriae iam tum ſcribi coeperant, quandoquidem Clio rerum geſtarum memoriae praeeſſe dicta; etſi et hoc ad carmen epicum ſpectauit, quo priſcorum heroum res et facta ex antiqua memoria repetuntur *). Vraniam forte excipiendam aliquis dixerit, quippe quae ad aſtronomiam referatur. Dubitare tamen licet de eo quoque, an ab initio ſimpliciter ad diuinam originem Muſarumque in Olympo choros reſpexerit is, quisquis primus Vraniam dixit. Munia enim, quae ſingulis Muſis attribui ſolent, non ſine memorabili opinionum varietate et diſſenſu tum ſcriptorum tum artificum, ſerioris aeui videntur eſſe inuentum, quando iam tragoedia

*) Itaque Homerus, res veteris memoriae expoſiturus maiorum narratione ac fama acceptas, multo verius Muſas inuocat, quam alii poetae. Recte ille copias Achiuorum enarraturus: Ἔσπετε, ait, νῦν μοι, Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι, Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα· Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν.

tragoedia et comoedia inuentae fuere, quibus Euterpe et Thalia praeeſſent, quod ante Ol. LIV et LXI factum non eſt. De Aſtronomia autem carmen Heſiodi nomine inſignitum veteribus in laude habitum eſt: quod tametſi inter ea referendum fuiſſe videtur, quae temere ſub Heſiodi nomine ferebantur, occurrunt tamen in ipſis Heſiodi Operibus et Diebus ſiderum occaſus et ortus inter ruſtici operis et nauigationis praecepta notati.

Nouenarium Muſarum numerum etiam in Homeri Heſiodique carminibus conſtitutum eſſe, iam a Diodoro (lib. IV, 7.) eſt obſeruatum, vt ſaltem hoc liqueat, illo iam tempore Muſarum chorum ad eum numerum excurriſſe. Enimuero in dubitationem ea res adduci poſſe videtur. Nam apud Homerum numerus nouenarius vno in loco occurrit, extremo Odyſſeae libro (Ω, 60), qui an Homerum auctorem habeat, recte dubitatur. Ab Heſiodo autem an Theogoniae particula illa, in qua v. 57 ſq. occurrunt Muſarum nomina, profecta ſit, parum liquet. Quin Boeoti circa Heliconem indigenae, Pauſania teſte, negabant non modo praeter Opera et Dies vllum genuinum Heſiodi habendum eſſe fetum, ſed in iis quoque priores verſus, in quibus Muſae inuocantur, ab aliena manu eſſe aſſutos (Pauſ. IX, 31.).

De ſymbolicis mythis, qui paſſim occurrunt, quoties de Muſarum ſingularum parentibus, liberis, amoribus, rebus, narrant poetae, hic agendi locus non eſt; memorabimus adhuc breuiter ea, *quae*, de Muſis

Muſis narrata, *veteris vitae et moris veſtigia* produnt. Munus earum praecipuum eſt, hymnos in laudem Jouis patris canere: erat enim hoc inter antiquiſſima carminum argumenta. Cantant eaedem et choreas exercent; (vt in Helicone Theogon. 4. 7 ſq.) vetere more et hoc. Saltandi enim, hoc eſt choros ducendi, vt canendi lyramque vel citharam pulſandi, ſtudium et feſtiuitas plerumque iungi ſolebat. Ex priſca vita ductum item hoc, quod Apollo nonnunquam (non enim hoc perpetuum) praecentor chori adhibetur, vt Il. A, 603. et in Cypſeli arca apud Pauſan. V, 18. Tribuuntur tandem Muſis alia, quae a vatum inter reges antiquae Graeciae fortuna et honore ducta ſunt. Vti enim aoedi accinebant regum epulis, ſic Muſae Jouis deorumque epulis adhibentur, vt canant priſca deorum facta et origines (v. Homer. l. c. Heſiod. Theog. 36 ſq.).

A Muſarum nomine appellata *μουσικὴ*, cuius vis et ſignificatus vni tandem arti adhaeſit, cum ab initio cantum et poeticen omnino declararet, poſtea vero omnia ea, quae carmine prodi ſolebant, ipſamque adeo philoſophiam omninoque litteras, inprimis quae ad humanitatem animos emolliunt. Sequiores autem Muſarum nomine, numero et munere, varie vſi ſunt, cum magna interdum allegoriae licentia, multa quoque argutiarum leuitate, quam oratione proſequi et piget et a conſilio alienum eſt *i*). Ita ternarium Muſarum numerum

 philoſo-

i) Adeat, qui cognoſcere vult, vulgares libros, vel Plutarch. Sympoſ. VIII, 14. Varron. ap. Auguſtin. C. D. II, 17.

philoſophiam, rhetoricen et mathematicen deſignari aiunt; quae res Plutarchi tempore eam ſcientiarum deſcriptionem obtinuiſſe declarat; a priſcae autem vitae rudiore indole aliena eſt. Aeui itaque ſerioris quoque habendus eſt hymnus inter Orphicos is *k*), in quo Muſae *omnis doctrinae parentes*, *animi nutrices*, *rationis rectrices*, *mentis moderatrices* appellantur. Inter alia egregium eſt illud veterum quoque poetarum commentum, quo *Muſas* et *Charites* conſortio et contubernio iungunt. Itaque illae communes inſtituunt choreas; interdum in *Veneris* quoque et *Erotis* contubernium Muſae adducuntur. Multa alia artifices in gemmis ſuauiter effinxiſſe deprehenduntur. Non noſtri ingenii eſt, exemplorum farraginem cumulare, quotiescunque ea opera ſatis odioſa ſuperſedere poſſumus.

Ceterum hoc *Muſarum cum Gratiis*, *Venere et Amore conſortium* veremur, Ciues, ne noſtris aetatibus tantum non diſſolutum videri debeat. Scilicet deducto carmine cantuque ad pedeſtrem orationem, et philoſophiae ſeueritate ſententiis grauibus verbisque ſubtilibus exultantes animi ſpiritus compeſcente, perterrefactae Gratiae cum ipſis Muſis fuga dilapſae ſunt. Neque Platonis ſuauiſſima oratione retineri potuerunt; quippe cuius exemplo ſatis intelligi potuit, aut Philoſophiam aut Muſas cum Gratiis eſſe deſerendas; philoſophandi enim ſubtilitatem

k) Orphic. Hymn. LXXV, 4. 5 πάσης παιδείης ἀρετὴν γεννῶσαι ἄμεμπτον. Θρέπτειραι ψυχῆς, διανοίας ὀρθοδότειραι, (h. αἱ διδοῦσαι διάνοιαν ὀρθὴν, alio nomine ὀρθώτειραι.) Καὶ τοῦ ἐυδυνάτοιο καθηγήτειραι ἄνασσαι.

tatem eſſe poſſe nullam niſi cum verborum ſubtilitate et exilitate coniunctam: id quod Ariſtoteles mirifice perſpectum habuit. Eaque res multo magis patuit, cum diuina veritas ad philoſophicam ſubtilitatem attemperata et legum iuriumque interpretatio in ſcientiam eſſet conuerſa. Si itaque Muſarum nomina paſſim adhuc verſiculis in numerorum complementum otioſe inſidere videmus, *re amiſſa nomen retinuiſſe* dicendi ſumus. Succeſſere in earum locum ſeueriores deae, *quatuor Facultates*, quae quibus parentibus natae, qua mortalium an immortalium cura nutritae adoleuerint, quibus nominibus, muniis, attributis ſuperbiant: alio tempore diſpiciemus.

Et haec quidem hactenus luſiſſe iuuat, ac verius proluſiſſe diei feſti fauſtique ſollennibus, quae craſtino die habebuntur. Quod enim felix fauſtumque ſit, agenda inſtant ſacra anniuerſaria Academiae noſtrae, quae bono cum deo cras illuceſcent XXXV. Ducetur ex more pompa ſollennis in templum academicum, et inter ceteros ritus ſacros feſtosque oratio habebitur ab Academiae Oratore, Profeſſore eloquentiae, Chr. G. Heyne. Proludet ille precibus votisque publicis rite perſoluendis ſuſcipiendisque praefatione ſuper noto illo philoſophi dicto, quo *ſeuera res eſſe gaudium* pronuntiatur. Inter ea, de quibus Deo O. M. gratiae publice agendae ſunt, primo loco memorabitur illud, quod, noſtrarum rerum tutelam Sanctiore Sacratiſſimae Regiae Maieſtatis Conſilio ſuſtinente, Viri Illuſtriſſimi eidem Conſilio Sanctiori adſcripti,

ALB. FRID. DE LENTHE, Praeſes Collegii Fiſco Reg. curando, et LVD. EBERH. L. B. DE GEMMINGEN, Magnus per Ducatum Cellenſem Advocatus, CVRATORES ACADEMIAE NOSTRAE renuntiati, praecipua cura et vigilia pro ſalute noſtra excubare non dedignantur.

Vt his ſollennibus beneuole intereſſe fauſtisque ominibus votisque, in natali hoc Georgiae Auguſtae faciendis, linguis animisque fauere velitis, tabula hac propoſita, Ciues, vos rogare, ad officium noſtrum et ad beneuolentiam, qua vos proſequimur, pertinere duximus. Vos itaque, Comites Illuſtriſſimi, Barones Nobilesque Illuſtres Generoſiſſimi, Ciues natalium multoque magis ingeniorum morumque claritate et laude commendatiſſimi, humaniſſime precamur obteſtamurque, vt ſollennibus frequentes adeſſe velitis. P. P. d. XVI. Sept. cIↃ IↃ CCLXXII.

ACADEMIAE

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

JO. STEPHANVS PÜTTER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS SACRA XXXVI.

RITE INDICIT

SIMVLQVE

SVCCESSOREM SVVM
GE. HENRICVM AYRER D.

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. XVII. SEPT. CIↃ IↃ CCLXXIII.

Subiicitur notatio Corporis Iuris gloſſati MSti Bibliothecae Georgiae Auguſtae.

Duplex libelli huius dos eſt, Ciues, duplexque eius publice proponendi cauſſa, vtraque melioris notae fauſtique auſpicii. Ad annorum enim, quibus incolumis ſtetit Academia noſtra et laeta incrementa habuit, ſummam accedit hodie iterum vnus annus expletus, isque inter res florentes et proſperas, bonorumque omnium, quae paterna numinis

numinis O. M. indulgentia conceſſit, fructum conſtantem certumque exactus. Nam ſecundum publicam vniuerſae reipublicae incolumitatem, laetiorem agrorum prouentum, aeris temperiem ſalubrem, pacem non dubiam, quis non Regis Optimi, Parentis Indulgentiſſimi, Pacis Statoris inuictiſſimi, incolumitatem? quis non domus Auguſtae fauſta incrementa? non laetum terrarum Brunſuicenſium ſtatum? inprimis ſi cum tot vicinarum terrarum difficultatibus comparetur? quis non haec omnia et alia plurima, grata mente reputet, deoque immortali, tantorum bonorum auctori, accepta referat et ad pietatis ſenſum in animo hilaritate diffuſo et commoto excitandum adhibeat? Noſtra quidem academica resp, etſi mortibus aliquot Collegarum, qui ſuis tamen annis obierunt, hoc quoque annuo ſpatio fuit afflicta, reliqua tamen bona et decora ſalua habet et intacta. Senatus Sanctioris, inprimisque Curatorum Ill^morum^, prouidentiam curamque et noſtri noſtrarumque rerum ſtudium experti ſumus tantum, quantum votis etiam inuidioſis parumque modicis ſatisfaceret. Contigit etiam ea felicitas, vt Viros Illuſtriſſimos ſummosque, primum L. B. DE WENKSTERN, Regi M. Brit. a Conſil. ſanctior. et aliquanto poſt L. B. DE LENTHE, Collegii Fiſco Regio curando Praeſidem, Academiae Curatorem, coram intueri, eorumque virtutes mirabiles, comitatem et beneuolentiam incredibilem, deuenerari licuerit. Locupletata eſt Bibliotheca academica copiis ampliſſimis, interque eas codicibus aliquot MSS. et magno typographicorum monumentorum numero. Cumque adhuc

ea

ea ſupellectilis litterariae pars Academiae abeſſet, quae naturae copias in ſua genera et claſſes diſtributas ſpeciminibus et exemplaribus illuſtrat: ea autem ſi careremus, librorum tantum apparatu contenti, altero oculo acute cernere, altero ſi non caecutire ſaltem caligare et lippire videremur: quae enim diſciplina naturae cognitione ſubtiliore vacare poteſt, et tamen doctrinae accuratae nomine digna videri? Aug^mi^ Regis munificentia ſumma, et Collegae noſtri, Exc^mi^ Büttneri, Viri multiplici variaque doctrina ornati, liberalitate et generoſo Academiae publicaeque vtilitatis ſtudio, apparatus Academiae huic obtigit, qui non modo naturalium rerum copias complectitur, verum etiam numorum priſcorum et recentiorum diuite penu, et gemmarum gaza locuplete inſtruxit nos: isque apparatus ita ad certum rerum ordinem ac ſyſtema collectus eſt et digeſtus, vt omnium generum exempla adſint luculenta. His igitur nouis iisque ſplendidis incrementis in Academiam noſtram cumulatis anniverſarium hoc ſollenne merito inter ſupplicationes et gratulationes exigere decretum eſt. Publice quidem illae habebuntur in templo academico inter ſollennium genus aliud, quod in hunc diem differre placuit. Transferentur enim magiſtratus academici inſignia, quae per annum et quod excurrit in vna eademque domo fuerunt, hoc ipſo die extra ordinem in Virum annis, meritis, doctrinae copiis ingeniique et morum vrbanitate venerabilem, Collegam honoratiſſimum, coniunctiſſimum,

GE. HENRICVM AYRER D.

cuius vigilantia, prudentia et conſtantia, ſpem facit certam

Digitized by Google

certam fore, vt diſciplinam publicam, egregie per hunc annum firmatam et munitam, omni ſeueritatis perſeuerantia continuatam et ſtabilitam habeamus. Proſequimur interea bonis votis ominibusque auſpicia magiſtratus, cui craſtinus dies aditialis conſtitutus eſt, isque adeo auſpicatiſſimus, cum is academiae natales fauſto ſidere ortos referat.

Cum autem muneris ratio nobis iniunxerit hoc, vt feſtis ſollennibus proludamus ſcriptione aliqua publice ad vos edenda, Ciues, et proponenda; ſi forte ſint, qui ad ea legenda animum conuertant, vnde nihil in penum ac cellam ſperari, ſed ingenii tantum ornamentum doctrinaeque auctus exſpectari poteſt; nihil putauimus cum conſilio noſtro eſſe coniunctius, quam vt ex iis ipſis copiis litterariis, quibus per hos ipſos dies Auguſta munificentia nos inſtruxit, deligeremus cimelium aliquod inſigne, cuius argumento expoſito et interpretato vtilitas aliqua ad vos et ſcientiae incrementum redire poſſet.

Eſto autem cimelium illud ex aliis, quae nunc commemorare non vacat, codex membranaceus maximae formae, qui vniuerſum Ius ciuile vna cum Feudorum libris complectitur; fuit is olim Viri Cl. Chr. Gottlieb Schwarzii, Profeſſoris in Acad. Altorfina meritiſſimi, nuperque, ab eius heredibus redemtus, noſtris copiis librariis acceſſit. Deſcriptio quidem eius qualiscunque vulgata eſt, magnam partem ex viri beate defuncti ſchedis *a*), quae vſibus illis,

a) In Catalogo biblioth. Schwarzianae P. II, n. 1.

illis, quibus erat deſtinata, ſatisfacere potuit; ſtudioſis tamen Iurium, quorum ſtudia in hac Academia, ſi qua alia, feruere videntur, rem non ingratam nos facturos eſſe putauimus, ſi notationem eius codicis daremus paullo exactiore et curatiore opera; inprimis cum Iuris Iuſtinianei notitia vulgaris, qualem ex editis, quas nunc verſare ſolent docti viri, haurire in promtu eſt, aditum ad eum codicem euolvendum non ſatis muniat.

Primum quidem omnium tenendum eſt, *Corpus Iuris gloſſatum* quinque Voluminibus comprehenſum eſſe; de ſexto quod ſeorſum habendum eſt, ſingulatim dicemus. Iam Corpora Iuris gloſſata non ab Inſtitutis, ſed a Digeſtis initium faciunt; adeoque digerenda erant Volumina hunc in modum: vt Digeſtum priores tres tomos conficeret, quartum Codex repetitae praelectionis, quintum Inſtitutiones cum tribus poſterioribus libris Codicis, Authenticis et duobus Feudorum libris. Hoc etiam ordine Accurſius Corpus Iuris gloſſa inſtruxit *b*). Digeſtum autem tribus voluminibus ſolito more comprehenſum, diuiſum ſcilicet in *vetus*, *infortiatum* et *nouum Digeſtum*, h. e. in prius, medium et poſterius volumen. Scilicet barbare ea aetas, quod *primum* erat, *vetus*; cumque auctum illud primum Volumen et quaſi corroboratum alterius acceſſione vellet dicere, *infortiatum*, quodque *poſtremum*

b) De Gazalupis Hiſt. Intpp. et Gloſſator. Minus accurate Pancirollus de claris LL. Intpp. p. 119. Accurſium ab Inſtitutionibus auſpicatum dicit.

mum eſt, *nouum* dixit *c*): quam quidem diſpertiendi rationem ſeu gloſſa in nimis magnam molem ſubnata, quam vt eam vnum volumen caperet, ſeu, quod etiam probabilius, inde ortam ſuſpicamur, quod, cum ab initio in ſcholis ICtorum priores tantum XXX. libri Digeſti enarrati eſſent *d*), quantam quidem eius partem vnius anni ſpatio interpretatio e cathedra emetiri et abſoluere poterat, mox ſucceſſerunt, qui veſpertinis horis alteram quoque partem ingeminatis et auctis corroboratisque quaſi et *inſortiatis* ſtudiis, tandem etiam tertiam interpreta-

c) *Inſortiare* communi vſu pro *munire* dixit illa aetas; ſed et augmenti notio inhaerere debuit. Erat enim *fortis* frequentatum pro multus; *fortiores* Pſalmi, h. e. longiores in Regula S. Benedicti occurrunt apud Dufresnium h. v. Sic *fortiter* pro multum; vnde adhuc Gallofranci *fort* eodem ſignificatu. *Inforzare* etiam Itali retinuere, et Galli *renforcer* et *renfort* eodem ſignificatu acceſſionis alicuius factae. In tot tamque diuerſis virorum doctorum commentis ſuper vocis origine (v. poſt Alciatum, Contium et alios, quos vulgo excitatos videri licet, Ferandus Aduenſ. Explicatt. lib. I, 13. Bern. Walther Miſcellan. Iur. II, 5.) loquendi vſum eius aeui non eſſe conſultum primo loco, mirari licet. *Inſortiatum* pro *infarto* illa aetas dixiſſe nusquam deprehenditur.

d) Sic Irnerium vetus tantum Digeſtum enarraſſe conſtat: hoc enim principio ſolum cum Codice interpretabantur in ſcholis ſuis doctores publice: ſucceſſere priuatae lectiones in ceteras Iuris ciuilis partes *extraordinariae* dictae: donec Compendia Iuris ederent, ſeu *Summas*, primus Rogerius, tum Placentinus, et Joannes Boſſianus, tandemque Azo, illuſtris ICtus. Etiam gloſſa in Infortiatum ſerius contexi coepit, nec niſi primo Rogerio auctore.

pretarentur *e*): vt *noui* et *veteris* Digeſti nomen non abſurde nunc vulgo vſurpatum increbreſceret.

Vt vero ad noſtrum codicem redeamus, dabimus primum deſcriptionem aliquam formae et partium, tum de aetate eius, tandemque de vſu, cui inſeruire poteſt, iudicium noſtrum qualecunque ſubiiciemus.

A pluribus diuerſisque librariis perſcripta eſſe haec volumina, inſpicienti manifeſtum fit: omnes tamen aetate aut aequales aut ſibi ſuppares fuiſſe, arguit ſcriptionis character in ipſa diuerſitate mirifice conſpirans. Elegantiore tamen charactere et nitidiore membrana exarata ſunt *duo volumina*, quae *Digeſtum infortiatum et Inſtitutiones* cum *Authenticis* et *lib. X-XII. Cod.* continent: in hoc altero volumine accedunt litterarum, quae libros ſingulos ordiuntur, picturae, quales prior aetas fert, coloribus nitidis et viuidis *f*); in Codice minus quidem ſcite, ſed ingenioſa varietate, appicta ſunt pro librorum ac titulorum diſcrimine capita animantium monſtro-

e) Abſoluebant tum doctores Digeſti veteris interpretationem annuo ſpatio, alius eodem ſpatio Codicis, aliique mox reliquas Iuris partes pariter anno. Primum Bartolum binis per diem horis docendo totum Digeſtum binis annis abſoluiſſe accepimus.

f) Sunt in iis nonnulla, quae priſcos fori ritus ex eo ſaeculo referunt, et, ſi quis otioſior inſpiciat, vſum habere poſſunt ad mores hominum declarandos. Alia riſum mouent. Ita ad Collat. III. pr. de Lenonibus: ſuperiore loco ritus nuptiales, inferiore lupanar exhibitum, vnde leno et lena expelluntur: et ante Collat. IV. puerperium feminae depictum.

monſtroſorum, pleraque ridicula. *Digeſtum nouum* varias habet inſertas lacinias, ad reſarciendam iniuriam exemplari huic factam. Ita ſuppleta ſunt ab alia manu, eaque ſeriore, tria folia in principio (a lib. XXXIX. Digeſti noui, et infortiati a tit. 3. XXIV. libri initium fieri memineris) vsque ad l. 9. primi tituli: alia duo folia ad gloſſam ſupplendam inſerta ſunt a recente manu ante tit. quintum, qui eſt de donationibus. Expletur etiam gloſſa, a vetere manu adſcripta, quae ad lib. 5. tit. de verb. ſignif. deficit, ab alia manu vsque ad l. 98. Lacunam habet contextus aliquot foliorum inde a l. 139. de verbor. ſignific. vsque ad l. 132. de regg. Iur. Ex vltima tamen pagina, quae integra ſubiicitur, (conuertimus enim animum ad indaganda haec, quae primaria in genere eo critices eſſe ſolent) intelligi poteſt, eandem ſcriptionem fuiſſe in hoc codice, quam perturbatus duorum foliorum in Pandectis Florentinis ordo in tit. de regg. Iur. vbique inuexerat, antequam error is a Taurello obſeruatus et ab Antonio Auguſtino notatus fuit *g*). Expleta eſt lacuna ab alia manu vna cum gloſſa inde a l. 108. de verbor. ſignif. vsque ad finem libri: eodem quoque tituli regg. Iur. et legum ordine. Inquiſiuimus etiam in cetera loca, ex quibus Pandectae ex Codice Florentino ducti argumenta peti ſolent: et vidimus etiam in hoc, vt in aliis codd. tit. 8 et 9. lib. XXXVII. eſſe permutatos; rubricam ſeu indicem *tit. pro ſoluto*, qui exemplaribus recentioribus exulat, ante l. 46. tit. de vſurpatt. et

g) Notiſſimus eſt locus Ant. Auguſtin. Emendatt. lib I. c. 1

et vſucapp. appictum; transpoſitas quoque leges ſeu capita 31. ad 35. in tit. de manumiſſis teſtam.

Codex repet. praelect. a manu minus ſcita exaratus eſt: ſuſpicamur tamen extitiſſe olim hunc eundem librum ab eadem manu perſcriptum, cui infortiatum debemus: Ad huius enim calcem folium inde attextum eſt, quod particulam a l. 13. tit. 18. libri I. Cod. vsque ad l. 5. tit. 23. exhibet. Laudamus numeros ex noſtris exemplaribus: eos enim e priſcis exulare nemo neſcit. Nouem autem tantum libri hoc codicis volumine comprehenduntur, vt fere in ceteris, quantum conſtat, exemplaribus veteribus ſcriptis et prelo expreſſis: cuiusmodi exemplar habemus in manibus ſplendidum Norimberg. 1475. quocum codicem omnino ſatis conuenire intelleximus.

Sed *quintum* volumen, quod *Inſtitutiones, Codicis libros X. XI. XII. Authenticas* et *Feudorum libros* complectitur, inprimis dignum videtur, quod accuratius inſpiciatur. Compacta haec omnia in idem volumen ſunt, more illius ſaeculi, quem in codd. et edd. priſcis obſeruare obuium eſt, ſeu quod ita commodum erat, duobus voluminibus haec complecti, altero Codicis libros nouem priores, altero reliqua, ſeu quod trium poſtremorum Codicis librorum vna cum Nouellis et Inſtitutis, quorum ſerior in docendo vſus factus fuiſſe videtur, honor et reſpectus aliquo tempore fuit praecipuus, inter Clericos inprimis, quorum commoda pleraque in iis libris exponuntur. Nouellarum

 ſaltem

ſaltem auctoritatem inter Clericos ab omni inde tempore viguiſſe, earumque vna cum Codice et Inſtitutis notitiam qualemcunque, Digeſtorum adhuc obſcurata memoria, paſſim ingeniis affulſiſſe, ex iis colligere in promtu eſt, quae Guido Grandi in Epiſtola de Pandectis Florent. diſputat *gg*). Nouellas autem in Corpore iuris gloſſato nemo facile, qui his litteris imbutus eſt, alias expectet, quam Authenticas nouem Collationibus comprehenſas, h. e. verſionem latinam veterem, ad verbum factam, interdum ſatis barbare, in foro tamen receptam. Complectitur illa XCVIII. Nouellas gloſſa inſtructas diuerſo prorſus ab eo, quem nunc ſeruamus, ordine diſpoſitas: quae res virum doctiſſ., Schwarzium, quoque fefellit, vt codicem in Nov. CXXV. deficere putaret. Enimuero in ſuperioribus Novella: *vt nulli iudicum liceat*, quae CXXXIV. eſt, *de raptis mulieribus*, quae nunc CXLIII. eſt, et aliae praeceſſerant. Scilicet deficit codex, vt ceteri vulgati, in authentica *de ſanctiſſ. epiſcopis et deo amabil.* (Nov. CXXIII.) quae vltima eſt nonae collationis: ſed ſubiicitur in codice noſtro authentica *Vt iudices non expectent* (Nov. CXXV.) quae ſupra ſuo loco exciderat. Adiiciuntur et aliae tres fugitiuae; primo loco *Nouimus ex denuntiatione*, (quae Nov. CX. eſt de *nauticis vſuris*, qua Nov. CVI. abrogatur). Sed dignum omnino videtur hoc Nouellarum volumen, quod accuratius euoluatur, quam nunc a nobis fieri poteſt. Ordinem quidem et numerum Authenticarum videmus eſſe diuerſum a vulgato

gg) Adde Struv. H. I. p. 366.

gato *h*). Ita in Collatione nona ſuo loco non deprehendimus authenticam *de priuilegio Archiepiſc. primae Juſtin. ſedis: de praetor. conſul. Cpol. de Armeniis: de operis nouis nuntiatione maritimi proſpectus.* Enimvero in his otium, quod conteramus, non ſuppetit.

Feuda finem habent, vt in vulgaribus libris, cum tit. 51. lib. II. Adiecta eſt Conſtitutio Friderici Imp. *In die qua.* Gloſſa huius particulae eſt auctior vulgata, vt adeo eam, quae Jacobi Columbani curis locupletata fuit, eſſe probabile ſit; frequentius etiam Accurſii nomen adſcriptum occurrit.

Peruentum eſt ad *gloſſam* totius operis, quam *Accurſianam* eſſe cum per ſe diſerte conſtat, tum ex appoſitis paſſim in fine notarum ſiglis *a. ac. acc. accurſ.* ad intelligendum in promtu eſt *i*). A diuerſis ea manibus, aliis quidem earum ſimilibus, a quibus ipſe contextus exaratus eſt, ſatisque antiquis, aliis recentioribus, profecta eſt. Statim tamen in ipſo contextu, binis vbique columnis, exarando, librarium de gloſſa, quae acceſſura erat, cogitaſſe, ſpatiumque,

h) Etiam in praeclara editione vetere, maioris formae, Baſileenſi ap. Mich. Wenſzler: monumento rei typographicae inſigni. Comprehendit ea Authenticas gloſſatas, libros Feudorum et tres nouiſſimos Codicis libros.

i) Videtur ſiglam non animaduertiſſe Schwarzius, qui in Schol. ad Prooem. Inſtitt. p. 10. nomen Accurſii nusquam adſcriptum eſſe adfirmabat. Inſerta eſt etiam Inſtitutis ſatis nitide picta arbor conſanguinitatis et arbor actionum, quam a Joanne Baſſiano inuentam, a Rofredo Butienſi vero locupletatam eſſe conſtat. Fuit is Accurſio aetate ſuppar.

tiumque, quod eam capere poſſet, reliquiſſe, nobis quidem liquere videtur. Nec vero gloſſa ab ea, quae in veteribus editis vulgata eſt, variat aut recedit, vt comparatione inſtituta didicimus, niſi, quod in omnium inter ſe exemplarium comparatione occurrere ſolet, vt addita alia ſint, alia ſubtracta et omiſſa, alia ſedibus et locis mutata. Quam rem mirari non debemus. Habent enim Inſtituta cum Codicis tribus libris et Infortiatum mera ſigna multiplici modo variata, admodum tamen obſcura, reliqui libri verba interpretanda cum ſignis praefixa; vt ſaepius iſtorum hominum oculos, quos aciei firmitate et intentione incredibili valuiſſe neceſſe eſt, mirati ſimus.

Diuerſus prorſus et ſeiungendus a ſuperioribus voluminibus eſt codex pro *ſexto* volumine in numeros relatus, ab alia eaque minus ſcita manu minusque nitida in membrana perſcriptus, *Digeſti XV. priores libros* cum gloſſa Accurſiana complexus; quae ad lib. XV. tit. 3. deficit, contextu tamen vsque ad l. 17. tit. I. libri XVI. producto. A mala manu librum olim fuiſſe truncatum, antequam ea, quae ſeruata fuerunt, compingerentur in volumen hoc, dubitare non licet. Praefixa ſunt ab alia ſed vetere manu, et luculento charactere, duo folia, quae conſtitutionem Imper. Juſtiniani *Omnem* ad Anteceſſores, vnam ex tribus, quibus Pandectas ſanxit Imperator, continent: digna ea, quae a ſtudioſis harum lautitiarum cum editis comparentur, cum ex antiquiore deſcripta ſint, in qua verba paſſim atramenti pallore exoleuerant: vnde lacunae

lacunae relictae ſunt, etiam ſub finem, vbi Graeca ex Homero, quem *patrem omnis virtutis* honorifice ſatis appellat Imperator, vt in aliis, deſunt *k*).

Videndum nunc eſt de *aetate:* ad quam in multis iam a nobis proluſum eſt. In Catalogo Bibl. Schwarzianae haec erant adſcripta: "Scripta ſunt „haec volumina ſine dubio ſaeculo XIII. id quod „vel e litterarum forma, vel inde colligitur, quo„niam Accurſius ſaeculum XIII. inſigni iuris peritia „colluſtrauit etc." Enimuero alterum hoc tantum id probat, vltra Accurſii aetatem codicem non aſſurgere. Litterarum formam et characterem *l*) ſaeculi Accurſiani eſſe, facilius eſt pronuntiare quam probare. Quin illae potius ad ſaeculum XIV ſpectant; ſaltem Accurſii aetate codicem ſeriorem eſſe ex hoc manifeſtum fit, quod in Cerotianas gloſſas incidimus, h. e. a filio Accurſii Ceroto additas, v. c. ad l. 15. D. de reb. credit. In hoc igitur manebimus, donec meliora quis docuerit, per ſaeculi XIV. decurſum codicem noſtrum eſſe exaratum *m*).

X 4 Reſtat

k) Quod in fine ſubſcriptum eſt: *Data Conſtantinopuli, domino Juſtiniano perpetuo Auguſto* iter *Conſule* animum aduertere poteſt: vt *iter* pro *iterum* pictum ſit, multo magis ad communem ſcribendi normam, quam vt *ter* pro *tertium* perſcriptum ſit. *Tertium* tamen Imp. Conſulatum in promulgando Pandecta alia firmant: et in *iter* prima littera obelis iugulata videri poteſt.

l) Nullum apud Benedictinos rei diplomaticae auctores ſpecimen occurrit, quod ſatis commode comparari cum codice noſtro poſſit; niſi aliquo modo To. III. t. 56. *II. Genus.* cf. p. 599.

m) Poſſeſſorem quendam annum 1462. aliquo loco adſcripſiſſe vidimus. Nec tamen is fuiſſe videtur, qui com-

Digitized by Google

Reſtat vt de *auctoritate* et *vſu* codicis paucis diſputemus. De quo primum nihil vniuerſe, ſed de ſingulis partibus, pronuntiandum eſt. Omnino, quoties de codicum dignitate et loco, quo habendi ſint, agitur, in libris iuris diſtinguendos putamus codices gloſſis inſtructos ab iis, qui gloſſis vacant, modo ne de exemplaribus gloſſis oneratis deſcripti ſint. Nec vanam rem putet aliquis, duas in hunc modum claſſes eorum conſtituere. Eos enim, qui gloſſam adſcriptam habent, contextum quoque ad gloſſam accommodatum, adeoqne vulgarem, habere neceſſe eſt. Ex iis contra, qui gloſſa carent, etſi et ii plerumque ex gloſſatis codicibus ducti ſunt, poſſunt eſſe nonnulli antiquiores et ea aetate, qua gloſſa enata eſt, h. e. ſaeculo XII et XIII. priores, aut ex antiquiore deſcripti. Hi ſoli vſum habere poſſunt criticum, ſaltem in Digeſtis, quorum codicem habemus principem Florentinum. Hactenus itaque in his nolimus quenquam operam nimis ſedulam codici noſtro excutiendo impendere *n*). Enim-

compingendum librum ab opifice curauit: eſſe enim ſerioris aeui videtur veſtitus libri. Vnde b. Schwarzius parauerit ſibi librum non conſtat. In *Ge. And. Wille* V. Cl. *Biblioth. Norica Williana* P. V. p. 231. 2. narratum legimus, poſt exceſſum b. Schwarzii Nordlingam, Lib. Imp. Civ., litem vindicando codici mouiſſe, mox tamen nec diiudicatam deſeruiſſe; adeoque non eſſe ad liquidum perductum, vnde MS. venerit.

n) In Schwarzianae quidem biblioth. Catalogo To. II. p. 1. adſcripta ſunt haec: *Variis in locis puriores in MS. reperiuntur lectiones* etc. Enim vero haec pro hedera appoſita ſunt vino tamen vendibili. Librarius fuit imperitus, ſi quis alius, adeoque perpetua occurrit emendatio ab iis adſcripta, qui codice vſi ſunt.

Digitized by Google

Enimuero libros critica ſubtilitate conſtitutos nec deſiderat forum, quippe quod vulgatam lectionem ſequitur; hanc autem vbique ab editoribus, inprimis in Godofrediana editione, qua vulgo vtimur in foro, eſſe interpolatam ſatis conſtat. De eius igitur ſinceritate ac veritate quoties quaeſtio incidit, ad antiquiores editiones et codices recurrendum eſt. Commode igitur contigit, vt, dum lectio ad Florentinum exemplar Brencmanni et Gebaueri curis emendata et ad criticam ſubtilitatem conſtituta in vrbe hac prelo excuditur, ad bibliothecae noſtrae opes vulgatae quoque lectionis exemplum praeclarum perueniret; inprimis cum praeterea editi veteres adſint libri, qui comparari poſſint, numero plures, interque hos ſplendidum Jenſonianum tribus Voluminibus maximae formae *o*).

In Inſtitutionibus, quae tot virorum doctorum curis totque libris comparatis emaculatae ſunt *p*), vt ex tali codice multum frugis bonae expectari poſſit, nos quidem dubitamus. Vulgauit iam varietatem lectionis ex hoc codice Schwarzius ad prooemium Inſtitutt. ſed in tanta farragine non vna occurrit, quae ſententiam prauam reſtituat, obſcuram illuſtret. Omnino illa opera varietatem ex

X 5 vulgari

o) E biblioth. Schwarz. redemtum, et deſcriptum in Biblioth. Schwarz. P. II. p. 33.

p) Inſpiciat aliquis ſaltem recenſum edd. ap. Schwarzium in Scholiis philologicis ad prooem. Inſtitt. recuſ. LB. 1739.

Digitized by Google

vulgari quoque codice, qui in manus incidit, cumulandi, moleſtiae plus quam fructus habere videtur.

In Corpore Iuris gloſſato nemo facile ſubſcriptiones et inſcriptiones additas expectet, vt nec numeros et titulos librorum, e quibus Pandectarum laciniae conſarcinatae ſunt. Hactenus adeo nec in Codice, nec in Nouellis, criticus vſus codicis eſſe poteſt ſatis magnus. Cum tamen in his multa ſint, quae adhuc ſtudium et operam virorum doctorum deſiderent, erunt forte aliquando, quos iuuet codicem hunc conſuluiſſe *q)*.

Feudalibus Conſuetudinibus comparandis otium iam factum videtur ipſius b. Schwarzii opera: quandoquidem eum ad Gebauerum noſtrum variantes lectiones ex pluribus Feudorum codicibus excerptas miſiſſe conſtat *r*): inter quas etiam ex hac penu, quam domi habebat, ſymbolam fuiſſe depromtam dubitare vix licet.

Atque haec quidem de codice Iuris Ciuilis, cuius addiſcendi vobis, o Iuuenes florentiſſimi, quam expedita, plana et compendioſa via nunc in hac noſtra diſciplinae ciuilis tradendae ratione ducta et

q) Enotauimus ipſi variarum lectionum numerum ex Nouellis aliquot, vnde apparet, operae poenitendum non fore.

r) cf. Gebaueri Narrat. de Brencmanno p. 175.

Digitized by Google

et munita eſt! quot enim quantisque difficultatibus luctandum, quantae moleſtiae deuorandae fuere iuris ſtudioſis ſuperioribus ſaeculis, cum ex tam ſpiſſo ac vaſto opere, tradita per ſingulas ſparſasque ſine ordine annotationes iura diſcenda erant! — Verum vocat nos pompa ſollennis, quae ad templum academicum orationibus audiendis ceterisque ritibus peragendis ducitur. Dicta eſt ſollennibus hora X. diei craſtini. Vos, Comites Illuſtriſſimi, Liberi Barones, Generoſiſſimi ac Nobiliſſimi Ciues, vt frequentes adeſſe velitis, humaniſſime rogamus. P. P. d. XVI. Sept. cIↄIↄcclxxiii.

ACADEMIAE

Digitized by Google

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

JO. PETR. MILLER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

CHR. FRID. GE. MEISTER D.

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. III. JULII cIↃIↃCCLXXV.

De Arcadibus luna antiquioribus diſputatur.

Recreati his ipſis diebus et exhilarati mirifice alterius ex Duumviris Curatoribus noſtrae Vniuerſitatis, L. B. de Gemmingen, Viri Illuſtriſſimi, praeſentia, eiusque incredibili inſpiciendi et cognoſcendi res noſtras eaque ipſa ornamenta, quae Regia liberalitate nobis contigere, recenſendi ſtudio: indicimus nunc ſollennia haec academica tanto maiore cum alacritate et laetitia, quo maior ceterarum noſtrarum rerum felicibus ſucceſſibus cumulus acceſſit hoc ipſo viri ſummi deſideratiſſimo aduentu. Indicuntur autem ſollennia haec in a. d. III. Julii transferendis Magiſtratus academici inſignibus in Virum Illuſtrem et Conſultiſſimum

CHR

CHR. FRID. GE. MEISTER D.

qui inter ſolitas caerimonias oratione publice habita, fauſtis cum ominibus, vobisque, Ciues, fauentibus, Prorectoris munia ſuſcipiet: quod vt et ipſi et reipublicae felix fauſtumque ſit, et nos precamur, et vos nobiscum, Ciues, precamini. Vt vero vota fiant publice, vtque rite pieque gerantur omnia, adeſte, Ciues, ſollennibus frequentes. Vos autem, Comites Illuſtriſſimi, primo loco rogamus humaniſſime, vt pompam ducere in templum academicum et ſacris noſtris intereſſe pro inſigni beneuolentia veſtra ne dedignemini.

Quandoquidem autem academiae mos et officii ratio poſtulat, vt hac ipſa pagella, qua ſollennia indicuntur, proluſionis cauſſa de re aliqua erudita, ex medio tamen petita, nec adeo recondita, diſſerantur non nulla: retractare placet rem non iniucundam cognitu, quam nuper in animum reuocauit doctiſſimus Gallus, diſputatione de Cometis inſtituta *a*). Vbi enim in ea quaeſtione verſatur, an Luna aliquando Cometes fuerit, qui cum propius, quam ſalubre eſſet, acceſſiſſet ad terram, ecce, repente ab ea correptus, motu ſuo circa eam ferri coepit et in ſatellitis locum ceſſit: cui rei fidem facere viſum eſt nonnullis hoc, quod, facie Lunae per teleſcopium explorata, exeſarum quaſi rupium veſtigia

a) *Eſſai ſur les Cometes en general et particulièrement ſur celles, qui peuvent approcher de l'orbite de la terre, par Mr. Dionis du Séjour, de l'Academie Royale des ſciences de Paris et Conſeiller du Parlement. Paris* 1775.

veſtigia, gurgites profundi, ſed omni humore exhauſti, prominentiumque montium iuga arida apparere putantur; vt credere liceat, nimium propinqui ſolis aeſtu eam aliquando torridam exaruiſſe: eo, inquam, in loco opinionem hanc firmari arbitratur narratione inter Arcades vulgata, *qua ii maiores ſuos terram inhabitaſſe crediderint, antequam ea ſatellitem ſuum, Lunam, nacta ſit. Narrationem hanc a Luciano ad poſteritatem eſſe transmiſſam: etſi Ovidii locus ſatis luculentus ad eam rem ſit in Faſtis* (lib. I, 469)

Orta prior Luna, de ſe ſi creditur ipſi,
A magno tellus Arcade nomen habet. b)

In hac diſputatione plura a viro ſagaciſſimo parum explorata fide poſita eſſe videtis. Primum multum abeſt, vt Arcades tam acute cogitarint aut coniecerint, *vt maiores ſuos terram inhabitaſſe crederent, antequam ea Lunam ſatellitem ſibi comparaſſet.* Quod de Arcadibus narratur, hoc eſt: antiquiores eos Luna aut creditos eſſe, aut credi voluiſſe, aut quacunque tandem ratione dictos eſſe. Nec aliter Ovidius et in illo et in aliis locis c), Quod porro ex Luciano

b) l. c. p. 184. *C'étoit une opinion généralement reçue parmi les Arcadiens, que leurs Ancêtres avoient habité la Terre, avant que cet Aſtre eût un Satellite. Cette opinion nous a été transmiſe par Lucien. D'ailleurs rien n'eſt plus formel, que le paſſage d'Ovide à ce ſujet etc.*

c) In loco laudato: *Orta prior luna tellus* h. e. gens, vt ſaepe poëtis γαῖα χώρα pro populo et lib. II. Faſt. 289. *ante Iovem genitum terras habuiſſe feruntur Arcades, et Luna gens prior illa fuit:* nec aliter Faſt. V, 90. accipiendum: *Luna credita terra prior, h. gens.*

Luciano auctore *d*) ea de opinione conſtare putabat, viro doctiſſimo condonandum eſt, a quo poſtulari non poterat, vt, leuiſſimae auctoritatis eſſe libellum de aſtrologia, perſpectum haberet; nam, etſi is inter Lucianea habetur, Lucianum tamen auctorem nullo modo habere poteſt, ſi modo non plane ſui diſſimilis fuit Lucianus. Multo vero minus ſuſpectus ille libellus erat laudandus, quando quidem tot alii multo grauiores auctores laudari poterant, et vero etiam ad rem tanti momenti firmandam, quaerendi et inueſtigandi erant ii, qui primi eam tradiderant, vt intelligi poſſet, qua auctoritate, qua fide rem maxime mirabilem ad memoriam hominum prodidiſſent. Vix aſſequi licet, quomodo vir doctus ſeueritati probationum geometricarum aſſuefactus in hiſtorico argumento tanta cum credulitate verſari, aut tantae leuitatis eſſe poſſit ad amplectendam fidem rei narratae, non ab graui et antiquo aliquo hiſtorico, ſed a poeta et ab obſcuro homine, qui repetierat ea, quae iam ante D annos in ſcriptis paſſim prodita proſtabant. Omnino etiam hoc exemplo patet, mutuo inuicem auxilio indigere diſciplinas, et aſtronomicam doctrinam non minus poſſe mutuare aliquid ex hiſtoria ac critica, quam adiuuatur veterum ſcriptorum lectio aſtronomicis rationibus. Quisquis enim veterum aetatum indolem

d) de Aſtrologia c. 26. vbi leuiſſimus auctor, cum expoſuiſſet ſuperſtitionem Lacedaemoniorum, qui ante plenam lunam non inirent pugnam, ſolos, ſubiicit, Arcades aſtrologiam non coluiſſe: *ἀνοίῃ δὲ καὶ ἀσοφίῃ λέγουσι καὶ τῆς σεληναίης ἔμμεναι προγενέστεροι.* atqui hoc fruſtra ſumitur, ex ſtultitia et inſipientia Arcades ſe luna antiquiores credidiſſe.

lem et rationem tenuerit, vix vnquam eo deuenire poterit, vt ſibi probabili ratione aliqua conſtare putet: aut Arcades ex toto humano genere ſolos rem ante omnem hominum memoriam factam, a maioribus traditam accipere, aut eos rationes aſtronomicas iſta omnium rerum rudi aetate ſatis ſubtiliter inſtituere potuiſſe, vt Lunam non ſemper in Terrae ſatellitio fuiſſe ſuſpicarentur.

Interea tamen quaeri poteſt, cum interpretationem illam nimium ſubtilem non admittamus, quamnam aliam rationem ſenſumque eſſe ſtatuamus narrationis iſtius de Arcadibus: ſitne exploratum ſatis, tam ſtulte de ſe exiſtimaſſe illum populum, vt originem ſuam Lunam anteceſſiſſe putaret, an alia probabilis ratio afferri poſſit, qua dictum illud expediatur. Ad quod, ſi quis ita quaerat, primo ſic reſpondebimus, vt moneamus, non tam id agi vt fabula illa explicetur; poteſt enim, vt tot aliarum rerum ex antiquitate, vera ratio ac verus ſenſus iam dudum ita obliteratus eſſe, vt fruſtra nunc in eum inquiratur; quaeri tantum hoc, vt doceatur, inanem eſſe iſtam interpretationem, quam viri docti fundum nouae rei faciunt, cum tamen illa omni antiquitatis naturae et genio repugnet omnique fide ac probabilitate deſtituta ſit. Poteſt tamen praeterea doceri, primo fabulam de Arcadibus ante lunam natis tam parum diſerte et explicite traditam ad nos perueniſſe, vt nihil tuto de ea pronuntiari poſſit; etſi, quod ſana interpretatio facere iubet, ad veterum hominum ſenſum et ſermonem exigas; tum vero tam diuerſis modis iam veteres, qui iſtis

aetatibus

aetatibus propiores fuere, mythum priſcum interpretatione tentaſſe, vt de certa aliqua interpretatione vel ex auctoritate petenda prorſus ſit deſperandum. Faciamus itaque periculum expediendae huius fabulae tam diuerſis modis et traditae et interpretatae. Qua in re tenebimus inſtitutum, quod vtinam ſequantur omnes, qui ſimilem diſputationem ſuſcipiunt, vt primo loco diſpiciamus, quidnam dictum ſit, a quo et quibus verbis, antequam ad noſtrum ſenſum de verborum ſententiis et cauſſis iudicemus et argumentemur.

Qui primus Arcades *προσελήνους* appellauerat, fuiſſe traditur *Hippys Rheginus f*). Scriptorem hunc non ignobilem Darii et Xerxis tempore vixiſſe ſatis conſtat; praeter rerum Sicularum libros, et vrbium origines, etiam aſtrologica condiderat *g*). Verum cum memoratum non ſit, quo ſenſu, qua de cauſſa Arcades eo nomine impertierit, nec factum aliquod adiectum ſit, quod iudicium noſtrum regere poſſit: intelligitur iam ab initio, fluctuare illud nec certo facile gradu firmari poſſe. Aliorum auctorum veterum hac de re nomina ſeruauerunt Gramma-

f) Steph. Byz. in Ἀρκάς. Ἵππυς δὲ ὁ Ῥηγῖνος λέγεται πρῶτος καλέσαι προσελήνους τοὺς Ἀρκάδας. Ergo Stephanus, e quo idem repetit Euſtath. ad Il. β, p. 200. ipſe Hippyn non inſpexerat, ſed traditum ſic ab aliis acceperat. Idem Hippys Aegyptios eſſe vetuſtiſſimos hominum narrauerat, vt ex ſchol. Apollonii diſcimus lib. IV, 262.

g) v. Voſſ. de Hiſt. Gr. IV, 3.

Grammatici ad Apollonium Rhodium *h*): ſunt ii *Eudoxus*, qui Platonis auditor fuit, aſtronomus inſignis, ἐν τῇ περιόδῳ: fuit enim eius doctum opus γῆς περίοδος, multis interſperſis, quae gentium hiſtorias, opiniones et inſtituta illuſtrarent: cuiusmodi tamen hoc fuerit, quod de Arcadibus dixerat, non conſtat; etſi ex ſcriptoris ſtudiis et rationibus libelliqne argumento probabile ſit, eum traduxiſſe fabuloſam rem ad aſtronomiae prima rudimenta. Porro *Theodorus lunam comparuiſſe paullo ante pugnam Herculis cum Gigantibus factam* narrauerat *i*). Obſcura haec, quoniam veteres Arcadum mythos ignoramus. Videtur tamen hoc ad antiquiſſimum illum Herculem ſpectare, cuius in coſmogoniis mentio ſit,

h) Schol. Apollon. Rh. IV, 264. quod ſcholium repetitum a Grammaticis ad Ariſtoph. Nub. 397. vnde etiam apparet vetuſtiſſimum illud eſſe et a Lucillo Tarrhaeo, Sophocleo et Theone profectum. Comparauit iam vtrumque locum Rutgerſ. Var. Lect. IV, 18.

i) Apud Schol. Apollon. l. c. Θεόδωρος δὲ ἐν εἰκοστῷ ἐννάτῳ, ὀλίγῳ πρότερον φησὶ τοῦ πρὸς τοὺς Γίγαντας πολέμου Ἡρακλέους τὴν Σελήνην φανῆναι. Num ſub lunae ortum pugnam factam, an tum primum natam lunam dixerit, ex excerpto hoc non conſtat. Nec magis conſtat, quis e tot aliis hoc nomine inſignibus Theodorus ille fuerit, cuius opus ad XXIX libros excreuerat; Samothracem eum fuiſſe, ex Hephaeſt. Ptolem. lib. VII. (ap. Phot. cod. 190.) colligunt viri docti. Ceterum ſcholion hoc Apollonii ſatis memorabile paullo accuratius conſtituere licet e cod. Reg. Par. MSt. 2727. vnde deſcriptum illud in manibus habemus: τὸ δὲ τοὺς Ἀρκάδας ἀρχαίους εἶναι δηλοῦται μάλιστα ἐκ τοῦ προσελήνους αὐτοὺς λέγεσθαι. Εὔδοξός τε ἐν περιόδῳ οὕτω φησί. καὶ Θεόδωρος ἐν κβ΄, (ſic et in Schol. Ariſtoph.) λέγων ὀλίγῳ πρότερον πρὸ τοῦ τὸν Ἡρακλέα πολεμῆσαι τοῖς Γίγασι τὴν σελήνην φανῆναι.

ſit, cuiusque partes in pugna deorum cum Gigantibus fuiſſe praedicantur praecipuae (Apollodor. I, 6, 1 ſqq.); ſiue ad motus tumultusque ſubterraneos terraeque viciſſitudines pugna illa cum Gigantibus, ſiue ad elementorum inter ſe in ipſo terrae ortu pugnam referenda eſt. Quidquid eſt, pugnam illam in Arcadia factam videtur tradidiſſe ſcriptor hic, adeoque hinc illuſtrari poteſt, quod Arcadiam etiam Gigantidem appellatam narrat Stephanus, Eadem porro cum Theodoro tradiderat *Ariſto* Chius *k*) et *Dionyſius* Chalcidenſis *l*), qui etiam populum Arcadiae *Selenitas* ediderat: id quod ad tentatam a ſcriptore hoc interpretationem veteris fabulae referendum eſt. His additur *Mnaſeas*, Patrenſis

k) Ariſton Chius, Zenonis Citienſis diſcipulus: quem adeo inter ſcriptores fuiſſe, qui de vrbium ſitu tradiderant, hinc conſtat: Ἀρίστων ὁ Χῖος ἐν ταῖς Θέσεσι. Perperam enim ἐν ταῖς κτίσεσι hoc mutat Rutgerſ. l. c. quem ſequuntur Menag. ad Diog. VIII. 163 et Jonſ. de Hiſt. philoſ. ſcript I, 12. p. 66. Etſi plures fuere auctores, qui κτίσεις ſcripſerunt. Verum nec minus Θέσις, ſitus ac poſitus vrbium, ad geographicas rationes ſpectat. Non dicemus, an ἀποικία Ἀθηναίων, quae inter Ariſtonis ſcripta fuit, pro particula iſtius operis habenda ſit apud Plutarch. de Iſ. et Oſir. p. 365. E. Opp. Apud Schol. Ariſtoph. l. c. eſt Ἀριστίας ὁ Χῖος.

l) Dionyſius Chalcidenſis, incertum quando vixerit, inter antiquiores tamen habendus, quandoquidem Dionyſius Halic. eius auctoritate vtitur in loco de vrbis Romae originibus lib. I. c. 72. De Arcadibus egerat ἐν πρώτῳ κτίσεως. Ita appellari poteſt opus quod condiderat, κτίσεις, libris V. de vrbium originibus, de quo cf. Voſſ. de Hiſt. Gr. lib. III. p. 171. In Schol. Apollon. ἐν ά κτίσεων legere praeſtat, quod etiam MS. Regius exhibet.

Digitized by Google

trenſis ille, Ptolemaeo Phyſconi aequalis, cuius praeter alia fuere Εὐρωπιακὰ, ſiue τὰ περὶ Εὐρώπης, quae ſi ex innumeris illis, iisque praeſtantiſſimis, ſcriptoribus veteris Graeciae adhuc ſupereſſent vna cum eius libro de Aſia, multa ſine dubio in vetere hiſtoria nunc accuratius conſtitui poſſent. Narraverat ille *inter reges Arcadum Proſelenum fuiſſe:* quae noua ratio eſt fabulae interpretandae *m*). Praeter illos *Ariſtoteles* in iis libellis, quibus rerum publicarum deſcriptiones expoſuerat, et quidem in capite de republica Tegeatarum, narrauerat, *barbaros ab initio Arcadiam tenuiſſe, eosque eiectos eſſe ab Arcadibus antequam Luna oriretur; itaque eos appellatos eſſe proſelenos n*). Etiam hoc ita ab Ariſtotele narratum, vt rationem nominis reddere voluerit: quaſi a pugna aliqua ante Lunae ortum facta illud iis impoſitum ſit.

Vidimus

m) Schol. Apollon. l. c. *Μνασέας δέ φησι πρὸ σελήνης Ἀρκάδας βασιλεῦσαι* quae corrupta eſſe facile intelligitur. (Monuit quoque Valk. ad Ammon. p. 168.) Apud ſchol. Ariſtoph. l. c. haec ſunt verba: *Μνασέας δέ φησι Προσέληνον Ἀρκάδων βασιλεῦσαι.* et ſic haud dubie legere praeſtat, quam cum Cod. Regio: *Μνασέας δὲ προσελήνους αὐτοὺς καλεῖσθαι.* Quod autem locum illum de Arcadibus ad opus de Europa referendum cenſemus, inde ductum eſt, quod Fulgentius Mythol. lib. II, 19. (quem locum repetitum videas in Germanici Caeſaris Scholiaſte ad Prognoſt. p. 143.) poſtquam de Endymione narrauerat, ſubiicit; *ſicut Mnaſeas in primo libro de Europa ſcribens tradidit.* In eodem libro locoque de Pleiadibus et Hyadibus egerat Mnaſeas, teſte Hygino in Aſtron. II, 21. vt adeo Muſaei nomen ab eo loco alienum eſſe recte ſtatuant Intpp. et cum iis Burrmann. Sec. ad Valeſ. emendat. V, 17.

n) Schol. Apollon. l. c. et ad Ariſtoph. Nub. l. c.

Digitized by Google

Vidimus adhuc auctores potiores, qui ea de re tradiderant, (nam ſeriorum ſcriptorum vel poëtarum loca, qui ornarunt fabulam, in cenſum hic non veniunt) plerique cum interpretatione aliqua adiecta. Cum primos illos antiquiores auctores non habeamus, nec quid illi tradiderint, ſatis accurate teneamus: de vero fabulae ſenſu vix vnquam ſatis tuto aliquid pronuntiari poſſe manifeſtum ſit. Si tamen iudicium ex indole veterum mythorum ſimilique aliarum fabularum ortu ferendum eſt, tota haec de origine Arcadum ante Lunam narratio ducta eſt a nomine *Proſelenorum*, quod in vetere aliquo carmine vel ſcriptore occurrebat, et cuius adeo vis et ratio ex eo ſolo conſtituenda erat. Nunc cum auctoritatem illam non habeamus neque adeo veritatem ipſam tenere queamus, ad coniectationes deſcendere licet; videndum modo eſt, vt antiquitatis genio illae ſatis conſentaneae ſint. Iam autem et olim multae diuinationes in medium allatae ſunt, et nunc aliae afferri poſſunt: de quibus videamus ſigillatim quid ſtatuendum ſit.

Omnino autem Proſelenorum nomen impoſitum Arcadibus videri poteſt *aut*, quod ante Lunae cultum, remue aliquam de Luna mythice traditam, Arcadum gentem extitiſſe norant homines, *aut* quod Lunae deſcriptionem et obſeruationem ſerioribus demum aetatibus inter eos receptam viguiſſe conſtabat. Habet vtraque opinio quo ſe tueatur, poſterior etiam exemplum et auctoritatem veterum ſcriptorum.

 Fuiſſe

Fuiſſe *Lunae* cum Pane inter Arcades *cultum praecipuum*, conſenſu plurium ſcriptorum traditur. Antiquitatem religionis hinc colligas, quod in antro ſacra iis facta *o*) ſunt; et ſymbolicae rationis aliquid ineſſe, non inficiabitur, qui Panem rerum naturam referre cogitet, vnde et Panem adamaſſe Lunam fabulati ſunt *p*). Potuit ea Lunae religio recipi ab Arcadibus, cum iam per aetates aliquot vixiſſent homines in Arcadia; qui προσέληνοι appellari poterant, cultu ac religione Lunae nondum recepta. Potuit etiam fabula de Endymione a Luna adamato, cum ea de curru deſcendiſſet et cum adoleſcente vixiſſet, opportunitatem dare poëtis, vt tempora antiquiora ex eo definirent, vt ea Lunae in Arcadia degentis aetatem anteceſſiſſe dicerent. Eiusmodi quid obſeruare ſibi videbitur aliquis in Heſychio *q*).

Sed vt *ad obſeruationem Lunae inſtitutam ab Arcadibus* referre iſtud nomen placeat, plura mouere poſſunt: primo quidem loco, quod antiquitus rei aſtronomicae rudimenta inter eos viguiſſe aliqua conſtat, vt vel vrſa maior ab iis conſtituta declarare

rare

o) Porphyr. A. N. f. 20. Egregius ac diſertus de hoc Antro locus eſt in Quinto Calabro lib. X, 126 ſqq. cf. Schol. Apollonii IV, 56.

p) Virg. Ge. III, 392. Philoſophema aliquod phyſicum ſub hac fabula latere forte potuit, etſi incertum, quale illud fuerit. Nolim enim praeſtare commenta Baconis de Augm. Scient. lib. II, c. 13.

q) Heſych. προσεληνίδες, αἱ Ἀρκαδικαὶ Νῦμφαι. cf. infr. dicenda; inpr. e Fulgentio.

rare poteſt, tum quod veteri ſermoni vſuique ea forma loquendi accommodata; tandem nec deſunt veterum ſcriptorum loca, qui eandem interpretationem fabulae prodidere. Moleſtiam tamen in his facit hoc, quod difficile eſt peruenire ad aliquid, in quo tuto acquieſcere poſſis.

Omnino Arcades gentis vetuſtate celebratos eſſe vulgata res eſt, neque ea a vero aliena *r*), quandoquidem illi Pelaſgicae ſtirpis erant, diuque ante Deucalionem loca illa inſedere *s*), eaque ſerius quoque tenuere, cum iam a multo inde tempore Hellenes ceteras Graeciae partes inſediſſent. In hac illi vetuſtate acceperant a maioribus, fuiſſe vitae cultum victumque mitiorem ſerius receptum, magnamque priorum aetatum partem ferino more fuiſſe exactam, et veſci ſolitos primos Arcades glandibus ſpecubusque habitaſſe *t*). Cum mitioris

r) *Δοκεῖ δὲ παλαιότατα ἔθνη εἶναι τὰ Ἀρκαδικὰ, τῶν Ἑλλήνων* etc. Strabo VIII. p. 595. A.

s) Οὔτε Πελασγὶς χθὼν τότε κυδαλίμοισιν ἀνάσσετο Δευκαλίδῃσιν Apollon. IV, 264. 5. *Pelasgiam* quoque appellatam olim (h. e. eo epitheto ſeu nomine a poëtis deſignatam.) obſeruat Stephanus Byz. in Αρκας, ex Nicolao. Damaſceno puta. Plin IV. ſ. 10. Arcadia *initio Drymodes, mox Pelasgis appellata.* Male hoc more, paſſim etiam in aliis, poëtarum epitheta pro nominibus antiquioribus venditari ſolent.

t) Loca veterum in re nota adſcribere opus non eſt; nihil notius *βαλανηφαγία* veteris Graeciae, inprimisque Arcadum. Praeclari Ovidii verſus Faſt. II, 291 ſqq. *Vita ferae ſimilis, nullos agitata per vſus. Artis adhuc expers et rude vulgus erat. Pro domibus frondes norant etc.* Hinc Arcades quercubus natos vetus ſermo prodebat: quod ornarunt poëtae, v. c. Statius Theb. IV. 175 ſqq. *Arcades — veteres aſtris Lunaque priores — nemorum vos ſtirpe rigenti Fama ſatos etc.*

ris vitae initiis, vti apud alios populos, ſic inter Arcades ſiderum caelique aliquam notionem, ſine qua nec arari nec ſeri poterat, a melioris vitae auctoribus monſtratam eſſe, ex iis intelligitur, quae modo commemoraturi ſumus. Iam originum ſuarum veterisque hiſtoriae memoriam, annalibus quoque comprehenſam, habuere Arcades *u*); habuere iidem carmina ſua; neque adeo mirum eſt fabulas ex vetere aeuo Arcadum plures ad ceteros quoque Graecos exiiſſe et hinc in communem poëtarum ſermonem abiiſſe. Cum igitur in annalibus his tempora ſecernerentur humanitatis vitae a feritate: ſiderum ſcientiae reſpectu declarari illud tempus potuit per vocabulum, quo ante Lunae

u) Rerum Arcadicarum ſcriptores fuere cum alii, tum Ariaethus vel Ariethus a Dionyſ. Halic commemoratus lib I, c. 49. et ap. Hygyn. Aſtron. lib. II, 1. ſ. et 6. Inter Arcades poëtas Agathyllus fuit, cuius elegos aliquot Dionyſ. recitat. l. c. Cum ſcriptoribus his, annales ſuae gentis condituris, ex priſcis mythis eruere origines Arcadiae neceſſe eſſet: fabulae iis veteres de Calliſto, et Lycaone patre, de Pane, Mercurio, Endymione repetendae fuere. Translatae hinc eaedem et cum Arcadum hiſtoria transſcriptae ab iis, qui totius Graeciae hiſtorias conderent, ſeu veterum mythorum complexum vno volumine meditarentur. Breuiter hinc potiora capita excerpſiſſe videri debet Pauſan. Arcadic. pr. capp. Inſeruerat Arcadum origines hiſtoriis ſuis Ephorus, etſi opus illud ab Heraclidarum reditu orſus erat. Commemorat ex eo Plinius VII, 49. *Arcadum reges CCC annis vixiſſe*, quod ita accipiendum: in regum veteris Arcadiae recenſu reges adſcriptos fuiſſe, quorum vita ad CCC annos producta diceretur; quod Cenſorinus paullo diſertius de Die Natali c. 17. — *vt Ephorus, qui tradit, Arcadas dicere, apud ſe reges antiquos aliquot ad trecentos vixiſſe annos.*

Digitized by Google

nae contemplationem, et, vt in maius res miraculum augeretur, ante Lunam ea gens fuiſſe pronuntiaretur; vt forte poëta aliquis primus auſus ſit Arcades, cum ſummam vetuſtatem gentis declarare vellet, *προσελήνους* dicere: quod vocabulum, propter felicem ingenii audaciam, arripuere mox alii, eoque omnino vſi ſunt, quoties Arcadum *x*) origines vetuſtiſſimas deſignare vellent. Abiit tandem illud in communem vſum, ita quidem, vt etiam narrarentur Arcades hoc ita de ſe credidiſſe, ſe ante Lunam fuiſſe natos *xx*); alii interpretationem fabulae circumſpexere, quam variis modis tentatam iam ſupra vidimus *y*). Nec defuere tamen qui et ipſi

x) Inprimis Apollon. IV, 264. vbi de ſacerdotibus Thebarum Aegypti antiquiſſimis, ea aetate, qua nondum omnia ſidera in conſpectum prodierant (h. e. *ex hac hypotheſi*, notatione ſapientum comprehenſa erant), nondum Danai erant, ſoli Arcades, Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται Ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν. Male aemulatus eſt locum Nonnus Dionyſ. XLI, p. 1056. in Beroës laudibus.

xx) Verſa adeo res in ludibrium, vt qui Arcades ſtuporis incuſare vellent, hoc ipſo vterentur nomine, vt eos tanquam ſenio confectos, delirare vulgo dicerent. Etiam contumelioſum hinc nomen natum *βεκκεσέληνος* apud Ariſtoph. Nub. 397. vbi v. Schol. quem exſcripſit Svidas. De *βέκκος* conſtat ex Herod. II, 2.

y) Aliorum, inprimis ſeriorum Grammaticorum, argutias recoquere nihil attinet. Vna tamen eſt omnium lepidiſſima apud Schol. Aeſchyli Prometh. 435. ad vexatiſſimum locum: *ὁρῶν ἐμαυτὸν ὧδε προσελούμενον*, in quo adeo laborant viri docti emendando, cum ſimpliciſſimum erat dicere, *προσελεῖν* (ductum ab *εἰλέω*, *ἐλέω*) eſſe vetus vocabulum, quod notionem *τοῦ προπηλακίζειν, ὑβρίζειν* habet, et apud Ariſtoph. Ran. 742. occurrit,

ipſi in hoc inciderent, vt a Lunae contemplatione fabulae cauſſas repeterent, et inter hos quidem primo loco Mnaſeam ſupra laudatum referendum eſſe ſuſpicamur *z*).

Habuiſſe autem ſiderum ſcientiam aliquid, quod Arcadibus illa deberet, ex certorum inprimis ſiderum nominibus apparet, quae a domeſticis Arcadum fabulis ducta ſunt. Fuit enim hoc ſollenne, vt ſerioribus aſtronomis, ita priſcis ſapien-

occurrit, nec aliter explicatur ab Heſychio. Scholiaſtes igitur Aeſchyli: *ὅθεν καὶ*, inquit, *οἱ Ἀρκάδες πρόσελοι ἢ προσέληνοι.* Quaſi vox aliqua rite ſic formari poſſet, et cur Arcades *ὑβρισταὶ* dicti? Repetit haec nec plura expedit Etymol. M. et Tzetza in Chiliad. IV, 813. *ἄλλοι δ' ὡς ὄντας ὑβριστὰς, καλοῦσι προσελήνους*; idemque in Schol. Lycophr. ad v. 482. vbi et alia interpretatio adiecta, ante lunae cum ſole congreſſum ſolitos Arcades glandibus veſci. De religioſo ritu ille loqui voluit? *ἐτρέφοντο γὰρ πρὸ συνόδου τῆς σελήνης πυρὶ ὀπτῶντες τοὺς βαλάνους.* cf. alter loc. in Chiliad. Acutius coniectauit Scaliger de Emend. tempp. Proleg. ideo dictos Arcades *προσελήνους*, quod ante nouam et plenam lunam res ſuas exequerentur. Ad multo abſurdius commentum detorſit fabulam de Endymione Malalas Chronograph. p. 73.

z) Schol. Apollonii l. c. vt quidem locus ille ex Codice Regio Pariſ., collato Scholiaſta Ariſtoph. l. c. reſtituendus eſt: *ἔνιοι δέ φασιν Ἐνδυμίωνα εὑρηκέναι τὰς περιόδους καὶ τοὺς ἀριθμοὺς τῆς σελήνης. διὰ δὲ τὸ Ἀρκάδα εἶναι, προσαγορευθῆναι ὑπ'* (f. *ἀπ'*) *αὐτοῦ προσελήνους τοὺς Ἀρκάδας. οἱ δὲ ὑπὸ Τυφῶνος φασὶν εὑρεθῆναι.* (hoc alibi lectum non memini) *Ξεναγόρας δὲ* (vetus ſcriptor, iam Dionyſio Halic. laudatus, cuius nobile opus fuit, *χρόνοι*, ſeu Chronica inſcriptum) *ὑπὸ Ἄτλαντος. Δοῦρις δὲ ἐν πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ τῶν Μακεδονικῶν Ἀρκάδα φησὶν, ἀφ' οὗ ἡ Ἀρκαδία καλεῖται, Ὀρχομενοῦ υἱόν, διὸ καὶ Ὀρχομενὸν εἶναι πόλιν* (ap. Schol. Ariſtoph. *ποταμὸν*) *ἐν Ἀρκαδίᾳ.*

Digitized by Google

pientibus, vt nomina ac formas ſiderum, quae primi obſeruarant aut ab aliis obſeruata didicerant, ex priſcis ſuae gentis fabulis impertirent. Itaque ſidus omnium, quae vetuſtas narrat, nobiliſſimum, Vrſa maior a Lycaonis filia, Calliſto, notationem accepit cum filio, qui Arctophylax eſt dictus. Ceſſitque tandem in haec nomina omnis Graecia, cum antea idem Vrſae ſidus Plauſtri nomine veniret bubus iuncti, Boote appoſito. Cynoſura quoque in minorem Vrſam abiit.

Obſeruationem ſiderum per Lunae amorem in Endymione declaratam eſſe vetere ſermone †), non adeo abſonum eſt, ſiue vt inter cetera ſidera eius motus vicesque inprimis eſſent obſeruatae, ſiue vt ad noctis ſilentia ea res ſpectaret, inter quae caelo contemplando vacant ii, qui *Vicinam ex alto mundi cognoſcere molem Intendunt, totumque animo comprendere coelum.* Inuentus autem et deſcriptus Lunae curſus, conſtitutique menſes et duodenis menſibus anni, res videri debuit ſatis memorabilis; etſi de auctore rei fama fuit incerta: cum alii ad Endymionem, alii ad Atlantem illud referrent. Conſtat autem Arcades ab initio nec anni nec menſium deſcriptionem habuiſſe, ſed ex viciſſitudine anni et tempe-

†) Fabula hac de Endymione, quam alii ad venandi ſtudium traxerunt, nihil vulgatius. Plin. II, 9. *quae ſingula in ea* (Luna) *deprehendit hominum primus Endymion; et ob id amore eius captus fama traditur.* cf. Schol. Apollonii IV, 57. 58. Fuere memorati a priſcis poetis montes *aſeleni*, ab aliis ad Trachinem, ab aliis ad Aetoliam retracti: quorum nomen ad Endymionis congreſſum cum Luna reuocauerat Nicander: v. Etymol. M. in ἀσέληνα.

tempeſtatum tempora metiri conſueuiſſe: itaque annos trimeſtres vel quadrimeſtres habuiſſe dicti ſunt, donec accuratius ipſis ad lunares rationes conſtitutus eſt annus. *Nam annum*, Plinius ait lib. VII, §. 49. *alii aeſtate vnum determinabant, et alterum hieme, alii quadripartitis temporibus, ſicut Arcades, quorum anni trimeſtres fuere.* Alios, qui idem memorarunt, excitat Lindenbrog. ad Cenſorin. de Die Natali c. 19. qui locus hac in re eſt claſſicus: *Item in Achaia Arcades trimeſtrem annum primo habuiſſe dicuntur, et ob id προσέληνοι appellati, non vt quidam putant, quod ante ſint nati, quam Lunae aſtrum coelo eſſet: ſed quod prius habuerint annum quam is in Graecia ad Lunae curſum conſtitueretur.* Opinionem hanc recoquit et ſuo more exornat Tzetzes Chil. IV, 811 ſqq. et Chil. II, 876 ſqq. Vt autem ei veterem Mnaſeae auctoritatem fuiſſe arbitreris, mouere poteſt Fulgentii locus Mythol. II, 19. *Endymionem vero paſtorem amaſſe dicitur (Luna) duplo ſcilicet modo: ſeu quod primus hominum Endymion curſum inuenerit: vnde et XXX annos dormiſſe dicitur, qui nihil aliud in vita ſua, niſi huic repertioni ſtuduit; ſicut Mnaſeas in primo libro de Europa ſcribens tradidit.* Quem totum locum exſcripſit aut exſcribendum praebuit, non enim vacat nunc in eam rem inquirere, Schol. Germanici p. 143. *a)*

Nec vero illud alienum eſſe a veteris ſermonis indole putandum, quod tempora ante Lunae vices et rationes repertas elapſa eo modo declararunt, vt ante

a) De hoc Scholiaſte cf. Saxium V. C. in Onomaſt. litt. Vol. I. p. 204. De ceteris v. not. *z*)

ante Lunam illa fuiſſe dicerent. Multa alia paſſim notari poſſunt eius formae ſimilia: ita Aegyptiorum ſummam antiquitatem Apollonius, vetuſtiorum haud dubie poetarum exemplo, ita deſignat verbis, vt eos *ante vixiſſe* dicat, *quam ſidera omnia in conſpectum prodirent;* reſpectu forte ſimul ad id habito, quod ſiderum notationes eos primos inueniſſe putarunt nonnulli *b*). Quod ſi itaque vel maxime nomen hoc Arcadum, quo ante Lunam nati dicuntur, ad obſeruatum eius curſum conſtitutamque hinc temporis rationem aliquam interpretatione referre velimus: ſimpliciora multo inuenta iis aſſignanda occurrunt, quam aliquid tam exquiſitae, nec niſi e recentiore diſciplina petitae, doctrinae, quod ſagaciſſimus vir volebat, vt Arcades cognitum habuiſſe diceret hoc: fuiſſe tempus, quo Luna nondum in ſatellitium Terrae adducta eſſet; ſeriusque hoc eueniſſe, vt Luna in Terrae miniſterium et famulitium adigeretur: in quod rudes et indoctos Arcades incidiſſe, omni prodigio prodigioſius habendum eſſet. Atque haec quidem hactenus. Vos autem, Ciues amantiſſimi, hac tanquam promulſide ac guſtatione inuitati

b) Apollon. IV, 261. Οὔπω τείρεα πάντα, τά τ' οὐρανῷ εἱλίσσονται etc. Vbi Schol. γεγονέναι δὲ αὐτοὺς φησιν ὁ Ἀπολλώνιος πρὸ τοῦ πάντα τὰ ἄστρα φανῆναι, καθὸ τήν τε φύσιν κατανοῆσαι αὐτῶν δοκοῦσι καὶ τὰ ὀνόματα θεῖναι etc. Etiam ante Jovem Arcadas vixiſſe dixit Ovid. Faſt. II, 289. Qua de re comparandus Callimach. in Jov. 10 ſqq. Nonnus lib. XLI, vbi Beroes (Syriae vrbs erat) antiquitatem inani orationis tumore celebrat, non ante Lunam, et Arcadiam, ſed ante Solem fuiſſe habitatam.

inuitati ad ipſas epulas accedite frequentes, quarum cauſſa illa appoſita eſt.

P. P. II. Jul. cIↄ Iↄ CCLXXV.

* * *

Fateor ingenue me mihi nunc diſplicere in tota huius mythi Arcadum tractatione. Debebam enim diſertius et accuratius ſingulas veterum et recentiorum interpretationes annumerare, breui cuique iudicio adſcripto aut ſubiecto; tum ſub finem iudicium meum qualecunque apponere; in quo id ſequi debebam, quod cum antiquorum mythorum natura et indole erat coniunctiſſimum. Nunc autem rem ita expoſui, vt circumſpicerem ſtatim ab initio quotquot eſſent rationes interpretandi mythi probabiles, ſubiiceremque vnicuique expoſitae auctoritatem antiquam, ſi qua occurrebat. Atqui ſimplicior ratio ac via erat, vt non, quid poſſit fieri, ſed quid factum ſit, deinceps enarrarem: fuiſſe adeo qui mythum ad antiquitatem religionis, qua Luna apud Arcades celebrata eſt, referrent; alios qui ad obſeruationem Lunae, eiusque curſus, et rationis temporum inde conſtituendae, antiquitus inter Arcades factam haec referrent, adeoque tempora antiquiora ita deſcriberent, vt ante Lunam ea decurriſſe dicerent.

Non bene procliuis fui in eam opinionem, vt Arcades προσελήνους dici potuiſſe putarem ex eo, quod ab iis aliquando Lunae curſus erat obſeruatus et ad certam rationem deſcriptus. Probabilius enim

enim eſt, hoc eſſe ſerioris commenti. Memor eſſe debebam, mythum omnino redolere tantam vetuſtatem, vt in eius cauſſam et originem prorſus non conueniat tam ſubtilis interpretatio; ſi Arcades aut dicti ſunt aut ipſi dixere ſe ante Lunam fuiſſe, hoc idem fuit ac ſi dicerent, ſe tanta antiquitate fuiſſe, vt ante Lunam iam Arcadia a ſuis maioribus habitaretur; ſiue vt Lunam deam apud ſe natam dicerent, ſiue vt Lunam in caelo poſt Solem demum aut alia ſidera ſucceſſiſſe in locum ſuum crederent.

Quod ſi porro redeundum eſt ad vetuſtiores ſcriptores, etſi non conſtat quo ſenſu Hippys Rheginus, qui primus id prodidiſſe traditur, Arcades προσελήνους ediderit: tamen id ipſum, quod ille Aegyptiis maiorem vetuſtatem tribuerat, probabile fit, ſimili modo de Arcadibus eum pronuntiaſſe. Atque etiam ceteri, quos laudauimus e Schol. Apollonii, ad antiquitatem Arcadum ſummam hoc retulere. Fuiſſe ergo neceſſe eſt antiquum aliquem rudium hominum mythum, qui Arcades extitiſſe ferret, cum nondum luna eſſet; quemadmodum iidem dici potuere fuiſſe ante ſidera, vrſam ſaltem, in quam Calliſto fuit mutata, et ante Arctophylacem. Forte eodem modo mythum tradiderant, quo luna narrabatur ſerius caelum tenuiſſe. Videri poſſet hoc ad pugnam Herculis cum Gigantibus ſpectaſſe, ſub quod tempus a Theodoro traditum, *lunam comparuiſſe;* habuiſſeque adeo locum in aliqua Heraclea, in qua tribuebant Herculi Thebano ea, quae ad antiquiorem Herculem ſpectabant, qui in Coſmogonia

gonia erat celebratus, cum etiam in pugna cum Gigantibus inter deos pugnaret. Forte tamen haec in Scholiis illis e Theodoro narrata fabula obiter tantum interpoſita eſt, neque ad Arcades ſpectat. Lucem aliquam affert, quod in Apollodoro eſt, de Gigantum pugna: cum Hercules ad pugnam a diis arceſſitus eſſet, quia fatale erat, vt non niſi a mortali exſcinderentur Gigantes, Terram matrem quaeſiuiſſe herbam, qua a morte illi tuti et immunes eſſent; eam vero Jupiter ipſe reſecuit inducta mundo nocte, *vetans Auroram, Solem et Lunam, lucere* *). Recte adeo narratum videri poteſt, lunam paullo *ante pugnam iterum emerſiſſe.*

Vel ſic tamen rudem ac pinguem mythum ſubtiliorem hanc interpretationem non admittere, colligo quoque ex Apollonii loco IV, 261 ſqq. vbi ait Aegyptum fuiſſe habitatam ante omnes alias terras; quae ita effert: *Nondum omnia aſtra in caelo voluebantur*, necdum Danai erant, nec Deucalionis ſtirps; ſoli Arcades erant, *Arcades*, inquit, *qui narrantur ante lunam vixiſſe in montibus glandium victu* **), cum iam clarum nomen eſſet Aegypti. Eodem nos ducit Lycophron, qui cum Apollonio veterum fabularum fuit doctiſſimus; namque et is *Arcades* appellat *ante lunam quernas glandes ſub cinere per hiemem*

*) Lib. I, 6, 1. Ζεὺς δὲ ἀπειπὼν φαίνειν Ἠοῖ τε καὶ Σελήνῃ καὶ Ἡλίῳ, τὸ μὲν φάρμακον αὐτὸς ἔταμε φθάσας.

**) οὔπω τείρεα πάντα τάτ' οὐρανῷ εἱλίσσονται (malim εἱλίσσοντο, ne cum ſeqq. iungatur.) Οἶοι δ' ἔσαν Ἀρκάδες Ἀπιδανῆες. Ἀρκάδες, οἳ καὶ πρόσθε σεληναίης ὑδέονται ζώειν φηγὸν ἔδοντες ἐν οὔρεσιν.

mem torrentes *), vt antiquitatem gentis eo modo declararet; ad quam adeo grammaticos doctiſſimos fabulam retuliſſe, dubitari nequit.

Manet itaque hoc, tam rudem et indoctum mythum inter Arcades obtinuiſſe, vt haberent memoriam rerum, quae narratae eſſent contigiſſe apud ſe, antequam Luna in caelo luxiſſet; multumque adeo rem abeſſe ab ea ſubtilitate, quam viri docti cum olim intulere, tum multo magis noſtra aetate, cum voluere adeo Arcadibus aſſerere inuenta aſtronomiae noſtrae, adeoque infantibus tribuere prudentiam adultae aetatis. Adeo virorum doctorum acumen et iudicium obtudiſſe videri debent cum optimi viri *Anton. Court de Gebelin* ſomnia, tum ingenioſi viri, *Io. Silv. Bailly*, de notionibus et doctrinis generis humani ex antiquiore aliquo genere humano ſuperſtitibus commenta.

*) Lycophr. 482. 3. *τῶν πρόσθε μήνης Φηγίνων πύρνων ὀχὴν Σποδῷ κατ' ἄκρον χεῖμα θαλψάντων πυρός.*

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

ERN. GODOFR. BALDINGER D.

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXX.

IN A. D. XVIII. SEPT. cIↃIↃCCLXXVII.

RITE INDICIT.

Recenſentur Numi Familiarum Romanarum, qui in Muſeo academico ſeruantur.

Commentatio prior.

Dulciore vix vnquam laetitiae ſenſu perfundimur, Commilitones, quam quoties anniuerſaria ſacra Vniuerſitatis noſtrae litterariae vobis indicimus: multo magis, quoties in rebus proſperis et ſecundis, incolumitate noſtrorum bonorum, fauſtisque curarum ac ſtudiorum ſucceſſibus, hoc idem facere contingit. Ecce nos iterum in ipſo ſollennium apparatu et tanquam peruigilio conſtitutos, cum craſtino die celebranda ſint ſacra natalitia huius reipublicae, et recolenda animis primordia eius tam bono omine ante XXXX hos annos iacta, vt ad hunc vsque diem

diem laetis ea incrementis effloruerit. Pompa in templum academicum ducta, Deo O. M. gratias aget, earumque cauſſas, recenſu eorum, quae per hunc annum euenerunt, facto, enumerabit, habita *de ſeuerioris diaetae noxis* oratione, Vir Experientiſſimus AVGVSTVS G. RICHTER. Recepit enim has in ſe partes publice verba faciendi ac ſenſus noſtros interpretandi, quandoquidem ille in quatuor Candidatos digniſſimos, *Iuſtum Chriſt. Loder, Car. Wilh. Chr. Müller, Wilh. Io. Conr. Hennemann,* et *Io. Chph. Otto Oſtermann*, viros doctrinae et ingeniorum laude commendatiſſimos, ſummos Ordinis Medicorum honores eſt collaturus. Fidem facere poſſunt hi ipſi viri doctiſſimi profeſſioni noſtrae, curas noſtras, vt veſtra, Commilitones, ingenia ac ſtudia bonis litteris imbuantur, laetis ſucceſſibus non carere. Atque hoc eſt illud, in quo enitendum nobis eſt, vt reſpondeamus voluntati, prouidentiae et munificentiae Regis noſtri Auguſtiſſimi, Muſarum ſerta inter lauros victrices intertexta non aſpernantis, tum tutelae et indulgentiae ſummorum et illuſtriſſimorum virorum, quibus, cum Electoratus huius terris regendis, noſtrae reip. litterariae ſub Auſpiciis Regiis moderandae cura eſt iniuncta. Habemus autem hoc quoque in anno, quae praedicare poſſimus, ſtudia et conſilia tuendae et amplificandae academicae rei, cum alia, tum ea, quibus incrementa et ornamenta bibliothecae noſtrae, et Muſei, Exc. *Büttneri* noſtri olim cura et impenſa adornati, nunc Academici, plurima prouiſa ſunt. Curatum eſt hoc anno, vt loculamenta et armaria parata ſint copiis naturae variorum generum recipiendis ſpe-

cioſa et ampla. Locupletatae ſunt eae copiae inſigni acceſſione apparatus metallorum Schluteriani, largitione Regis noſtri munificentiſſima in Muſeum hoc academicum illati. Inſtruxit illud, bono cum omine, opibus nonnullis aliorum quoque liberalitas, vt nuper Celſiſſimae Principis, Henricae Chriſtianae de Waldeck, exquiſitiſſimas ingenii animique dotes cum naturae et litterarum amore ac ſtudio copulantis. Alia dono miſit Vir clariſſimus de Luc, Geneuenſis, frater ſollertiſſimi arcanorum naturae indagatoris; et iam ſuperiore anno L. B. de Hüpſch, Vir Illuſtr.

Iam cum multorum votis hoc expetitum audiuerimus, resque illud ipſa monere, conſiliumque adornandi eiusmodi Muſei poſtulare videatur, vt copiarum congeſtarum ac ſeruatarum notitia aliqua publice propoſita exſtet: (atque vtinam ſimili inſtituto bibliothecae noſtrae opes deſcribere et publicis vſibus exponere liceret!) ecce ſubnatum nobis eſt conſilium, potiorum rerum, quae in Muſeo hoc academico continentur, recenſum in aliquot commentatiunculis, quas hoc publice praefandi munus certis temporibus exigit, deinceps facere. Et primo quidem loco *numos Romanos* recenſere iuuat, initio a *numis familiarum*, quas vocant, facto, hoc eſt ab iis numis, quos per liberae reip. tempora inde ab V. C. 484, quo primum argentum ſignari coepit, vsque ad exceſſum Auguſti, in vrbe quidem quaeſtores vrbani et III viri A A A. F F F. ſeu monetales *a*), in

a) Raro extra ordinem, nec niſi ex SCto, Aediles curules ac pl. Porro pro IIIviris inſtituit IVviros Caeſar ſub

in prouinciis autem quaeſtores prouinciales, flandos ac procudendos curarunt, et in quibus partim ſollennia quaedam ſymbola reip. Romanae, vel magiſtratus ſui notam, partim res illius anni memorabiles, aut maiorum ſuorum nomina, ortum, honores, res ab iis geſtas vel curatas, memoriae hominum conſecrare conſueuerunt. Quaeſtores prouinciales, etiam ii, qui in bellis ciuilibus apud exercitus erant, vt ſtipendiis ſoluendis pecuniam ſignarent, praeter ſuperiora illa, etiam Procoſſ. ac Legatorum aut Imperatorum ſuorum victorias, res geſtas ac decora in numis ſignarunt. Eſſe eos denarios ex argento monere vix neceſſe eſt, paucis admixtis quinariis, qui loco ſuo a nobis notabuntur. Certas annorum, quibus ſignati dicendi ſint, notas vix edi poſſe putamus, ne in iis quidem numis, quos ad certos magiſtratus aut triumphi annos referre licet; poſſunt enim iidem a nepote aut alio, qui ab eo genus ducebat, ſignati eſſe. Reuocauimus eos, qui in hac penu noſtra ſeruantur, ad ſuas gentes, et, quantum pro noſtro rei numiſmaticae ſtudio et pro otii noſtri modo facere licuit, in ſuos loculos digeſſimus. Cum tamen ſimiles denariorum horum recenſus iam facti ſint ab aliis, ne actum ageremus, in eorum interpretatione copioſi eſſe noluimus. Vt vero ii, qui vberiorem explicationem ſitiunt, habeant

ſub extremum vitae annum; ab Auguſto tamen IIIviri reſtituti. Idem Caeſar ad bellum Hiſpanienſe profecturus Praefectis vrbis Romae ſub Lepido conſtitutis ius ſignandae monetae dederat. Auguſtus IIIviros Caeſaris, et alios IIIviros Senatus conſtituit, relicto Senatui iure aeris ſignandi, auro et argento ſibi ſeruato.

beant quem inſpiciant, vnum ſaltem, eumque idoneum ac claſſicum, auctorem excitabimus, Sigeb. Hauercampum in Theſauro Morelliano; nam Vaillantii, et eorum qui ante ipſum idem curriculum emenſi ſunt, Golzii, Ant. Auguſtini, Vrſini, Patini, opera, iam ipſi illi viro doctiſſimo ante oculos fuit poſita et in auxilium vocata *b*).

ABVRIA. I. Caput Romae galeatum. Ad mentum nota denarii X, a ceruice GEM*inus*. = *c*) Sol, capite radiato, in quadrigis, dextra flagrum, laeua habenas tenens. Subter equorum pedibus; M. ABVRI*us* (tribunus pl. V.C. 561. Praetor 577). Infra appoſitum: ROMA. *Morell.* 1. *d*)

II. Caput Romae galeatum. X. GEM*inus*. = Mars in quadrigis, dextra tropaeum, laeua haſtam cum clipeo tenens. C. ABVR*ius* (Trib. pl. 568.) ROMA. *Morell.* 4.

ACCOLEIA. I. Caput muliebre (forte Clymenes, matris Phaëthontis: reſpectu originis a Padi ripis). P. ACCOLEIVS LARISCOLVS. = tres Phaëthontis ſorores in larices mutatae: ad dextram vltima arcum, a laeua citima lilii florem manu tenere videtur. *Morell.* 1.

ACILIA. I. Caput deae Salutis laureatum. SALVTIS. = Hygiea laeua columellae innixa, dextra ſerpentem

b) [Ab illo inde tempore Eckhel. V. C. in Catalogo Muſei Caeſarei Vindob. Numor. Vet. To. II. alium recenſum edidit.] Dupli qui adſunt numi, in hoc recenſu non commemorantur.

c) Auerſam numi partem hoc ſigno declaramus.

d) Tab. Theſ. Morell. *Familia Aburia*, et ſic porro.

Digitized by Google

ſerpentem tenens. MAN*ius*. ACILIVS III. VIR. VALETV. (aedium Valetudinis et Salutis tuendarum ſeu reficiendarum Triumuir) *Morell.* III.

II. Idem fere, diuerſae tamen fabricae.

AELIA. I. Caput Romae galeatum. X. = Dioſcuri pileati cum ſtellis et haſtati in equis concitatis. P. PAETVS (Coſ. 552.) ROMA. *Morell.* 5.

II. Caput muliebre, forte Dianae ſeu Junonis Monetae. BALA. (f. *Balatro*, cognomen Aeliorum.) ſub mento C. (nota monetarii.) = Diana in bigis ceruorum, vtraque manu faces praeferens. Subter ceruorum pedibus cicada, ſignum officinae monetalis. C. ALLI (*Aelius*) *Morell. VII,* 20. *etſi paullo diuerſus.*

AEMILIA. I. Caput deae Concordiae velatum. PAVLLVS LEPIDVS CONCORDIA. = Aemilius Paullus tropaeum ſtatuens, adſtante Perſeo manibus in tergum reuinctis, cum binis eius filiolis. ſupra TER, (f. tertium triumphauit) et infra PAVLLVS. *Morell. T. I,* 6.

II. Caput Veneris victricis laureatum. X. ROMA. = Statua equeſtris (forte Anci Marci regis) in ponte. MAN*ius* AEMIL*ius*, et inter fornices LEP*idus*, qui quaeſtor V. C. 675. pontem ſublicium ex ligneo lapideum fecit. *Morell. T. I,* 2.

III. Caput Lepidi nudum. LEPID*us*, PONT. MAX. III. VIR. R. P. C. (*reip. conſtituendae*). = Caput Caeſaris Octauiani nudum. CAESAR. IMP. III. VIR. R. P. C. *Morell. T. II,* 1.

IV. v. in *Plautia* 2. (*Morell.* 1.)

Digitized by Google

ANTONIA. I. Nauis praetoria. ANT*onius*. AVG*ur*. III. VIR. R. P. C. = Aquila legionaria inter ſigna cohortium. LEG. II. *Morell. T. VII.*

II. Similis. LEG. IV. III. Item. LEG. VII. IIII. Item. LEG. X. V. Item. LEG. XI. VI. Item. LEG. XII. VII. Item. LEG. XV. VIII. Item. LEG. XIX. IX. Item. LEG. XX.

X. *Quinarius*. Caput Victoriae cum humeris alatis. III. VIR. R. P. C. = Leo gradiens. ANTON*ius*. *Aerae* XL. IMP. (Intellig. aera Lugdunenſis inde ab V. C. 633, cum Gallia Cisalpina provincia Romana, Lugdunum autem municipium factum eſt cura M. Antonii Cretici, qui Triumviri pater erat) *Morell. T. V*, 4. 5.

XI. Caput Jovis laureatum. S. C. (*Senatus Conſulto*) N. (Sigla monetalis) = Victoria in quadrigis citis (adeoque quadrigatus, vt vulgo appellabant hos numos denarios) altera palmam cum habenis, altera coronam tenens. Q. ANTO*nius* BALB*us* PR*aetor* (Praetor Sardiniae 570.) *Morell. T. X*, 13.

AQVILIA. Caput Virtutis galeatum. III VIR. ab altera parte virtus. = Vir ſcutatus mulierem proſtratam releuans. MAN*ius* AQVIL*ius* MAN*ii* *Nepos*. Infra: SICIL*ia*. (M'Aquilius, III. vir monetalis Auguſti aetate, vnius ex maioribus, M'Aquilii, memoriam recoluit, qui V. C. 652. ſeruis fugitiuis profligatis Siciliam reſtituerat.) *Morell. I.*

ATILIA. Caput Romae galeatum. X. = Victoria in citis bigis, infra C. ATIL*ius* (per compendium ſcripturae exaratum) ROMA. *Morell. n.* 4.

AVRELIA.

Digitized by Google

AVRELIA. Caput Vulcani, pileo laureato, pone forceps cum ſtella. (Declarat Cottam aliquem Vulcani aedem refeciſſe) C. nota monetaria. = Aquila fulmini inſiſtens. L. COT*ta*. *Morell. n.* 3.

BAEBIA. Caput Romae galeatum. X. TAMPILVS. = Apollo cum arcu et ſagittis (niſi Jupiter eſt cum fulmine) in quadrigis. ROMA. infra M. BAEBI*us* Q. F. (fuit Coſ. 583.) *Morell. I.*

CAECILIA. I. Caput Romae galeatum. X. ROMA. = Elephanti protome in vmbone clipei Macedonici laurea incluſi. M. METELLVS. Q. F. (Fuit is Quaeſtor a. 623. expreſſit memoriam Q. Caecilii Metelli Macedonici) *Morell. T. I,* 2.

II. Caput Romae galeatum. X. Q. METEL*lus* (Macedonicus, idem qui de Pſeudophilippo triumphauit) = Jupiter in quadrigis, dextra laurum, laeua fulmen geſtans. ROMA. *Morell. t. I,* 6.

III. Caput iuuenile imberbe laureatum, forte Apollinis, infra ſtella. L. METEL. A. ALB*inus Spurii* F. = Roma ſedens ſuper armis: cui a tergo adſtans Victoria coronam imponit. C. MAL*leolus*. ROMA. (Sunt nomina III virorum monetalium.) *Morell. T. II,* 2.

IV. Caput barba cincinnata, laureatum, Neptuni eſſe putant; niſi Jovis eſt. Q. METEL. PIVS. = Elephas gradiens. SCIPIO IMP. (Pompeii Magni gener. Coſ. 702.) *ibid.* 6.

V. Caput Pietatis, appoſita ciconia. = Praefericulum cum lituo: auguratus inſignia: intra lauream. Infra IMPER*ator*. Referendus numus ad eundem Scipionem. *ibid. n.* 7.

Digitized by Google

VI. Caput Africae; appoſita ſpica et ſtiua aratri. Q. METEL. SCIPIO IMP. = Hercules clavae innixus. EPPIVS LEG*atus* F. C. (*fieri curauit*). Fuit adeo is inter Legatos eiusdem Scipionis in Africa exercitum aduerſus Caeſarem ducentis. *ibid. n.* 8.

CAESIA. I. Protome Veiouis, dextra iaculum in fulminis ſpeciem vibrantis: cum Monogrammate, ſeu AP*ollo*. (quo nomine interpretati eſſe videntur Romani Veiouem, v. Gell. V, 12.) ſeu RA, vt monogramma Romae ſit. = Lares duo ſedentes, adſtante cane. Supra Vulcani protome cum forcipe. LARES per litterarum compendia. L. CAESI*us*. *Morell. I.*

CALPVRNIA. I. Caput Apollinis cincinnatum, laureatum, CV. (numerus forte matricis) = Eques deſultor laeua habenas, dextra palmam tenens. Supra: CXXIIII. Infra L. PISO FRVGI. Subter: ROMA per monogramma (in memoriam ludorum Apollinarium a L. Piſone Praetore V. C. 641. editorum cuſus a L. Piſone Quaeſtore) *Morell. T. V.*

CARISIA. I. Caput Sibyllae = Sphinx alata ſedens. T. CARISIVS III. VIR. (Spectat ad a. V. C. 741. quo de libris Sibyllinis quaeſtio habita ab Auguſto. v. Sueton. c. 31.) *Morell. T. I*, 5. B.

CASSIA. I. Caput Veſtae velatum, a ceruice ſimpulum. L. ſigla monetalis. = Togatus ante arulam ſeu ciſtam ſtans, tenens tabellam, cui V. inſcripta (h. *Vti rogas*) LONGINVS III. V. (Q. Caſſius Longinus Triumvir monetalis, in memoriam

L.

L. Caſſii Longini Trib. pl. V. C. 616. qui legem tabellariam tulit.) *Morell. I,* 3.

II. Caput Apollinis, a ceruice ſceptrum. = Aquila fulmini inſiſtens, inter lituum et praefericulum (Auguratus ſymbola) Q. CASSIVS. (Ludos Apollinares reſpicere putatur numus) *ibid.* 6.

III. Caput Bacchi vittatum hedera redimitum; thyrſus a ceruice. = Caput Liberae pampino coronatum. L. CASSI*us* Q. F. In memoriam Ludorum Liberalibus a L. Caſſio aedili factorum V. C. 639. *ibid. n.* 7.

IV. Caput deae Libertatis. LEIBERTAS. C. CASSI*us* IMP. = Praefericulum et lituus, auguratus inſignia. LENTVLVS SPINT*her. ibid. t. II,* 5.

CIPIA. I. Caput Romae galeatum. M. CIP*ius* M. T. (Quaeſtor V. C. 631.) = Victoria in bigis palmam altera, altera habenas tenens. Infra nauis temo (numo forte in vſum rei naualis cuſo) ROMA. *Morell. I.*

CLAVDIA. I. Caput Romae galeatum. = Victoria in trigis. AP*ius* CL*audius.* Q. MAR*cius Morell. t. I.* 5. vbi interponitur tertius ex Triumviris monetalibus, T. Manlius.

II. Caput Dianae cum arcu et pharetra in humero. S. C. = in bigis, tenens coronam et palmam cum habenis. CXXXIII. (nota monetalis forte matricis) TIB. CLAVD*ius* TI. F. AP. N. (Quaeſtor Siciliae V. C. 504. quo anno P. Claudius Pulcher Coſ. aduerſus Poenos claſſe infeliciter pugnavit) *ibid. n.* 6. ſed cum diuerſis numeris.

Digitized by Google

III. Caput Apollinis reuinctum laureatum: a ceruice teſtudo. = Diana ſtans, vtraque facem ſolo innixam tenens. P. CLODIVS M. F. Spectat ad ludos Apollinares a. 708. *Morell. II*, 1.

CLOVLIA ſ. Cloelia. I. Caput Romae galeatum; ad ceruicem corolla. ROMA. = Victoria in bigis. Subter pedes ſpica duplex (quae Siciliam duplici meſſe feracem reſpicere creditur.) T. CLOVLI*us*. (Quaeſtor vrbanus V. C. 506.) *Morell. I.*

COELIA. I. Caput Romae galeatum. = Victoria in bigis. CALD*us*. (Coelius Caldus, Quaeſtor a. 625.) Infra: L. ſigla monetaria. *Morell.* 4.

CONSIDIA. I. Caput Libertatis, ambiente aream laurea. = Sella curulis laurea ornata. P. CONSIDIVS PAETVS, idem ille, qui Pompeio victo in Africa legionibus binis praefuit. *Morell, I*, 13. ſed ibi CONSIDI PAETI.)

CORDIA. I. Capita Dioſcurorum iugata. RVFVS III. VIR. = Juno Moneta cum bilance et ſceptro, noctua, ſeu, quod alii volunt, Amore, humero inſidente. MAN*ius* CORDIVS (M'. Cordius Rufus III. vir monetalis.) *Morell. I.*

II. Caput Veneris diademate reuinctum. RVFVS S. C. = Amor delphino frenato inſidens. MAN. CORDIVS (in gratiam Caeſaris cuſus putatur) *ibid.* 2.

CORNELIA. I. Caput viri, aliis Martis, galeatum; ſupra verticem ſtella. CN. BLASIO CN. F. A vertice tripus, vt mihi videtur, nota monetaria. = Jupiter, ſeu Liber pater, inter Junonem et Mineruam, a qua coronatur, nudus ſtans, dextra

tra haſtam, laeua amictu inuoluta fulmen (quod manifeſtum fit, vt adeo Jovem credere malim,) geſtans; appoſitus frutex. ROMA. *Morell. I,* 1.

II. Caput Martis galeatum, exſtante ad laeuum humerum haſta. = Victoria in citis bigis, dextra corollam geſtans. CN. LENTVL*us*. (qui 557 Procoſ. ex Hiſpania citeriore ouans vrbem ingreſſus eſt.) *ibid.* 5.

III. *Quinarius*. Caput Jovis laureatum. = Victoria ſtans ante tropaeum, laeua palmam tenens, dextra corollam eleuans. CN. LENT*ulus*. *ibid. t. I,* 6.

IV. Caput Genii Populi Romani diademate redimitum; a ceruice ſceptrum. G. P. R. (*Genius Populi Romani*) = Sceptrum corona laurea reuinctum, globus et gubernaculum. EX. S. C. (*ex SCto*) CN. LEN*tulus*. *Quaeſtor vrbanus* 694. *ibid. t. II,* 1.

V. Caput Q. Pompeii Rufi Coſ. nudum. Q. POM*peius* RVFI (*filius*) RVFVS COS. = Caput L. Cornelii Sullae: SVLLA COS. *Morell. t. IV,* 1.

VI. Sella curulis inter ſagittam et lauream: RVFVS COS. et ſupra: Q. POMPEI. Q. F. = Alia ſella curulis inter lituum et coronam, ſuperne: SVLLA COS. infra: Q. POMPEI. RVF. *Morell. t. IV,* 2. *et in Pompeia t. III,* 4. Memoriam duorum Coſſ. auorum ſuorum, Q. Pompeii Rufi et L. Cornelii Sullae, celebrat Triumvir monetalis Q. Pompeius Rufus.

VII. Caput Jovis Capitolini, cum ſiglà Q. = Jupiter in citis quadrigis, tenens fulmen et ſceptrum cum habenis: L. SCIP*io* ASIAG*enes*. *Morell. t. V,* 5 *ſeq.*

CREPVSIA.

CREPVSIA. I. Jovis Anxuris ſeu Veiouis caput laureatum cum ſceptro, ad mentum ſignum monetale. = Eques iaculum proiectans. P. CREPVSI*us*. Referri ſolet ad originem gentis Campanam. *Morell.* 1 *ſeq.*

CVPIENNIA. I. Caput Romae galeatum, a tergo cornu Copiae. X. = Dioſcuri in equis decurrentes. L. CVP*iennius*. ROMA. *Morell.* 2.

CVRTIA. I. Caput Romae galeatum. Q. CVRT*ius*. X. = Jupiter in citis quadrigis, ſceptrum cum habenis tenens, et dextra fulmen emiſſurus. M. SILA*nus*. ROMA. Sunt nomina duorum ex III.viris monetalibus. *Morell.* 1.

DIDIA. Caput Romae galeatum, cum monogrammate Romae. = Duo, alter ſagulo militari indutus, gladio et clipeo armatus, ſcutica alata proſternit alterum, nudum gladium in humero et clipeum manu tenentem. T. DEIDI*us*. (Cum nulla vllius Didii opera in b. ſeruili fuerit: placet eſſe numum cuſum poſt T. Didii Praetoris victoriam de Scordiſcis aliisque Thracibus V.C. 639. et reſpici ortum eorum a Scythis, qui ſeruos bellum mouentes ſcutica caſtigarunt. Nota res ex Juſtino II, 5.) *Morell.* 1.

DOMITIA. I. Caput Romae galeatum. L. POMPONI*us* CN. F. X. = Mars in citis bigis, haſtam vibrans, laeua parmam tenens cum habenis: prominet lituus militaris. L. LICIN*ius*. CN. DOMITIVS. (L. Pomponius, vnus e III.viris monetalibus; nomina duorum Cenſorum, L. Licinii Craſſi, Cn. Domitii Ahenobarbi, V.C. 661.) *Morell. t. I,* 4.

II.

II. Caput Romae galeatum: a ceruice ſpica. = Victoria in citis bigis. Subter Venator leonem excipiens. CN. DOMITI*us*. ROMA. (Reſpicit Cn. Domitii aedilitatem 585. in qua venatio populo data eſt. Spica ad annonae curam ſpectat.) *Morell. t. I, 6.*

III. Caput Romae galeatum. ROMA. X. = Jupiter in quadrigis, laeua fulmen et habenas, dextra lauream geſtans. CN. DOMI*tius*. Videtur ad eum Cn. Domitium Ahenobarbum ſpectare, qui de Auernis triumphauit V. C. 633. *Morell. t. II, 1.*

EGNATVLEIA. I. *Quinarius*. Caput Apollinis laureatum. C. EGNATVLEI*us* C. F. infra Q. = Tropaeum, ſubiecto lituo militari, adſtante Victoria, quae clipeum inſcribit. Q. ROMA. (Littera Q. pro K. originem Corinthiacam Syracuſanorum declarat. Cuſi quinarii in Sicilia a C. Egnatuleio, Octauiani quaeſtore, cum Sext. Pompeius Sicilia eſſet pulſus. *Morell. I.*

FABIA. I. Caput Romae galeatum. ROMA. X. LABEO. Jupiter in citis quadrigis, ſiniſtra ſceptrum cum habenis, recta fulmen tenens. Subter prora nauis. Q. FABI*us*. (Q. Fabius Labeo Praetor 564. claſſi praefuit aduerſus Antiochum miſſae.) *Morell. I, 1.*

II. Caput Junonis Monetae; appoſita ſub mento libra, et a ceruice caduceus. C. ANNI*us* T. F. T. N. PROCOS. EX. S. C. = Victoria in citis quadrigis, palmam dextra tenens. Supra eam Q (ſigla Syracuſanorum) infra: L. FABI*us* L. F. HISP*anienſis*, *Quaeſtor* (T. Annius aduerſus Sertorium in Hiſpanias miſſus ſub 671.) *Morell. t. I, 8.*

III.

III. *Deauratus.* Caput muliebre turritum et velatum (Deae Caeleſtis Afris cultae) ad ceruicem nota monetalis B. = Victoria in citis bigis. Subter ſtruthiocamelus; ſymbolum Africae. C. FABIVS C F. Habitus vulgo pro antiquiſſimo denario C. Fabii Pictoris Coſ. 484. Sed ad Cinnae et Carbonis tempora eum retraxit Hauercampus. *Morell. t. I, 6. ſeqq.*

FANNIA. I. Caput Cereris ſpicis coronatum. AED. PL. = Duo aediles in ſellis ſedentes, adſtante ariſta. A tergo P. A. (*publico argento*) Infra: M. FAN*nius*. L. CRITONIVS. Aediles pl. hi V. C. 709. *Morell.* 2.

FARSVLEIA. I. Caput Junonis Monetae: a tergo modius inuerſus. MENSOR. = Dea Roma in bigis ſtans manu prehendit togatum adſcendentem. L. FARSVLEI*us*. Subter equis XC. (L. Farſuleius Menſor e III.viris monetalibus fuit; et ciuitatem Italis Sociis Lege Iulia 664. datam deſignare voluit.) *Morell. I.*

FLAMINIA. I. Caput deae Romae galeatum. X. ROMA. = Victoria in citis bigis, corollam dextra tenens: L. FLAMINI*us* CILO. *Morell. I.*

FLAVIA. I. Caput Romae galeatum. X. = Diana in bigis, coronam praeferens. FLAVS. (f. V. pro VIV. Vix ad gentem Flauiam ſpectare putatur.) *Morell. I.*

FONTEIA. I. Janus ſeu caput biceps imberbe laureatum. N. = Triremis remigibus inſtructa, in puppi apluſtre, (Hauercampo pro diademate

regali

regali habitum) ſtante in puppi gubernatore. C. FONT*eius.* Infra; ROMA. (C. Fonteius Quaeſtor V. C. 641. Gens ea plebeia originem ducere videri volebat a Frontone Jani f.) *Morell. I.*

II. Caput Veiouis laureatum; ſubtus fulmen. MAN. FONTEI*us* C. F. = Amor capellae inſidens. Supra duo pilei Dioſcurorum vel Larium, infra thyrſus. Ambit aream laurea. Ad Sullae tempora refertur numus, interpretatione varia, ſed incerta. *Morell.* 3.

III. Caput Martis iuuenile galeatum: a ceruice tropaeum. P. FONTEIVS P. F. CAEPIO III.VIR = Eques galeatus decurrens haſta duo barbaros proſtratos defixurus. MAN*ius* FONT*eius* TR*ib.* MIL. cuius nobile aliquod facinus, forte in bello cum Celtiberis, T. Didii ductu, inſignivit hoc numo P. Fonteius Capito, Triumuir monetalis, V. C. 661.

Sed ſatis haec dicta videntor in apparatu ſollennium, quae inſtant. Neque enim a nobis quicquam amplius requiri poterat, quam vt proluderetur paucis ei, quod ſummam conſilii conſtituit, vt precibus noſtris a vobis, Commilitones, conſequamur hoc, vt caerimoniis et ſollennibus huius ſacri anniuerſarii frequentes adeſſe, perorantes audire, bonaque vota concipientibus fauere velitis. Fortuna ſecunda, qua adhuc vſi ſumus, facit nos audaces in vota.

Prouidentia propitii numinis, quae per quadragenos hos annos rem noſtram academicam vltra vota in ipſis primordiis concepta euexit, bene ſperare nos iubet de futuro, ſi modo Fortunae Georgiae Auguſtae nos ipſi non defuerimus.

P. P. d. XVII. Sept. cIↃ IↃ CCLXXVII.

ACADEMIAE

Digitized by Google

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

ERN. GODOFR. BALDINGER D.

CVM SENATV

SVCCESSOREM SVVM

LVDERVM KVLENKAMP

CIVIBVS COMMENDAT

IN A. D. II. JANVARII CIↃIↃCCLXXVIII.

Recenſentur Numi Familiarum Romanarum, qui in Muſeo Academico ſeruantur.

Commentatio altera.

Illuxit iterum ſollenne illud tempus, Ciues, in quo, inter vota publica et ſupplicationes, quae in ipſis noui anni auſpiciis maiorum more fieri ſolent, Magiſtratus academici ſummi honores et inſignia in aliam domum transferri ſolent; acceduntque adeo ad ea, quae pro ſumma republica fiunt, vota aliae cum congratulationes de iis, quae in re academica ex animo euenerunt, tum nouae votorum conceptiones et precationes, vt bona noſtra perennent, aſpera vero et ſeu metu ſeu ipſa re moleſta auertantur. In quibus ne nunc copioſius verſemur,

 Ciues,

Digitized by Google

Ciues, otium nobis faciunt ea ipſa ſollennia, qua in craſtinum diem publice indicimus, in quibus Vi Excellentiſſimus, admodum reuerendus, Colleg coniunctiſſimus,

LVDERVS KVLENKAMP

fauſta inter omina et inter laetas gratulantium voces auſpicabitur Magiſtratum curae fideique ſuae mandatum, ſibique ab anteceſſore in manus traditum. Diuident autem inter ſe duumuiri hi ſpectatiſſimi ſupplicandi nouaque vota publice ſuſcipiendi partes; alter quidem, Magiſtratu ſe abdicans, oratione ſimul ſua complectetur b. Halleri, qui ſub anni ſuperioris exitum vita deceſſit, laudes, eiusque in rem litterariam vniuerſam, Academiam Gottingenſem, et ſtudium medicum enarrabit merita.

Hac itaque officii parte leuati, Ciues, quandoquidem ſollennibus in hac tabula indicendis praefandum eſt, tanto liberior data eſt facultas exſpatiandi et detexendi telam, quam nuper exorſi eramus, vt Numorum, quos Romanarum Familiarum vocant, in noſtro Muſeo academico ſeruatorum recenſum perſequamur. Vt igitur ad illud veſtigium, in quo tum ſubſtitimus, reuertamur, commemoranda nunc venit

Gens FVRIA. I. Caput deae Romae galeatum. X. = Diana in bigis citis, eleuato flagro, creſcente luna in fronte inſignita. Supra murex, ſ. concha Tyria. Infra PVR*pureo:* (prima littera ad veterem ductum efficta) Subter: ROMA. Spectare videtur numus ad L. Furium Purpureonem, qui bello

bello Punico II. Praetor de Poenis et Gallis V. C. 554, et Conſul 558. de Gallis Boiis triumphauit. *Morell.* 1.

II. Janus biceps barbatus. M. FOVRI. (*M. Furii*) L. F. = Roma galeata et ſtolata, ſtans cum haſta, coronam imponit tropaeo: cui ſubiacent duo clipei et litui. Ad latus: ROMA. Infra: PHILI (PH per ſiglam) M. Furium quaeſtura functum eſſe probabile fit. Commendauit is memoriam P Furii Phili, qui e maioribus fuit. Triumphauerat ille Coſ. a. 531. cum C. Flaminio Nepote, altero Coſ. de Gallis Inſubribus. *Morell.* 3.

III. Caput Cereris ſpicis coronatum, inter ſpicam et granum tritici. III. VIR*i* BROCCHI. = Sella curulis inter faſces geminos cum ſecuribus. L. FVRI. CN. F. *Morell.* 4. Cuſus ab aliquo e Brocchorum familia III.viro monetali; is L. Furii Cn. f. quem inter maiores habuit, praeturam celebrat, in qua ei frugum emendarum cura extra ordinem mandata erat. Eo enim ducunt ſymbola in numo expreſſa.

HERENNIA. I. Caput deae Pietatis. PIETAS. = Iuuenis nudus ſenem amictum humero impoſitum aſportans. M. HERENNI*us*. Appoſita nota monetalis K. Ad fratres Catanenſes numum ſpectare manifeſta res. v. vel Cluv. Sic. ant. p. 121. M. Herennium Siciliam Praetorem rexiſſe credere licet. *Morell. III*, 3.

HOSIDIA. I. Caput Dianae cincinnatum et diademate reuinctum: cum pharetra et arcu ex hu-

Digitized by Google

meris. GETA. III.VIR. = Aper vero transfixus, allatrante cane. C. HOSIDI*us*. C. F.

II. Similis ſubaeratus. Vterque par fere, nec tamen idem cum *Morell.* 1 et 2. Fuit hic Hoſidius forte vnus e III.viris, qui venationes celebrarunt in natalibus Auguſti a. 635. vt Vaillantius ſuſpicatur.

HOSTILIA. Caput dei Palloris: a ceruice lituus = Diana ſingulari ritu veſtita; capite radiato; pedibus iunctis; ſeu vt in arboris truncum, taxi Hauercampus putabat, deſinant, ſeu quod credere malis, vt adducta ſtola plicis in gradum ſtructis aſſurgat. Talis enim Dianae habitus in nonnullarum vrbium religionibus, Epheſiae interdum, item Laphriae; hoc loco Leptitana exprimi putatur. Altera ceruum cornu prehendit. L. HOSTILIVS. SASERNA. Fuit is alter e binis fratribus, qui Caeſarem in Africam ſequuti erant. v. Hirtius de b. Afric. 10. Lepti cum legione praeerat et in ea vrbe numum ſignaſſe videri debet. Ducebant autem Hoſtilii genus a rege Tullo Hoſtilio, quem in re trepida Pauori et Pallori aedem vouiſſe nota res eſt vel ex Liv. I, 7. *Morell.* 2.

IVLIA. I. Caput Romae galeatum. CAESAR. et appicta ſigla ⵎ = Venus bigis Amorum volantium vecta; ſub iis lyra concordiae ſymbolum. Subſcriptum: L. IVLI*us* L. F. Numum L. Julii Caeſaris, viri conſularis, legati Caeſaris in Gallia, iuſſu a proquaeſtore aliquo cuſum probabile ſit. *Morell. I*, 4 D.

II. Caput Veneris, Genetricem credere licet, diademate reuinctum = Aeneas nudus humero Anchiſen velatum ſuſtinens, dextra Palladium praeferens.

ferens. CAESAR. Julii Caeſaris iuſſu cuſi numi cum ſint, magnam eorum copiam exſtare mirum non eſt. Adſunt trini, omnes integri et intacti. *Morell. I,* 5.

III. Caput Cereris ſpicis coronatum. DICT*ator* ITER*um* COS. TERT*ium* = Capeduncula inter lituum et aſpergillum vna cum praefericulo: Pontificatus Maximi inſignia. Appoſita nota D. tum: AVGVR. infra: PONT. MAX. Spectat numus ad a. 708. et Caeſaris liberalitatem, dato in populum extra ordinem frumento; Cereris capite deſignat. *Morell. III,* 5.

IV. Caput Veneris (Genetricis). A ceruice prominet Amor = Tropaeum cum clipeis et lituis militaribus. Adſident hinc vir reuinctis manibus in ſpolia reſpiciens, illinc femina lugens paſſis capillis. Infra: CAESAR. Galliam et Germaniam deſignari, et Caeſaris de Gallis et Germanis victorias innui vix dubites. *Morell. IV,* 1.

V. Caput Veneris eximie ornatum: corona floribus ex auro et gemmis facta, lapides in aure, monile ex vnionibus in collo: a tergo IIT (monetalis nota, matricis forte) = Tropaeum cum ſcuto et lituo militari, adſtante ſecuri, Pontificatus inſigni. Subtus: CAESAR. *Morell. IV,* 4.

VI. Elephas draconem calcans. CAESAR. = Capeduncula, aſpergillum, ſecuris, apex. Numus hic valde obuius ad victam Africam refertur: eius enim ſymbola elephas cum dracone. Pontificatum Caeſaris referunt inſtrumenta ſacra. *Morell. IV,* 7. Habemus tria exempla, cum quarto ſubaerato, nec

Digitized by Google

tamen ab eodem, ſed ſimili typo profecta: vt plures ac diuerſas matrices ad eandem formam ac deſcriptionem factas eſſe appareat.

VII. Caput Apollinis laureatum = Colonus agens boues iunctos. IMP. CAESAR. Caeſar Octavianus ſub a. 725 Carthaginem Coloniam a Julio Caeſare deductam nouis colonis firmauerat. *Morell. IV*, 8. *k*.

VIII. Caput dei Triumphi cincinnatum, laureatum, alatum. A ceruice tridens: qui victoriam naualem deſignare videtur. Affiicta nota monetalis, quam incudem eſſe arbitramur = Victoria in quadrigis, laeua habenas, dextra corollam tenens. Appoſita officinae monetariae nota NE. Inferius: L. IVLIVS BVRSIO. *Morell. t. IX*, 10. qui Carthagine diruta ad triumphi Africani vſum hos numos cuſos eſſe ſuſpicatur.

IVNIA. I. Caput Seruilii Ahalae. AHALA. = Caput L. Junii Bruti. BRVTVS. *Morell. I*, 1. Vtrumque caput barbatum. Signatus numus, ſatis frequens, a M. Junio Bruto, Julii Caeſaris percuſſore, qui paternum genus ad Brutum libertatis Romanae auctorem referebat, per matrem vero Serviliam Seruilium Ahalam inter maiores numerabat.

II. Caput deae Libertatis. LIBERTAS. = Conſul inter duo lictores cum faſcibus et ſecuri incedens, praeeunte accenſo. BRVTVS. Eiusdem Bruti, qui primum Conſul fuit, memoriam recoluit M. Junius Brutus. *ibid*. 2.

III.

III. Caput Romae galeatum. X. = Dioſcuri haſtati in equis concitatis. C. IVNI*us* C. F. Infra: ROMA. Fuiſſe hunc hominem aliquando inter III viros monetales neceſſe eſt. *ibid. n.* 4.

IV. Caput Romae galeatum. X. = Victoria in bigis, vtraque manu habenas premens. D. SILANVS. L. F. ROMA. Supra bigas numerus in aliis alius: in vno noſtro IIII. in altero XXVIII. in tertio III. nota officinae monetalis. Etiam in hoc tertio a ceruice deae Romae litt. F. *Morell. II,* 1. et *t. V,* 1 ſq. Bigatum hunc ad D. Junium Silanum quaeſtorem vrbanum a. 612. *Varr.* referre ſolent.

V. *Subaeratus.* Caput Bruti. BRVT. IMP. L. PLAET*orius* CEST*ianus* = Pileus inter duo pugiones. EID*us* MAR*tiae.* Numus a legato Bruti, Plaetorio, cuſus. Narrat de eo Dio XLVIII. c. 25. *Morell. II,* 4.

VI. Caput deae Libertatis. PIETAS = Duae dextrae iunctae, caduceum alatum amplexae. ALBINVS. BRVTI. F. *ibid. III,* 7. Eſt is D. Junius Brutus, adoptatus ab A. Poſtumio Albino; a M. Antonio Mutinae obſeſſus, et ab Hirtio et Panſa Coſſ. liberatus. Concordiam exercituum, qui ſe coniunxerant, declarat numus.

LICINIA. I. Caput Romae galeatum. L. POMPONI*us* CN. F. = Mars nudus, lituum cum clipeo laeua tenens, in bigis citis, haſtam laeua protendens. L. LIC*inius.* CN. DOM*itius.* Fuere hi cenſores a. 661. L. Pomponius e IIIviris monetalibus eſſe videtur: reliquorum duorum, C. Malleoli, et L. Porcii Liciniani, nomina in aliis denariis

riis occurrunt ap. *Morell. I,* 5. 6. quibus tertius noſter addi poteſt.

II. Protome deae Romae galeatae, haſtam dextro, ſiniſtro humero clipeum inſcripto equo ſuſtinentis. Ante mentum ſtella, verius quam denarii nota. Luna creſcens in fronte non apparet. ROMA = Cancelli ſeu ſepta Comitii; alter togatus, ſuffragium laturus, tabellam in ciſtam iniicit, alter tabellam a diribitore accipit. Supra P. NERVA. cum nota obſcura monetali equi. Notabilis numus ad gentem Liciniam vulgo refertur, melius ad Siliam, plebeiam, ex qua aliquis Trib. pl. legem tuliſſe videtur, quae ad comitiorum iura ſpectabat. Eam memoriae mandauit P. Nerva, nepos, inter IIIviros monetales allectus. *Morell. I,* 8.

III. Protome Veiouis telum triplex ſeu fulmen triſulcum vibrantis = Pallas in citis quadrigis, dextra haſtam vibrans, laeua habenas cum clipeo comprehendens: C. LICINIVS. L. F. MACER. Eſt is qui praetorius repetundarum accuſatus et damnatus eſt Cicerone Praetore: idem Quaeſtor a. *Varr.* 677. *Morell. III,* 4.

LVCILIA. I. Caput Romae galeatum intra lauream. (*Argentum*) PV*blicum* = Victoria in bigis citis. M. LVCILI*us* RVF*us*. *Morell.* 1.

LVCRETIA. I. Caput Romae galeatum. TRI*o* X = Dioſcuri in equis concitatis. CN. LVCR*etius*. (Quaeſtor vrb. incerti anni) ROMA. *Morell.* 1.

II. Caput Apollinis radiatum = Luna creſcens cum ſeptem ſtellis. In medio Lunae TRIO. Infra:

L. LV-

L. LVCRETI*us*. Familia Trionum plebeia; quam nomen a ſeptem trionibus petiiſſe manifeſtum ſit. Ignotus et hic L. Lucretius Trio; non male tamen creditur ad Julii Caeſaris tempora pertinere. v. *Morell.* 2.

LVTATIA. I. Caput Romae galeatum. X. CERCO. ROMA. = Intra coronam querneam triremis praetoria: in puppi apluſtre (non acroſtolium, quod prorae eſt) in prora caput Romae victricis, pro paraſemo. (Male Hauercampus tutelam interpretatur) Q. LVTATI*us Quaeſtor. Morell. I.* Q. Lutatium Cerconem Quaeſtorem vrbanum fuiſſe bello Punico II. a. 500. probabile fit, vt adeo inter vetuſtiores ſit denarius hic.

MAIANIA. I. Caput Romae galeatum. X. = Victoria in bigis. C. MAIAN. ROMA. *Morell.* 1. Ignota prorſus gens, quae in hoc Victoriato occurrit, quam in *Maeniam* vulgo mutare voluere; Perizonius adeo in *Minatiam:* Hauercampus peruiaciter tuetur *Maeniani* nomen. In numo tamen noſtro tam manifeſte expreſſa eſt Maiania gens, vt nihil de ea dubitari poſſit. Sunt litterarum compendia quidem, ſed ſatis diſerta: C. MAIAN. ita vt MA vno ductu et interpoſita I. mox AN iterum vno ductu effingantur. Nec tamen hoc inauditum, in numis hominum atque etiam regum nomina ſeruata eſſe, quae in hiſtoriarum monumentis, ſeu eorum potius fragmentis, non occurrunt. Si hiſtoriae litrariae aliquis eſt fructus, eorum quoque, quae interiere, notitiam arbitramur eſſe longe fructuoſiſſimam, vt deſinant tandem viri docti ſpernere aut damnare

damnare ea ſeu nomina ſeu facta, quae diu ignota tandem in lucem producuntur. Sunt enim innumera, quae periere, et pro ſexcentenis aut ſexmillenis amiſſis vix vnum eſt, quod fortuna ſeruauit: ita vt ſtomachum moueant, qui manu ſe ſua, tanquam ſpicarum mergitem, vniuerſa, quae vsquam libris tradita fuere, comprehendere putant, aut qui quotquot v. c de Aegyptiis, Graecis, Orientis populis, et ſic porro, in Herodoto, Diodoro et aliis narrata ſuperſunt, omnino eadem eſſe credere videntur, quae vsquam de iis olim tradita fuere aut Graecis innotuere.

MAMILIA. I. Caput Mercurii petaſatum; a tergo caduceus. = Vlyſſes redux, a cane agnitus. C. MAMIL*ius* LIMETAN*us*.

II. Idem numus: ad caduceum *M.* ſigla monetalis. *Morell. I.* Gens Mamilia plebeia, Tibure oriunda, genus referebat ad Telegonum Vlyſſis et Circes filium, Tiburis conditorem. Ea enim multarum familiarum vana fuit perſuaſio, vt Graecam originem habere vellent *a*).

MARCIA. I. Caput Regis Anci Marcii, a quo ea gens originem duxit, diademate reuinctum, a cer-

a) Qua de re v. ad Virgil. Aeneid. VII. Exc. IV et VII. Aliae gentes Romanae a Troianis originem repetere malebant, non minus vana profeſſione. v. Aen. V. 115 ſqq. et ibi not. et 563 ſqq. Plura hoc de rerum genere teneremus, ſi, amiſſis tot Annalium et hiſtoriarum libris, Catonis ſaltem Origines, aut Varronis librum de familiis Troianis, cum Attici familiis Romanis, aut Iulii Hygini libros haberemus.

Digitized by Google

a ceruice lituus. ANCVS. = Aquaeductus, inſcriptis litteris: AQVA MARC*ia*, cui impoſita ſtatua equeſtris manum eleuans. Subter equum frutex. PHILIPPVS. Videtur is eſſe notus ille L. Marcius Philippus, orator, Coſ. a. 663. ſiue vt is Quaeſtor a. 645, ſeu, quod elegantia operis credere ſuadet, eius filius in Quaeſtura numum percuſſerit. Equitis ſignum ad nominis originem reuocant, vt qui primus illud adſciuit, rei equeſtris ſtudio inclaruerit. Enim vero ſtatuam equeſtrem, neſcitur cui ex ea gente, poſitam *b*) adumbrari, docet inprimis frutex ille ſub equo: qui tam male habuit interpretes, vt varia comminiſcerentur, ne rationem eius et cauſſam ignorare viderentur. Scilicet ille frutex pro veruto eſt ſeu ſtatumine ac pedamento, cui innixa ſit ſigni moles. Obuia res eſt in ſignis ex aere; inprimis videnda ſigna Herculanenſia Alexandri et Amazonis. *Morell. I*, 1.

II. Caput Romae galeatum, cum ſtella, niſi denarii nota eſt. A tergo incus vel arula, ſignate in binis noſtris expreſſa, ab aliis non memorata. = Victoria in bigis citis. Subter binae tritici ariſtae: M. MAR*cius*. ROMA. *Morell. I*, 2. Ad M. Marcium Rallam refertur, a. 542. (apud Pigh. 541.) Quaeſtorem vrbanum: quo Syracuſae a M. Marcello captae

b) Si coniecturae locus eſt, poteſt is eſſe Q. ille Marcius Tremulus, qui Coſ Anagnia capta de Hernicis triumphauit, V. C. 448. Liv. IX, 43. cui inde *ſtatua equeſtris togata poſita eſt*, quod *populum ſtipendio* (vnius forte aut aliquot annorum) *liberauerat*. Plin. XXXIV, 5. ſ. 11. Iam autem in numo ſignum equeſtre togatum eſt: in altero numo apud Morellium tenet laurum.

captae ſunt. Binae autem illae ſpicae, paſſim in Siculis numis obuiae, ad duplicem meſſem felicemque frumenti prouentum in agris Siciliae declarandum valent.

III. Caput Romae galeatum. X. = Eques, citato equo inſidens, quem Philippum Macedoniae regem, Perſei patrem, edunt. A tergo equi fruticis genus ignotum: in noſtro numo ariſta eſt aculeata, quaternis foliis munita. Vepris genus eſſe coniectat Hauercampus, quo deſignentur ſaltus inuii, per quos Q. Marcius Philippus Coſ. V. C. 585 exercitum aduerſus Perſeum duxit. (Nimis argute, quam vt fidem facere poſſit. Tum Perſeum potius exhiberi putes. Niſi omnino eques Macedonicus effictus eſt: frutex autem obſcurum Macedonici alicuius tractus ſeu loci ſymbolum habendus.) Q. PILIPVS. (antiqua ſcriptura) ROMA. *Morell. I, 6.*

IV. Caput Apollinis laureatum. = Silenus ſtans manu eleuata, ſaltantem diceres; caudatus, ſubligaculo cinctus, vtrem humero impoſitum laeua tenens. A tergo columella cum ſigno; Victoriolam alii agnoſcunt. L. CENSO*rinus.* Videtur is eſſe L. Marcius Cenſorinus, qui a. 605 Conſul fuit, et quem circa Liberalia aliquid nouaſſe aut forte ludos ſcenicos edidiſſe ſuſpicari malumus, quam argutias Vaillantii et Hauercampii admittere. *Morell. I, 7.*

V. Anci Marcii et Numae Regum capita iugata, vtrumque (in noſtro numo) diademate reuinctum, illud tamen barbatum, alterum hoc, quod mireris, imberbe *c)* = Deſultor eques binos equos concita-

c) Nec tamen de interpretatione vultus dubitare licet, cum alii aerei exſtent ipſis nominibus adiectis.

concitatos ſcutica inſtigat, alteri ipſe inſidens. Sub equis nota I. infra: C. CENSO*rinus*. Hic C. Marcius Cenſorinus quis ex pluribus eiusdem nominis fuerit, non conſtat; quaeſturam geſſiſſe probabile fit numo hoc ſignato. Reſpexiſſe autem videtur ludos, ab aliquo forte e maioribus opipare inſtructos, Nam Hauercampi coniectura paullo longius petita eſt, a Marcianis carminibus et Apollinarium ludorum inſtitutione, *Morell. II.* 3 ſq.

VI. Caput Romae galeatum. LIBO. X. = Dioſcuri haſtati in equis. Q. MARC*ius*. ROMA. In noſtro MA, quod per compendium ſcriptum eſſe debebat, vitioſe exaratum eſt, nec vt extritum dixeris: MRC. Q. Marcii Libonis nomen etiam in aereis numis exſtat; eſt tamen illius, et omnino Libonum familiae, obſcura memoria.

VII. Caput Romae galeatum, a ceruice corolla videtur effícta eſſe. = Victoria in quadrigis. Infra litterae, quas antea ſic legebamus: T. MARC*ius* L*ibo* Q*uaeſtor*. Videbamus tamen in Marcii nomine compendii quid ineſſe. Nunc ſine haeſitatione legimus: T. MA. (per compendium, *Marcius*) AP.*pius* CL.*audius* Q*uaeſtores:* vrbani ſine dubio; ignoti antea, nec in alio, quod meminimus, numo obuii. Haud multum, nominibus tamen, diſſimilis eſt alius ap, *Morell. III*, 1.

MARIA. I. Caput Cereris ſpicis redimitum. C. MARI*us* C. F. CAPIT*o*. XXVII. = Colonus iunctis bubus arans. S. C. et ſuperne XXVI: ſed numerus vterque attritus et obſcuratus; v. *Morell. I*, 1. officinam ille monetalem deſignare creditur.

Copia

Digitized by Google

Copia ingens horum numorum eſt, qui a C. Mario Capitone, C. Marii nepote, cuſi putantur, cum quaeſturam ſub C. Julio Caeſare in Gallia Cisalpina gereret. Deſignauit autem Eporediam *d*) coloniam in agro Gallico, a C. Mario ſextum Coſ. a. 654 deductam.

MEMMIA. I. Caput Cereris ſpicis redimitum. C. MEMMI*us* C. F. = Tropaeum, religato ſubtus captiuo geniculato. C. MEMMIVS. IMPERATOR. Prior ille C. Memmius quaeſtor numum ſignauit, filius alterius C. Memmii, qui victoriam de hoſte reportauit; C. Memmius Gemellus creditur is eſſe, qui praetor Bithyniam et Pontum ſortitus eſt, a. 697. eoque Catullum ſecum abduxit. Cereris autem caput eo pertinet, quod, vt ex aliis numis conſtat, Cereales ludos aliquis Memmius Aedilis primus fecit. *Morell.* 2.

II. Caput iuuenile laureatum; Honoris, cenſente Hauercampo, verius Apollinis *e*). = Dioſcuri adſtantes cum equis. L. MEMMI*us*. Ad L. Mem-

d) Nunc *Ivrea* Pedemontii.

e) Nam Honoris caput, quod in numo Fuſiae et Muciae gentis, quem paullo poſt videbimus, vna cum capite Virtutis occurrit, diuerſam ſpeciem magisque iuuenilem praefert. In numis Egnatiae gentis Virtus et Honos ſtantes exhiberi videntur, ſed hic feminae ſpecie ſtolatae, galeaque et thorace nec non haſta armatae, ad quam Cupido aduolat. Ex iisdem numis etiam hoc diſcimus, variaſſe quoque Romanos ſymbolicarum figurarum ſpeciem: nam in ſerioribus numis emendatior eſt et elegantior vtriusque dei ſpecies, quam in antiquioribus.

Digitized by Google

Memmium, qui Tribunus pl. fuit a. 552, paullo ante Quaeſtura functum, refertur hic numus. *Morell.* 4.

III. Caput Saturni laureatum: ſubiecta falce ROMA. Sigla E vel S appoſita, nam paullo obſcurior ea in noſtro numo eſt. = Juno Moneta in bigis, aduolante Victoria cum corolla. L. MEMMI*us* GAL. *Morell.* 5. In Saturni aede erat aerarium: ei itaque et Junoni Monetae merito locus eſt in denariis. L. Memmium *Galli* cognomen habuiſſe neceſſe eſt, etſi illud alibi non occurrit. Nam Galbius, quem Hauercampus ſubſtituit, a loco alienus eſt.

MINVCIA. I. Caput deae Romae galeatum. X. = Columna tanquam e modiis ſibi mutuo impoſitis exſtructa ſuper baſi quadrata, inter duas ariſtas, ſuperſtante ſigno viri togati; adſtant hinc vir togatus, duo modios tenens, altero quoque pede modio inſiſtere viſus, illinc alius cum lituo augurali. TI. MINVCI*us* T. F. AVGVRIN*us*. ROMA. Ad L. Minucium Praefectum annonae merito refertur numi typus. Is Sp. Melio, plebem frumenti largitionibus demulcente, oppreſſo (v. Liv. IV, 13 ſq.) columnam cum ſtatua meruit a populo poſitam. Plin. XXXIV, 5. ſ. 11. et XVIII, 3. ſ. 4. Creditur is ipſe exhibitus eſſe per togatum adſtantem cum modiis: alter autem cum lituo eſſe e Minuciis ille, qui primus Augurini nomen tulit. Tiberium illum, qui numum ſignauit, quaeſtorem vel III.virum monetalem, ignoramus. *Morell.* 1. *et* A.

Digitized by Google

II. Caput Romae galeatum. X. RVF*us*. = Dioſcuri in equis. Q. MINV*cius*. ROMA. *Morell*. 4.

III. Caput Romae cum galea lauro inſignita. = Duo viri, alter Romano habitu, alter peregrino, dimicantes ſuper tertio proſtrato. Q. THERM*us* M. F. Caeſarem prima ſtipendia in Aſia feciſſe in M. Thermi contubernio, et ab eo in expugnatione Mitylenarum corona ciuica donatum eſſe, ex Suetonio nouimus. In Caeſaris itaque, rerum ſumma potiti, honorem hunc numum ſignatum eſſe, dudum docuerunt viri docti. *Morell*. 7.

MVCIA. I. Honoris et Virtutis capita iugata HO*nor*. VIRT*us*. infra KALENI = Stant manibus inuicem iunctis Italia ſtolata cum cornu copiae, et pone eam caduceus; ex aduerſo Roma ſagata, diademate vincta, ſceptrum tenens et globo inſiſtens. ITAL*ia*. RO*ma*. infra: CORDI. Eiusdem typi numi in gente Fuſia occurrunt, vt adeo eiusdem anni III. viros monetales fuiſſe neceſſe ſit Mucium Cordum et Fuſium Calenum; addit de coniectura Hauercampus tertium, L. Farſuleium Menſorem. Mucius autem vnum ex maioribus celebrare voluit, architectum aedis Honoris et Virtutis Mario ſeptimum Coſ. dedicatae, C. Mucium. Altera numi area Italiae pacem redditam bello Sociali compoſito redhibet.

MVSSIDIA. I. Caput Concordiae deae velatum: appoſita ſtella. CONCORDIA = Comitium cum ſeptis, gradibus, cancellis, et binis togatis, altero, vt putamus, diribitore, altero ſuffragia ferente. L. MVSSIDIVS. LONGVS. Infra: CLOA-

CIN*a*.

CINa. Veneris cluacinae ſignum in Comitio ſtabat a Tatio rege dedicatum, reſtituta inter Romanos et Sabinos concordia, et luſtratione facta; *cluere* autem *veteres purgare dicebant*, Plinio monente *f*). Quod ad Comitium attinet, comparare iuuabit denarios Hoſtiliae et alterum Liciniae gentis, cum P. Nervae nomine, quem ſupra deſcripſimus. Percuſſi autem hi numi, quorum magna copia exſtat, a L. Muſſidio Longo, ad largitiones a Julio Caeſare a. 708. factas, et per Concordiam et Comitium ad comitia inter populum et Caeſarem diuiſa alluſum videtur. *Morell.* 2 ſq.

II. Caput Solis aduerſum radiatum = Auerſa pars ſimilis ſuperiori numo. Ceterum Solis aſtrum merito ad faſtos a Caeſare emendatos et annum conſtitutum refertur.

NAEVIA. I. Caput Veneris. S. C. = Victoria in trigis, habenas vtraque manu colligens. C. NAE*vius*. BALB*us*. In ſuperiore ora: XXII. nota monetalis: in aliis alia, vsque ad CCXIII. Ignoratur, ad quem annum ſpectent hi numi. Ad Sullae tempora e coniectura refert Hauercampus.

Alius c. numero CXVII.

NASIDIA. I. Caput Cn. Pompeii Magni, tridente appoſito. NEPTVNI. (vt eius tanquam cognomen ſit, cum Sext. Pompeius Neptuni filius haberi voluiſſe narretur; quod tamen ad inuidiam ei

f) Plin. XV, 29. ſ. 36. Putidum eſt, quod a cloacis nomen repetunt Chriſtiani ſcriptores. *cluere* eſt idem quod *luere*, *abluere*.

Digitized by Google

ei faciendam arbitramur deflexum; nam videntur potius hominis vani et arrogantis patrem amici, aſſentandi ſtudio, tanquam alterum Neptunum extuliſſe. Niſi forte *NeptunI* a Neptunius, ea vox legenda) = Triremis praetoria, appoſito aſtro. Q. NASIDIV*s*. Fuit is Sexti Pompeii claſſi praefectus.

NONIA. I. Caput Ditis patris cum vnco (haſta, in harpae, quam Perſeus geſtare ſolet, ſpeciem deflexa. Conſpicitur quoque illud in numo Nerii Quaeſtoris Vrbani, et ad opes aerarii ſpectare creditur) SVFENAS = Dea Roma inſidens ſpoliis coronatur a Victoria. SEX. NONI.*us* PR. L. V. P. F. (*Praetor ludos votiuos publicos fecit.*) Sextum Nonium Suffenatem adfuiſſe pro quaeſtore M. Aemilio Scauro, Legato Pompeii Magni in Syria, et in hoc numo memoriam commendaſſe patris Sext. Nonii, qui praetor ludos votiuos fecit publicos, docte docuit Hauerc. *Morell. I. add.* 3.

NORBANA. I. Caput Veneris. C. NORBANVS. XXXX. niſi alia numeri nota extrita eſt. = Faſces cum ſecuri equino capite ornata, inter ſpicam tritici et caduceum.

II. Alius cum nota CXXXXV. *Morell.* A. Cuſi hi numi, ingenti numero, eo anno, quo Caeſar in Hiſpanias proficiſcens, V. C. 708. ſub Lepido ſex ſiue octo Praefectos vrbis conſtituit, inter quos fuit C. Norbanus. Venus in Caeſaris honorem expreſſa. *Morell.* A.

OPIMIA. I. Caput Romae galeatum. Pone tripus, nota monetalis. = Apollo in bigis, arcum tendens. M. OPEIMI*us*. ROMA. *Morell.* 3. Obſcurus

ſcurus homo, obſcura typi cauſſa, niſi quod ad peſtilentiam a. 574 refert, et M. Opimium Quaeſtorem eius anni fuiſſe coniicit Hauercampus; quod tamen non magis locum habere videtur, quam ſi Jovem quadrigis inuectum et fulmen tenentem contendas exhiberi iratum. Dicamus potius Apollinem reddi vt ſolem, ſagittas pro radiis emittentem.

Sed ſatis iam numorum annumeratum. Subſiſtamus, vel boni ominis cauſſa, in M. Opimio, et in Apolline. Quidni enim vel verbis ludamus? Etiam hoc boni ominis cauſſa. Enimuero omen erit longe certius et iucundius proſperitatis, pacisque ac tranquillitatis publicae; ſimulque veſtrae modeſtiae, Ciues, amorisque veſtri, quo noſtrum omnium amorem mutuum prouocabitis, pignus dabitis haud poenitendum; ſi craſtino die pompa in templum academicum ducta, ſacris ſollennibus frequentes adeſſe, et dicturis ac reliqua ex more peracturis audientiam facere fauoremque praeſtare volueritis. Agite vero, noſtri, lubentes volentesque votis noſtris reſpondete, *Auſpicio hoc felix totus vt annus eat.* P. P. Kal. Jan. cIↄ Iↄ CCLXXVIII.

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

PRORECTOR

LVDERVS KVLENKAMP

CVM SENATV

ANNIVERSARIA INAVGVRATIONIS

SACRA XXXXI.

IN A. D. XVII. SEPT. cIɔIɔCCLXXVIII.

RITE INDICIT.

Recenſentur Numi Familiarum Romanarum, qui in Muſeo academico ſeruantur.

Commentatio tertia et nouiſſima.

Etſi nullo non tempore beneficiorum diuinorum ſenſu perfuſum habere animum conuenit, et ita ſe quemque comparare conſentaneum eſt, vt non malorum magis, quam bonorum, quibus fruitur, rationem ineat, et, quae ſiue naturae ſiue fortunae munere, publice priuatimque, grata et iucunda accidunt, cogitatione et oculis circumſpiciat: habent tamen, Commilitones cariſſimi, tempora ſollennia miram aliquam vim ad excitandos animos et mentes conuertendas ad contemplationem acriorem felicitatis publicae priuataeque, hoc eſt, omnium

omnium earum rerum, quarum ſenſus ad animum eſt iucundus grataque reputatio. Sunt in his innumera, quorum vix cogitationem aliquam vulgo homines admittere ſolent: inque iis plerumque grauiſſima: quod hoc Rege ac Principe, Optimo illo et Indulgentiſſimo, hoc Senatu Sanctiore, hac rei publicae formula, his inſtitutis, legibus, hac libertate, hac ſecuritate vtimur, publice priuatimque ab iniuria tuti quod viuimus, et iure aequo vtimur quisque; quod in tanta rerum ſacrarum et ſapientiae ſeu reuelatae ac diuinae ſeu humanae luce verſamur; quod tot ac tanta habemus ſubſidia et adiumenta cognoſcendae naturae, acuendi et omni doctrinae et cognitionis genere locupletandi ingenii, fingendorumque animorum ad omne virtutis et officii genus. Quae ſumma diuini numinis beneficia, quantum vix in vlla alia terrarum parte, inprimis in Academia hac Georgia Auguſta vobis contingunt, Commilitones, eaque ipſa in almam hanc litterarum Parentem, blandam ingeniorum Nutricem, amores vobis inſtillare debent nullo tempore exſtinguendos. Nam illud indulgentiae diuinae ſpecimen vix quisquam noſtrum eſt, quin ſaepius iam animo agitauerit et grata pietate reputauerit, quod, cum bellorum procellae vndique cooriuntur, *et toto ſaeuit Mars impius orbe*, nos interea hac tranquillitate, hac rerum incolumitate vtimur, nec adhuc bellicis terroribus turbantur hae terrae, fruunturque adeo Muſae hac ſecuritate, hoc otio, quo ſublato omnes earum concentus conticeſcunt. Quae noſtra bona vt gratis ac piis mentibus recolamus, vtque vota ac preces ad deum immortalem pro in-

 columitate

Digitized by Google

columitate reip. conſtante ac perpetua ſuſcipiamus, indicuntur hac ipſa tabula Anniuerſaria ſollennia craſtino die in templo academico, pompa ſollenni ducta, habenda. Praeibit verba is, cui munus hoc publice impoſitum eſt, Eloquentiae Profeſſor et Collega noſter,

CHR. G. HEYNE,

cui vt vos, Commilitones et quotquot Hoſpites his ſollennibus intereſſe volueritis, fauentes adeſſe velitis, qua par eſt, humanitate rogamus. Praefabitur ille ex more perorandi academico, quo de docto aliquo argumento praemittenda nonnulla ſunt, et *diuerſos bellorum, modo ad barbariem inferendam, modo ad humanitatis cultum propagandum, effectus* in medium afferet.

Eidem academico mori vt, qua fas eſt, obtemperemus, praefabimur et ipſis his ſollennibus, quae indicimus, pauca, et abſoluemus argumentum ſuperioribus temporibus inchoatum, perducemusque ad finem recenſum numorum, quos Familiarum Romanarum appellant, quotquot quidem ex iis ſeruat Muſeum noſtrum academicum, cuius hac aeſtate abſoluta quoque eſt rerum et opum naturalium diſpoſitio, doctiſſimi viri, Blvmenbachii, Collegae digniſſimi, ſummo ſtudio et opera.

Subſtiteramus autem in gente Opimia. Proxima gens, cuius numi in noſtro academico *Muſeo* exſtant, eſt

PAPIA. I. Caput Junonis Lanuuinae, caprina pelle indutum. Appoſitum a ceruice ſignum Loti.

= Gry-

= Gryphus proſiliens: ſubiecto ſigno obſcuro floris. L. PAPIus. Numus ſerratus: vt omnes huius Papii III.viri monetalis, cuius denarii hoc typo expreſſi magno numero ſuperſunt, notae tamen appoſitae varietate mira. Ei, quam laudauimus, ſimilem notam memorari non vidimus. *Morell. t. I,* 3. *t. II,* 1 *ſq. III ſq.* Videtur Gryphus, fabuloſus ille auri cuſtos, ad aerarii et monetae curam ſpectare.

PETILLIA. I. Frons templi Jovis Capitolini hexaſtylos; in intercolumniis in pariete tria vericula apparent; pilarumne genus, an ornamentum aliquod? faſtigium variis ſignis inſtructum; in ſumma quidem parte, ſignum bigas ducentis haud dubie Jovis, a latere deae haſtatae, Juno ſcilicet et Minerva; prominent in extremis partibus vtrinque duo equi proſilientes; in media faſtigii area, (tympanum Vitruvius appellat, ſi verum aſſequimur) ſculptum eſt ſignum obſcuri operis, quod Gigantis forte eſt; agnoſcere enim nobis videmur pedes anguinos; vt is a Jove, in ſummo, vt diximus, faſtigio ſtante, fulmine proſtratus videri debeat. Simile argumentum in faſtigio aedis Jovis Tonantis expreſſum arbitramur reſpici a Claudiano in loco parum bene accepto, XXVIII, 44. *Iuuat intra tecta* (h. in caelatura) *Tonantis Cernere Tarpeia pendentes rupe Gigantes.* Ex Rycquio de Capit. c. 15. nihil admodum proficias. = Aquila expanſis alis fulmini inſiſtens: PETILLIVS CAPITOLINVS. Familia Petilliorum Capitolinorum ex Horatio I. Sat. 4, 94 nota eſt. *Morell.* 2.

PLAETORIA. I. Caput deae variarum dearum inſignibus ornatum, vnde id *pantheon* appellare ſolent. CESTIANVS S. C. = Aquila expanſis alis fulmini inſiſtens. M. PLAETORIVS AED*ilis* CVR. *Morell. I*, 3. D.

II. Caput deae Cybeles turritum: ante collum globus, qui terram deſignare videri poteſt; a tergo ramuſculus, vt Hauercampus docet. CESTIANVS. = Sella curulis: cui variae notae monetales appoſitae occurrere ſolent, in noſtro eſt ariſta. M. PLAETORIVS AED*ilis* CVR*ulis* EX S. C. Cuſos hos et alios numos a M. et L. Plaetoriis, Bruti quaeſtoribus in bello ciuili, et M. Plaetorium aedilem curulem a. 685. reſpici, non male coniicit Hauercampus. *Morell. ibid. V.*

PLANCIA. I. Caput Macedoniae pileatum. CN. PLANCIVS AED. CVR. S. C. = Capra ſilveſtris; a tergo pharetra cum arcu, Macedoniae ſymbola. Cn. Plancium reſpici, qui quaeſtor Macedoniae Ciceronem exulem excepit, manifeſtum fit. Sed cuſus numus videtur a Cn. Plancio, eius filio, Bruti forte Quaeſtore, vt Hauercampus quoque *ſuſpicatus* eſt. *Morell. I.*

PLAVTIA. I. Caput Solis aduerſum. L. PLAVTIVS. = Aurora Solis equos frenis deducens. PLANCVS. Videtur a L. Plotii, qui fratris L. Munatii Planci opera inter proſcriptos a Triuumuiris fuit relatus, (v. Plin. XIII, 3. ſ. 5.) filio, Caſſii et Bruti Quaeſtore, eſſe ſignatus. *Morell. I.*

II. Mulier flexo genu, laeua camelum adſtantem capiſtro retinens, dextra oleam vittatam ſupplex porri-

porrigens. Inferius: Rex ARETAS. Ad latus EX S. C. et ſupra: M. SCAVR*us* AED*ilis* CVR. = Jupiter in citis quadrigis, laeua habenas, dextra fulmen tenens; ſub equis ſcorpio. In ſuperiore area: P. HYPSAE*us* COS. PREIVER*num* CAPTV*m*. Eſt typus Aemiliae genti communis. *Morell. Aemilia I, 1. Plautia* 2. Cuſi videntur numi a binis Quaeſtoribus Bruti vel Caſſii, altero ex Aemilia, altero ex Plautia gente oriundo: exhibentur vtriusque gentis decora: Aemiliae, Aretas Arabum rex ſupplex factus M. Scauro, qui Pompeio pro Quaeſtore fuit, V. C. 692. Plautiae, Priuernum Latii oppidum a P. Plautio Hypſaeo Coſ. 412. captum. Geſſerant autem ex vtraque gente eodem anno 695 aedilitatem M. Scaurus et P. Hypſaeus.

III. Caput Romae galeatum. X. = Dioſcuri in citis equis. C. PLVTI*us*. infra: ROMA. Refertur ad C. Plautium Hypſaeum, Quaeſtorem vrbanum 594.

POBLICIA. I. Caput Romae, galea, incuruo cono et vtrinque palma ornata, tectum. ROMA. Appicta littera C. vel G. = Hercules leonem Nemaeum ſuffocans. Ad pedes claua, tum arcus cum pharetra. C. POBLICI*us Quinti F.* Nota C vel G. *Morell. IV.* C.

II. Caput Romae galeatum. M. POBLICI*us* LEG*atus* PRO PR*aetore*. = Stans in puppi Romanus palmam accipit a figura muliebri porrectam, quae clipeum cum binis ſpiculis geſtat; eſt ea Hiſpania. CN. MAGNVS. IMP. *Morell.* 5. M. Poblicium Pompeio, res in Hiſpaniis cum proconſulari

lari

lari poteſtate gerenti, Legatum pro Praetore fuiſſe ex hoc numo intelligitur.

POMPEIA. I. Deae Romae caput galeatum X, a ceruice nota monetalis: vrceus. = Lupa Romulum ac Remum gemellos lactans, adſtante Fauſtulo paſtore. Appoſita ficus, cui picus inſidet SEX*tus* PO*mpeius* FOSTLVS. ROMA. Non conſtat, quis hic Sex. Pompeius Fauſtulus fuerit.

PORCIA. I. Caput Romae galeatum. X. ROMA. = Libertas quadrigis vecta, laeua haſtam et habenas, dextra pileum tenens: coronat eam aduolans a fronte Victoria. M. PORC*ius*. Infra: ROMA. *Morell.* 3. Reſpicit typus, cui ſimilis alius eſt in numis gentis Caſſiae, legem Porciam de prouocatione.

II. Caput deae Libertatis. M. CATO PRO PR*aetore*. ROMA. = Victoria ſedens dextra pateram porrigit, laeua palmam tenet. VICTRIX. Scilicet iungenda ſunt: *Roma victrix.* Signati eſſe videntur hi numi Vticae vel Adrumeti, cum Cato reip. cauſſam aduerſus Caeſarem armis tueretur. *Morell.* 4.

III. *Quinarius.* Caput Liberi Patris hedera et baccis coronatum. A ceruice: M. CATO. Nota monetalis, folium. = Victoria ſedens, pateram praebens, laeua haſtam tenens. VICTRIX. *Morell. ibid.* 5.

IV. Alius quinarius ſimili typo. Videtur tamen caput viri potius eſſe quam dei.

POSTVMIA. I. Caput Dianae Venatricis, coma religata, cum arcu et pharetra ad humeros.

= Canis

= Canis venaticus currens: venabulum ſubter pedes protenſum. C. POSTVMI*us;* cum monogr. AT forte monetarii. *Morell.* 6.

II. Idem, etſi paullo diuerſae fabricae. Signati numi ab aliquo ex poſteris C. Poſtumi Albini, qui Xvir ſacris faciundis ludos ſaeculares curauerat.

III. Caput Dianae venatricis, coma in nodum comta: ex humero arcus cum pharetra, a vertice caput ceruinum, forte monetarii nota. = In monticulo victima bos ante aram ardentem: adſtat vir manu extenſa molam ſalſam inter cornua ſpargens. A. POST*umius Auli Filius. Spurii Nepos.* ALBIN*us.* Numus ſerratus. *Morell.* 7. Iterum memoria ludorum ſaecularium recolitur, qui in Apollinis et Dianae honorem habebantur: montem Auentinum Dianae ſacrum, expreſſum eſſe puta. Videntur autem ludi ſaeculares quartum habiti V. C. 605. reſpici.

IV. Caput Hiſpaniae velatum. HISPANIA. = Vir togatus ſtans manu eleuata ante aquilam legionariam, tanquam ſacramentum dicturus; a tergo faſces in terram defixi, qui imperium proconſulare denotant. A. POST*umius* A. F. S. N. ALBIN*us.* Videntur res a L. Poſtumio in Hiſpania feliciter geſtae innui; triumphauit is ex Luſitanis a. 575. *Morell. ibid. n.* 8.

PROCILIA. I. Caput Jovis laureatum. S. C. = Juno Soſpita Lanuuina gradiens, dextra haſtam vibrans, laeua ſcutum oblongum tenens. Ante pedes erigitur ſerpens: nota monetalis. L. PROCILI*us*

Digitized by Google

CILI*us* F. (Flaminem Junonis Lanuuinae declarari ſuſpicatur Hauercampus) *Morell. I.* Ortum autem ducebat gens Procilia a Lanuuinis.

II. Caput Junonis Lanuuinae pelle caprina tectum. S.C. = Juno Lanuuina in bigis, tenens ſcutulum et haſtam. Subter ſerpens aſſurgens. L. PROCILI*us* F. Numus ſerratus. *Morell. 2.*

ROSCIA. I. Caput Junonis Lanuuinae pelle caprina tectum. A ceruice ſignum obſcurum. L. ROSCI*i.* = Puella Lanuuina ſerpentem paſcens. FABATI. *Morell. I*, 1. Gentis Roſciae originem Lanuuinam illuſtrauit L. Roſcius Fabatus, C. Julii Caeſaris Quaeſtor in Galliis. Junoni autem Lanuvinae ſacer ſerpens notus vel ex Propert. IV, 8.

RVBRIA. I. *Quinarius.* Caput Neptuni laureatum cum tridente. DOSSEN*us.* = Victoria longam palmam geſtans, ante aram ſerpente implicitam. L. RVBRI*us.* Eum Hauercampus vnum ex octo praefectis vrbis a Caeſare conſtitutis fuiſſe, acute ſuſpicatur. *Morell. I.*

II. Caput Jovis laureatum cum ſceptro. DOSSEN*us.* = Thenſa quatuor equis iuncta, Jovis fulmine inſignita. Superuolat Victoria. L. RVBRI*us.* Spectat numus ad ludos Circenſes habitos. *Morell. 2.*

III. Idem typus: ſed in altera parte verba adiecta: L. RVBRI*us* IMP. CAES. TRAIAN*us* AVG. GER*manicus* DAC. P. P. *Morell. ibid.* A. eſt ex numis a Traiano reſtitutis: qui rariores ſunt.

IV.

IV. Caput Junonis velatum cum ſceptro. DOSſenus. = Ducitur ſimilis thenſa aquila inſignita, vt Jovis eam eſſe conſtet. L. RVBRIus. *Morell.* 3.

RVSTIA. I. Duae figurae muliebres, medio corpore ſupra aram, arietinis capitibus in extrema ſui parte ornatam, eminentes. Sunt autem Fortunae Antiates, altera *felix*, altera *fortis* caſſide ornata. Q. RVSTIVS. FORTVNAE ANTIATes. Ara inſcripta FORtunae REDuci. Infra: EX S. C. in ora: CAESARI AVGVSTO. Conſecrata illa ara ſub reditum Auguſti ex Aſia a. 735. Dio XLIV c. 10.

RVTILIA. I. Caput Romae galeatum. FLACcus = Victoria in citis bigis, dextra corollam tenens, laeua equorum habenas. L. RVTILIus. Fuit is Praetor prouincialis a. 600.

SCRIBONIA. I. Caput Boni Euentus. BONus EVENTus. LIBO. = Ara, appenſa corolla cum duabus lyris. Infra, malleolus. PVTEAL SCRIBONii. *Morell.* 3. Notiſſimus numus, cui alius ſimilis gentis Aemiliae eſt: ſignati illi a III. viris monetalibus L. Scribonio Libone, L. Aemilio Paullo et Manio Aemilio Lepido, et quidem, vt praeclare coniectat Hauercampus, ſub tempus pacis Brunduſinae a. 714. Scribonianum autem puteal arae formam habuiſſe, vel ex hoc numo apparet; exſtructum illud in loco ſacro, ſeu quod is caelo tactus, ſeu quod ſacellum ibi fuerat. Memoriam rei hoc numo ſeruare voluere III. viri, quos modo nominauimus.

SENTIA.

SENTIA. I. Caput Romae galeatum. ARGentum PVBlicum. = Jupiter in citis quadrigis, dextra ſceptrum, laeua fulmen tenens cum habenis. L. SENTIus Caii F. appoſita nota E. *Morell. I.*

SERGIA. I. Caput Romae galeatum. X. EX S.C. = Eques concitato curſu fertur, laeua gladium et caput abſciſſum ferens; dextra nulla apparet: M. SERGius SILVS *Quaeſtor*. Manifeſtum fit, virum fortiſſimum, M. Sergium Silum ab aliquo ex ea gente oriundo, ſeu Quaeſtore ſeu III Viro monetali, celebrari in hoc numo. Vixerat is bello Punico II. et dextra perdita, ſiniſtra quater fortiſſime pugnauit. Locus de eo claſſicus Plin. VII. 28. *Morell.* 1.

SERVILIA. I. Caput Romae galeatum; a ceruice nota Φ = Duo equites, alter Romanus, alter externo habitu, dimiſſis equis inter ſe pugnant. M. SERVEILIus Caii F. infra eſt littera D. *Morell.* 1, II. D. In altero galeam hircinis cornibus inſignem agnoſcunt viri docti, qui ornatus Macedonibus frequentatus eſſe videtur; itaque ad M. Servilium Pulicem Geminum referunt, qui vicies et ter cum hoſte per prouocationem pugnauit, et in Macedonia ſub Aemilio Paullo militans forte Macedonem aliquem illuſtri cum virtute proſtrauit.

II. Caput Romae galeatum. X. a ceruice corolla. = Dioſcuri, in equis ſubſultantibus auerſis, ipſi vultibus aduerſis. Alludunt illi ad Geminorum nomen et familiam gentis Seruiliae. C. SERVEILIus Marci F. *Morell.* 3.

III.

Digitized by Google

III. Caput deae Libertatis laureatum, a tergo lituus. ROMA. X. = Duo equites pugnantes; alter, parmam geſtans ſigla M ſuper fulmine inſignem, haſta transadigit alterum, qui gladio elato fugere videtur, equo ceſpitante. C. SERVILIVS. Siglam M ad eundem M. Geminum referunt, de quo ad n. I. diximus, vt eius alia ex prouocatione pugna exhibeatur. Potior tamen eſt Hauercampi ſuſpicio, referendum eſſe numum ad aliquem C. Servilium Augurem Manlianum, qui ex Manliis Torquatis adoptione in Seruiliam gentem tranſiit. *Morell.* 4.

IV. Caput Minervae galeatum cum aegide ad pectus. RVLLI. = Victoria in bigis dextra habenas, ſiniſtra palmam tenens. P. SERVILI*i* M*arci* F*ilii*. Sigla P. Videtur hic Rullus Quaeſtor provincialis ſub Sulla Praetore belli Mithridatici tempore numos hos ſignaſſe a. 661. *Cat.* v. Hauerc. *Morell. I,* 7.

SPVRIA. I. Caput Romae galeatum. X. = Diana in citis bigis. A. SPVRI*us*. *Morellius* Spuriliam gentem edidit. M. Spurius fuit inter percuſſores Caeſaris. v. Appian. B. Civ. II. p. 813 (499).

SVLPICIA. I. Caput Virginis Veſtalis velatum. S. C. = Culter, ſimpulum et ſeceſpita: Pontificatus inſignia. P. GALB*a* AED*ilis* CVR. *Morell.* 2. Si numus ab eodem P. Sulpicio Galba Aedili Curuli ſignatus eſt, extra ordinem iuſſu Senatus factum neceſſe eſt, quod alias ad III.viros monetales, et ad Quaeſtores muneris ratione ſpectabat. *Morell. I,* 2.

Digitized by Google

THORIA. I. Caput Junonis Lanuuinae pelle caprina tectum: ad originem gentis Thoriae Lanuvinam declarandam. I. S. M. R. (*Iuno Soſpita Magna Regina*) = Taurus proterue proſiliens. Subter: L. THORIVS BALBVS. Superque ſigla G. Thorius hic Quaeſtor forte inter XX illos Lege Cornelia creatos V. C. 673. *Cat.* qui vita iucundiſſime exacta Ciceroni de fin. II, 20. celebratur, patris Sp. Thorii Balbi Tribuni pl. 646. Legem agrariam, et de pecore agros alienos depaſcente, typo tauri in memoriam reuocauit. *Morell. I.*

TITIA. I. Caput Bacchi barbati diademate alato reuinctum. = Pegaſus ad volatum ſe erigens. Q. TITI*us*. *Morell.* 1. Quaeſtor aliquis ex gente Titia memoriam C. Titii Equitis, tragoediarum auctoris, quem L. Afranius imitari ſtuduit, vt Cic. in Brut. 45. ait, recoluit. In Bacchi tutela tragoedia: alae capiti appoſitae videntur ſymbolicam vim, ſiue ad ingenii ſiue ad orationis tragicae naturam declarandam, habere.

II. Caput deae Liberae hedera et pampino revinctum. = Iterum Pegaſus. Q. TITI*us* n. 2.

III. *Quinarius*. Caput Victoriae, humero alato. = Item Pegaſus. Q. TITI*us*. n. 3.

TITVRIA. I. Caput regis Tatii Sabini. SABIN*us*. ante mentum palma. = Virgo Tarpeia ſcutis obruta inter duos Sabinos. L. TITVRI*us*. *Morell. I.* A. Originem gentis e Sabinis declarat numus a L. Titurio Quaeſtore ſignatus. cf. Hauerc.

II. Idem prorſus typus: ſed ſtella cum luna ſupra Virginem Tarpeiam appoſita, forte ad noctem,

qua

Digitized by Google

qua proditio Capitolii facta, declarandam. *Morell. ibid.* B.

III. Caput regis Tatii Sabini. A (*Tatius*) SABIN*us*. = Raptus Sabinarum: duo Romani Sabinas ſublatas auferunt. L. TITVRI*us*. *Morell.* 3.

IV. Caput regis Tatii Sabini. SABIN*us*. = Victoria in citis bigis, laeua habenas tenens, dextra corollam praeferens. L. TITVRI*us*. infra obſcura ſigla. *Morell. ibid.* F.

TVLLIA. I. Caput Romae galeatum. ROMA. = Victoria ſtans in quadrigis citis, dextra parazonium, laeua longam palmam cum habenis tenens. Superne corolla, infra X. ſubter: M. TVLLI*us*. Signatus numus a M. Tullio Decula, patre an filio, Quaeſtore vrbano ſeu III.viro monetali. *Morell. I.*

VALERIA. I. Caput Apollinis radiatum et diademate reuinctum; a ceruice aciſculus, ſeu parua aſcia, quae Aciſculorum familiae e gente Valeria nomen dedit. ACISCVLVS. = Diana in citis bigis, dextra flagellum, laeua habenas tenens. L. VALERIVS. Videtur is e III.viris monetalibus Auguſti aetate fuiſſe. *Morell. I,* 5.

II. Victoriae caput cum humeris alatis, coma in nodum comta: poſt illud tripus; nota monetalis. = Aquila legionaria inter duo ſigna militaria inſcripta litteris H. et P. (*Haſtatos* et *Principes* denotant) C. VAL*erius* FLA*ccus* IMPERAT*or*. Ex S. C. *Morell. I,* 7. Magna horum denariorum vis diuerſis cum notis exſtat, vt a Quaeſtore C. Valerii Flacci, Imperatoris ex victoria dicti, incertum cuius, ex manubiis eos eſſe ſignatos colligi poſſit.

Digitized by Google

III. Caput Victoriae pectore tenus, humeris alatis, coma ad verticem reuincta. X. = Mars tropaeophorus ſtans; laeua tropaeum, dextra haſtam transuerſam tenens: a laeua ſpica frumenti, a dextra apex flaminius. *Morell. II,* 2. Cum duo L. Valerii Flacci Flamines memorentur, alter Coſ. 622. v. Cic. Phil. XI, 8. alter Praetor Aſiae 691. pro quo Cicero cauſſam dixit, v. Cic. de Div. I, 46. alii numum ad priorem referunt, Hauercampus ad poſteriorem, vt ab eius filio ſignatus ſit, quem inter octo praefectos a Caeſare in Hiſpaniam profecturo conſtitutos fuiſſe coniicit.

VARGVNTEIA. I. Caput Romae galeatum. X. M. VARG*unteius.* = Jupiter in quadrigis triumphalibus, dextra palmam, laeua fulmen cum equorum habenis tenens. ROMA. *Morell. I.*

VIBIA. I. Caput Apollinis laureatum. PANSA. = Minerva tropaeuchos in quadrigis concitatis. C. VIBIVS C. F. Magna horum numorum copia exſtat: qui ob victoriam de M. Antonio ab M. Hirtio et C. Panſa Coſſ. reportatam cuſi videntur. Apollinis caput reſpicere putatur praeturam Panſae vrbanam, in qua ludos Apollinares curauerat. *Morell. t. I,* 8.

II. Sileni perſona ſcenica. PANSA. = Jupiter Anxur, capite radiato, corpore ſeminudo, ſedens, laeua haſtam, dextra pateram tenens. C. VIBIVS. C*aii* F. C. N. IOVIS ANXVRIS. Origo Vibiae gentis e Campania declaratur per Jovem Anxurem praecipua religione Terracinae coli ſolitum. v. ad Virg. Aen. VII, 797. Sileni autem perſona Libe-

ralia

ralia innuit, olim ab Aedili curuli C. Panſa, nunc Conſule, celebrata. *Morell. II,* 2.

III. Idem fere typus: poſt Sileni perſonam tibia cernitur. *Morell. II,* A.

IV. Caput deae Liberae hedera et pampino coronatum. PANSA. = Ceres ſpicis redimita, vtraque manu faces accenſas gerens: ante pedes aratrum. C. VIBIVS C. F. C. N. *ibid.* 3. Etiam Liberalia reſpicit.

V. Caput deae Libertatis laureatum. LIBERTATIS. = Roma habitu militari, dextra haſtam, laeua parazonium tenens, ſpoliis inſidens, laeuo pede orbi terrarum impoſito: a Victoria aduolante coronatur. Numus rarus, praeclarum victoriae ad Mutinam monimentum. C. PANSA, C. F. C. N. *Morell. ibid.* 5.

VI. Perſona Sileni ſcenica. C. PANSA. = Duae dextrae iunctae tenentes caduceum alatum. ALBINVS BRVTI F. Occiſo Hirtio datus a Senatu D. Junius Brutus Albinus Panſae collega. Numus aereus, ſimilis denario ap. *Morell. ibid.* 6.

VOLTEIA. I. Caput Jovis laureatum. = Templum Jovis Capitolini tetraſtylum; in faſtigii vmbone fulmen. M. VOLTEI*i* M. F. *Morell. I.* M. Volteium IIII.virum monetalem cum C. Vibio Varo Octaviani III.viri tempore ſuſpicatur Haverc. in ceteris nimium argutus.

II. Caput deae Liberae hedera et pampino redimitum = Ceres in draconum bigis vtraque manu facem tenens. A tergo folium, nota fabrilis. M. VOLTEI M. F.

 Incerta-

Incertarum gentium, cum nullae notae ſatis clare appoſitae ſint, adhuc ſubiiciemus numos aliquot.

I. Caput Romae galea alata indutum. X. ROMA. = Roma ſpoliis inſidens, haſtata, accubante lupa cum gemellis, augurium captat inter geminos vultures. *Morell.* Inc. t. 1. VII.

II. Caput Veiouis laureatum; ſubtus fulmen. = Jupiter fulmen emittens, in quadrigis. Ad Sentiam gentem ſpectare creditur. *Morell. 3*, II.

III. Caput Romae galea alata indutum. X. = Dioſcuri haſtati in equis concitatis. ROMA. *Morell. t.* 3. III.

IIII. Caput Jovis Capitolini laureatum = Victoria coronat tropaeum. ROMA. *ibid.* VI.

Tandem ſubleſtae fidei numos commemorare placet tres:

I. Caput, quale Victoriae eſſe ſolet, ſine alis, niſi Veneris eſt. ROM*a.* = Dea Victoria pateram porrigens, ſellae inſidens, intra quam ſiglae ST (ſ. *ſecuritas temporum.*)

II. Caput viri nudum: TREBONIVS. = Gryphus ante arborem, cui acclinatum eſt tympanum: poſt illud inſtrumentum muſicum: ſupra gryphum ſtella.

III. Caput viri nudum, a ceruice caduceus. SERTORIVS cum nota 9. = Cerua, Sertorio amata. PROVIDEN*tia* MILITAR*is.*

Et

Digitized by Google

Et haec quidem de numis familiarum Romanarum in Muſeo noſtro academico ſeruatis; nam Imperatorum Romanorum numos omnis generis ac moduli, cum barbarorum numis, et bracteatis, tum recentiorum temporum numos enarrandos in aliud tempus ſeponere neceſſe eſt. In hac autem opera noſtra quid ſequuti ſimus, facile perſpicitur: ſcilicet cenſenda illa eſt ex eo, quod diligentiam adhibuimus in indagando, ad quam gentem ac familiam numus quisque ſpectaret, et in comparando eo cum iis, quorum delineatio et deſcriptio a viris doctis iam prodita eſt. Nec vero opes noſtras cum vllo regum ac principum gazophylacio contendere poſſe, ſatis perſpectum habemus; ſumus pauperes in aere noſtro; quod ſi qui ſunt, qui ſeu publica ſeu priuata liberalitate arculas noſtras locupletare voluerint, gratia iis habebitur publice ac priuatim. Vt tamen haec, quae in illis adhuc ſunt recondita, recenſeremus, ea maxime cauſſa nos adduxit, Commilitones, quod, quid in copiolis hiſce noſtris contineretur, publice declarandum eſſe videbatur, vt, ſi quis eſſet veſtrum, cuius intereſſet, harum rerum guſtum habere, facultatem eas cognoſcendi in Georgia Auguſta non deeſſe intelligeret. Eo enim conſilio omnium harum opum ſeu naturae ſeu ingenii humani, quas partim Bibliotheca publica, partim Muſeum continet, prouiſus factus eſt, vt inſtrumenta ingenuae doctrinae, ſine quibus nulla ingeniorum ſollertia aut ſubtilitas ſatis proficere poteſt, deſiderantibus in promtu ſint: inter ea autem cum libraria ſupellex cenſenda, tum bibliotheca altera, eaque multo amplior et ad veram doctrinam haud

 minus

minus neceſſaria, naturae inquam: quam et ipſam inſtructam vobis Regio beneficio et apertam videtis.

Nunc quod in manibus eſt, ne dimittamus, curandum eſt: rogandi nimirum eſtis, Commilitones, vt die craſtino, et pompae in templum academicum ducendae, et ſollennibus celebrandis, beneuoli et fauentes adeſſe, ipſaque veſtra frequentia pietatem ac ſtudium veſtrum in almam Georgiam Auguſtam declarare velitis. P. P. d. XVI. Sept. CIↃ IↃ CCLXXVIII.

ORATIO

ORATIO

IN SOLLENNIBVS PARENTALIBVS *)
GEORGIAE AVGVSTAE

IN

HONOREM AC MEMORIAM
MVNCHHVSIANAM

PIE CELEBRATIS

AVCTORITATE
GEORGIAE AVGVSTAE PRORECTORIS
GEORGII LVDOVICI BOEHMER
ET SENATVS

HABITA
A
CHR. GOTTL. HEYNE
ELOQV. PROF.

D. XXVIII. DEC. CIↃIↃCCLXX.

---

*) Indicta illa ſunt per Programma Vol. I. Opuſc. inſertum p. 383.

Digitized by Google

Vir eſt optimus, et inter praecipua ſaeculi ornamenta numerandus: colit ſtudia, ſtudioſos amat, fouet, prouehit, multorumque, qui aliqua componunt, portus, ſinus, praemium; omnium exemplum; ipſarum denique litterarum iam ſeneſcentium reductor ac reformator.

Plin. Epiſt. VIII, 12.

Digitized by Google

PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE,

ILLVSTRISSIMI COMITES,

AVDITORES SVO QVISQVE LOCO ET HONORIS DIGNITATIS AETATIS GRADV HONORATISSIMI,

Munus hoc veſtra auctoritate, Patres, mihi impoſitum, vt moerorem veſtrum ac luctum in grauiſſimo, qui nos perculit, caſu his, qui confluxerunt, Ciuibus Amicisque noſtris interpreter, ſentio quidem quam honorificum mihi ſit; nunquam tamen onus me ſubire memini, cui perferendo minus parem me ſentirem. Siue enim ipſum luctum noſtrum, ſiue luctus cauſſas attendo, omnia video viribus meis eſſe maiora. Vt vero Eius Viri, in cuius honorem ſolenne hoc officium ſuſceptum, celebritas haec eſt facta, nomine ac memoria digna proferam, id vero plane deſpero. Deficiunt enim me ea ipſa, quae alias imbecillitatem meam firmare, animum erigere et incitare poterant: feſti diei hilaritas, publica laetitia, inprimisque reſpectus ad eum, ad quem conſilia noſtra et incepta referre ſolebamus, quem noſtris quoque coetibus et conſeſſibus animo ac mente intereſſe, eaque, quae in iis recte erant geſta et curata, comprobare et benigne laudare noramus. At nunc ad retardandos et hebetandos quosuis animi impetus omnia comparata eſſe video. Plura me circumſtant, quibus contur-

conturbari me neceſſe eſt: moeroris mei et debilitati animi conſcientia; in hac ipſa noſtra celebritate triſtis taciturnitas; lugubris loci ſancti facies, veſtri obtutus defixi, oris triſtitia ac ſollicitudo; et omnium maxime moeſtiſſima illa cogitatio, non iam eſſe Mvnchhvsivm, cui haec ipſa ſollennia, hanc laudationem approbare poſſim.

Doloris veſtri interpretem me excitaſtis! Quo ſtudio, quo tandem ingenio me hoc aſſequuturum putatis, vt veſtris voluntatibus ſatisfaciam? Nam cum natura ſua magnus dolor ſenſusque animi graviter affecti ad efferendum oratione commoda difficilis eſt, tum multo magis alienus. Quicquid itaque, etiam cum vi aliqua, extulero, ſemper veſtrum erunt plures, quibus ea ſenſu ſuo videbuntur minora. Quae omnia tanto magis mihi metuenda eſſe ſentio, quo minus mihi ipſi a me ſatis fieri video. Tanto enim moerore, tanta aegritudine confectum, animo fractum, deiectum, me eſſe ſentio, vt quotidianis quoque curis per hos dies impar fuerim, omnium rerum taedio, tanquam tabe, conſumar, nulliusque non intentioris cogitationis prorſus ſim impatiens. Qui itaque meum dolorem grauiſſimum tacitus concoquere poſſe optabam, et fortunae ferendae aſſueſcere, ille ego ad luctum publicum oratione declarandum euocor? qui in ſolitudinem abdere me cogitabam, in celebritatem hanc extrahor? qui in me ipſo deprehendo, quanto eloquentior omni voce animi dolor ſit, ad communem veſtrum dolorem eloquendum excitor? Quod niſi mature me ad hoc comparaſſem, vt omnia

facienda

facienda et patienda putarem, quae muneris ſemel ſuſcepti rationes poſtulant, vtque officii ſanctitatem eodem loco haberem ac fati neceſſitatem, quae nullam excuſationem admittit, nunc ſaltem onus impoſitum detrectandum mihi eſſe arbitrarer. Sed apud virum bonum officii ſummam legem eſſe debere memini; et ſuſtentat recreatque me illa cogitatio, quod ad memoriam immortalis Mvnchhvsii colendam, animisque cum noſtrum omnium, tum huius inprimis florentiſſimae Iuuentutis, altius et in imas praecordiorum radices infigendam et in omne aeuum perpetuandam, cuncta haec parata eſſe video. Si quid enim eſt, quod languentem et demiſſum animum excitare poſſit, aio ac candide profiteor hoc ſtudium eſſe, hunc ardorem, quo ad perſoluendam hanc Mvnchhvsiano nomini debitam pietatem inflammatus ſum; quam, etſi pro officii noſtri magnitudine nunquam ſatis teſtatam facere poterimus, volo tamen ac cupio eam quam fieri poteſt luculentiſſime et omnium hominum confeſſione veriſſime demonſtratam et ad omnem poſteritatem proditam eſſe. Nam hoc equidem animo prouideo ac praeſentio, vobisque, Auditores, palam praedico, ſeram, et vero etiam vltimam, poſteritatem, vbi Georgiae Auguſtae origines recognoſcet, immortalia Mvnchhvsii facta, curas ac conſilia in ea tuenda ornandaque memoriae mandata leget, cum, quae innumera et diuina in nos collata fuerint beneficia, cognouerit, identidem quaeſituram eſſe, qua vero mente nos tantis meritis reſponderimus? quam gratis ac deuotis tanti Viri nomini voluntatibus inter iſta omnia fuerimus? quod tandem

dem ad teſtandam animorum pietatem religionis noſtrae ac fidei monumentum nobis ſuperſtes eſſe voluerimus? Quo itaque pro virili et ipſe proſpiciam, vt iis qui poſt nos erunt, parata ſit reſponſio, lubenter auctoritate veſtra mandatum munus in me recipio, et, quantum in me erit, ne veſtrae pietatis ſenſus mea oratione attenuetur, cum fide curabo. Inter volentes et procliues ad cauſſam animos facundiam approbare non adeo difficile eſſe poteſt. Nihil proferre, nihil eloqui potero, ſiue ad animorum ſenſum ſiue ad pietatis affectum, quo non dicentem me veſtri animi anteuertant; nihil laudabile, nihil praeclarum de Mvnchhvsio potero memorare, quin memoria veſtra plura, et pleniora, et maiora, animis veſtris ſubiiciat.

Quo tamen ordine mihi procedendum ſit, Auditores, qui in tanta rerum copia dilectus, qui materiae, ſi qua alia fuit, ad dicendum feliciſſimae tractandae modus, in hac deliberatione fateor diu me defixum animo exitum non reperire; Quid? quod inter tot ac tanta rerum argumenta, ipſa dicendi principia inuenire difficile videri debet. Sed in hac tanta difficultate, florentiſſimi Iuuenes, a vobis conſilium et rationem petam. Si veſtrum quisque parente ſuo, quam tamen fati acerbitatem per multos adhuc annos a cunctis abeſſe iubeat numen O. M. ſed ſi parente morte ſibi erepto quisquam veſtrum cum amicis ſuis ac familiaribus ſermones habiturus eſſet, quale ſermonum argumentum fore putabimus? In ſumma animi aegritudine, qua de re lubentius commemorabitis, quem ad eloquendum,

quendum, narrandum, laudandum, copioſiorem ac locupletiorem locum habebitis, quam hunc: at bonus erat pater, benignus, indulgens! beneficia accepta enumerabitis, curas, vigilias pro veſtra ſalute, amorem et caritatem in vos ſummam commemorabitis. Agedum in iisdem conſumemus et nos orationem noſtram; faciemus *breuem recenſum eorum meritorum et beneficiorum*, quae parens noſter communis in nos cumulauit, *earumque virtutum exemplar* proponemus, ex quibus illa munificentia in nos fluxit. His iisdem ſpero me aſſequuturum, vt animos veſtros non difficulter teneam; nec vereor, ne quisquam veſtrum ſit, qui rem parum gratam aut non vel ſe vel nobis vel hoc die ſatis dignam a me exponi arbitretur. Tu autem, ſancta Anima, quae olim mente et cogitatione noſtris coetibus adeſſe ſolebas, nunc corpore libera, etſi in beatas regiones euolaſti, tamen etiamnum tanquam Genius Georgiae tuae Auguſtae nos inuiſere, noſtra concilia obire, ſacris noſtris cerimoniis intereſſe non dedignaris; te videre videor de beata ſede delapſam nos reuiſere, templi ſanctitatem, ſolemnium cerimoniam auguſtam, acerbum horum luctum, meum grauem dolorem, communem omnium pietatem, reſpicere. At tu, ſancta Anima, pium officium memoriae tuae tuaeque virtutis recolendae propitia ac volens accipere nobisque porro fauere dignare.

Quae quidem in condenda conditaque ſub auſpiciis Regis Auguſtiſſimi, nunc in beatas ſedes recepti, GEORGII Secundi Academia MVNCHHVSII,

immortalis

immortalis Viri, conſilia, ſtudia et labores fuerint, vt nunc exponam; a me non expectatis, Auditores, et ſi quis expectet, cum meus ad hanc Academiam acceſſus ab ipſis originibus nimis longe abſit, quo minus eius voluntati ſatisfaciam, verecundia mea intercedit. Eſt tamen opus fundatum, eductum, ornatum eiusmodi, vt vel primo adſpectu ſatis prodat, quae mens, quae prudentia, quam capax magni conſilii animus, quae curarum moles, quod ſtudium, quae laboris perſeuerantia, eius eſſe debuerit, qui illud eduxerit. Enimuero nec minoris molis, forte etiam difficilioris curae res eſt, remp. academicam bene conditam bene tueri, inchoata perficere, infirma firmare, ad aliquam celebritatem et nomen non clamoribus et inani ſtrepitu, ſed vera ac ſolida et manſura laude, academiam euehere; multas res, quae tali reip. litterariae fatales eſſe ſolent, praecidere vel occupare, alias, quae vtilitatem habere poſſunt, adiuuare et temperare. Primordia enim vnicuique academiae ipſa rei nouitate ad famam aliquam ſunt ſalubria; vbi vero in altum euecta nauis curſum inſtituere coepit, proſpectus taedio victi homines ad alias curas ſe auertunt; interea illa immenſo ponto iactata modo vela aut funes accuſat parum idoneos, nimis laxos vel intentos, modo ſocios nauales parum operae intentos; inter haec ea ad ſcopulum aliquem ſolet adhaereſcere nec curſum tenere. Summam igitur prudentiae ac mirae alicuius ſollertiae curaeque indefeſſae laudem prouenire neceſſe eſt ex rebus Academiae, a primis naſcendi primordiis progreſſae, feliciter adminiſtratis et ad maiorum rerum initia prouectis.

prouectis. Nam ea, quibus vniuerſitas litteraria, quamcunque partem ſpectetis, inſtructa eſſe debet, multa et varia et inter ſe diuerſa ſunt; pertinaci tamen ſtudio, vigilia ac labore, omnia et ſingula proſequenda. Praeter illa enim, quae cum ceteris reip. partibus communia ſunt huic curae, is, qui academicam remp. moderatur, deſcriptam animo habere debet omnem eius formam et naturam, operis partes ac leges, ſingula machinae, vt hoc vtamur, organa, eorum vires, conditiones, caſus; multarum rerum, quae ad diſciplinam publicam priuatamque, vrbis et academiae iura, vtilitates et ornamenta, ſpectant, notitias mente complecti; informatam animo habere totius litterarum ambitus adumbrationem aliquam; ſingularum diſciplinarum dignitatem, neceſſitatem vel vtilitatem, omniumque inter ſe rationes mutuas cum ad vniuerſam remp. tum ad academiae ſtatum ac tempora tenere: incrementa rei litterariae noſſe eiusque exuberationes vel defectiones; ſaeculi quoque ſaporem ac iudicium notum habere; nec haec omnia in vna aliqua diſciplina; id quod tamen viris doctis ad magnam eruditionis exiſtimationem interdum ſatis eſt; verum in omnibus et vniuerſis diſciplinis, etiam in iis, quarum nondum inuentus erat idoneus doctor et auctor. Ad tot ac tantas curas, quarum magnitudinem vos ipſi aeſtimate, Mvnchhvsii ingenium magnum et ad ardua conſilia nata mens vacabat, et quidem inter ſumma reip. negotia et officia, vt tamen huic vni curae totum addictum putaſſes; etiam minoris momenti rebus ſollicite prouidens, aut maioribus eas ſollerter attemperans.

 Iam

Iam primum in deſcribenda et componenda inſtruendaque Vniuerſitate noſtra quantum Ille vltra ſaeculi ſui ſapientiam ſapuit! inprimis ſi eos annos animis reputetis, in quos eius prima aetas inciderat! Quod enim nunc de academiarum naturis ac cauſſis iudicia paullo ſubtiliora etiam ab eruditis viris in medium proferri coepere, Gottingae noſtrae magna ex parte debetur; quandoquidem, quoniam in hac Academia multa aliter et melius inſtituta eſſe videbant homines, contemplatione eius rei et obſeruatione excitati in cauſſas ac finem conſiliis propoſitum tentarunt inquirere, hinc ad alia progredi. Verum Mvnchhvsivs iam tum, cum nec inter eruditos quisquam ea de re cogitaret, vidit in academiis multa eſſe ex antiqua diſciplina monachica, nec vnius aeui vel populi, profecta, quae a meliorum temporum ratione aliena ſunt, ſaltem ſua ratione nunc deſtituuntur. Litterarum a Bononienſis inde vel Pariſienſis Vniuerſitatis originibus quanta facta ſunt incrementa! quam immutata ſingularum diſciplinarum, philoſophicarum inprimis, facies! nonnulla etiam noua earum genera ac nomina exorta, eaque priſtinis illis vtiliora forte et potiora! commercia etiam hominum rerumque, diuerſarumque inter ſe gentium, maiora!

Longa eſſet oratio, ſi perſequi vellem, quae in ſtudiorum ratione ex iis cauſſis aut mutata ſunt aut mutari debuerunt. Haec vidiſſe et animaduertiſſe, magna erat in Mvnchhvsio ſollertiae et ſagacitatis laus; nunc ſobriam eius ſapientiam, prudentem ac cautam moderatamque diligentiam cognoſcite

gnoſcite. Multum ab eorum rationibus abfuit, qui, cum viderent in ciuitatibus noſtris et imperiis eſſe nonnulla propter temporum, in quibus conſtituta fuere, barbariem male deſcripta aut etiam vſu deprauata, ſocietates hominum ad ordinem aliquem naturalem, quem dicunt, reuocare voluerunt, quem ſi ſequerentur homines, breui haberemus omnino nec ciuitatem nec libertatem. Simili modo ſi quis aut nunc, aut multo magis ante hos XL annos, Academiam condere vellet, qualem ipſa litterarum ac diſciplinarum ſubtilis aliqua deſcriptio poſtularet, quam parum ille aut reip. conſulturus aut conſilio ſuo proſpecturus eſſet! Quid enim? Facultatibus his, quas barbaries inuexit, proſcriptis, eruntne qui talem academiam frequentare velint? Doctorum, quos vocant, renuntiationibus, examinibus et diſputationibus ſublatis, an ex hac diſciplina progreſſos loco aliquo habendos putabunt? Minus calide, et eo ſapientius Mvnchhvsivs: Noluit nimium diſcedere ab antiqua academiarum forma ac ratione, ſed res maluit eo deducere, vt facie externa eadem ſeruata indoles earum et natura emendaretur; labes, ſi qua inhaereret, ſenſim ſenſimque elueretur, integritas et ſinceritas non animaduertentibus reſtitueretur. Omnino, ſi quid video, maior eius eſt ſapientia, qui, quum laborare res humanas ſuis infirmitatibus videat, cum ſine magna ruina aut ſaltem labefactatione eorum, quae ſalua ſunt, commode et vtiliter ſuccurri non poſſe videat, diſſimulare eas malit et tacite remedia applicare, quibus vis mali poſſit aut reprimi aut diminui.

 Interea

Interea in Academiae deſcriptione et conſtitutione cum ab initio tum temporum ſucceſſu diſſimulanter plurima mutauit, multa adiecit immortalis Mvnchhvsivs, quibus quaſi ex cella monaſteriali in campum et puluerem vitae ciuilis eruditio educeretur. Primum *libertatem cogitandi, ſentiendi, ſcribendi,* ſciuit et fundauit; qua an maius bonum mortalibus dari poſſit dubito; vt, ſi nullum aliud beneficium Regiis auſpiciis in nos contuliſſet, hoc vno tamen nomine Germaniae deliciae Mvnchhvsivs eſſet appellandus. Nam hac ipſa re in ſingulas fere diſciplinas, in hiſtoricas inprimis, et Iuris publici diſciplinam, lucem intulit nouam lateque omnia colluſtrauit; ſimul per alias Germaniae partes, etiam in aliis officiorum ac rerum generibus, libertatis recte ſentiendi tanquam ſigna extulit. Hoc tanto bono Germaniae parto, ſalue alma Georgia Auguſta, vere Auguſta, ſancta Libertatis parens, ad humanitatis decus et ornamentum nata. Huius libertatis cogitatione animum meum curarum laborumque aſſiduitate fractum ſaepe recreare ſoleo: At liber tamen ſum! libere viuere, dicere, iudicare de rebus, ac tuto poſſum! Hoc quidem bono contineri video quicquid ceteris vitae bonis dulcedinem veram et plenam iucunditatem affundere poteſt; et hoc bono erepto ceterorum bonorum omnium fructum, ſtudiorum illecebras, ingenii fomenta, ingenuam doctrinam, ſapientiam, veritatem, ipſam humanitatem eripi. Hanc noſtram felicitatem ſummam teneamus, o Patres; homini ſobrio ac generoſo miſeria cogitari maior poteſt nulla, quam animi ſenſus, ingenii inuenta, mentis iudicia, metu

aliorum,

Digitized by Google

aliorum, quorum obtuſum acumen et ipſe et ſanus quisque rideat, diſſimulare et occultare, aut ſi quid dentium clauſtra perruperit, puſillorum animorum et ingeniorum odia ſuſcipere, in religionis ac pietatis malam ſuſpicionem adduci. De Georgiae Auguſtae fortuna, Deus omen auertat, nunquam equidem metuam; ſed vt metuam, habere me arbitrabor tum, ſi qua mala fraus hominis hanc nobis Aegidem, hoc Palladium eripuerit. Non deerunt ingenia praeclara et ornata, non deerit honeſta induſtria: modo nulla auctoritas in formulas ac verba aliorum iurare cogat.

Sed video libertatis dulcedine delinitum animum diutius in ea haeſiſſe, quam res ferebat. Alia enim erant enumeranda, quae ad litterarum ac diſciplinarum deſcriptionem meliorem et commodiorem Mvnchhvsiana inſtituta pepererunt: etſi video omnia a me breuiſſimis eſſe comprehendenda. Cupio vero quam maxime abducere et ſeiungere orationem meam a laudibus Georgiae Auguſtae, quibus, tametſi pleraque, quae de Mvnchhvsio dicenda habeo, cum iisdem ſunt coniunctiſſima, et quamuis is, qui Mvnchhvsianvm opus omnium clariſſimum laudet, Mvnchhvsivm ipſum laudaſſe videri debeat, tamen nunc locum non eſſe, ſatis ſentio.

Itaque poſt libertatem, Mvnchhvsii cura et prouidentia inprimis eo ſpectauit, vt vitae et reipublicae doceretur diſcereturque; vt ſtudiorum academicorum ratio et ordo ad certa conſilia et fines

Digitized by Google

referretur; vt ad vitam ciuilem ſtatim ipſa inſtitutio academica attemperaretur; vt, quae publice priuatimue vtilia eſſent, praeferrentur ſtudiis otioſis et vmbraticis; vt auocata ab inani verborum ſtrepitu et a ſcholae triſtitia ad vitae humanae cultum eruditio adduceretur; vt tamen ſolida eſſet et accurata; vt ex fontibus hauſta, vt a ſuis principiis ac cauſſis ducta; vt iis omnibus, quae viam et acceſſum muniunt, et adminicula praebent, inſtructa eſſet; vt tandem multa, quae in academicae diſciplinae cenſum ſuperiore tempore aut vix aut nunquam venire ſolebant, vitam tamen poſſent iuuare vel ornare, in illum cenſum reciperentur; quae iam in cenſu erant, ipſa docendi ratione, deſcriptione partium, principiorum et argumentorum veritate, dilectu et robore, rerum ordine et lumine, adiumenti aliquid vel ornamenti ex Gottingenſi ſchola mutuarentur.

Itaque de orbe aliquo diſciplinarum et ſtudiorum academico, certaque per annos deſcriptione, regendisque omnino ſtudiis academicis, praeclare merita eſt magna Mvnchhvsii mens; eaque ipſa re diſciplinarum omnium inter ſe fines, prouinciae, agri, accuratius conſtitui, quae inter ſe contigua ac finitima, et ad mutuam opem vel vtilitatem afferendam accipiendamque opportuna eſſent, clarius apparere, vniuerſus eruditionis ambitus et area patere, de partitione diſciplinarum, diuerſaque ſingularum auctoritate et dignitate, deque commoda ſingulas diſciplinas tractandi et diſpeſcendi ratione melius conſtare coepit. Gottingenſis certe diſciplinas tradendi ratio adeo ſe probare coepit, vt in aliis paſſim academiis eam ſequi non pigeret.

Diſci-

Diſciplinam porro. quae quicquam fructus ad remp. et vſum liberalem haberet, eſſe voluit nullam, quae non Gottingae doctorem ſuum haberet; et, quoties diſciplinae partem ſpeciatim alicubi vel emendatam vel diligentius excultam audiſſet, protinus et hanc in Academiam ſuam illatam eſſe voluit, vti in Oeconomia priuata, Architectura militari et Tactica, et nuper in arte veterinaria vidimus; et vt artium antiquitatisque ſtudium elegantius, exterorumque populorum litterae, a noſtra Academia non exulent, Mvnchhvsiana vtique cura et auctoritate prouiſum eſt. Itaque lectionum per ſemeſtre habendarum recenſus encyclopaediae alicuius ſpeciem prae ſe ferre videri poterat.

In illud tamen omnium maxime curis ſuis et conſiliis inuigilauit, vt, quae vitam ciuilem ornant, litterae inprimis cum vbertate et diligentia docerentur. Itaque Iurisprudentiae per Germaniam coli ſolitae partes et diſciplinas omnino omnes Gottingae expolitas eſſe voluit *), rem iudiciariam imperii R. G. nondum in academiis frequentari ſolitam in hanc Academiam induxit, easque lectiones haberi iuſſit, quae ad forum resque agendas curandasque inſtruunt animos matureque aſſuefaciunt. Porro prouidit, vt tum Imperii R. G. tum Regnorum Europaeorum et Ordinum Germaniae hiſtoria earum rerum apparatu et copiis, ſine quibus totum hoc ſtudium ieiunum et exile eſſe neceſſe eſt, ad-

 ornata

*) Inprimis Ius *Germanicum priuatum*, *feudale*, *canonicum*, *eccleſiaſticum*, *criminale*.

Digitized by Google

ornata eſſet; vt adeo hiſtoria, recentiorum inprimis temporum, ad vſum vitae accommodatius poſſet tradi eique Ius publicum German. ſuperſtrui, quod in ipſis negotiis et officiis vtilitate ſua ſe approbaret; ſi quidem Mvnchhvsii cura ea adiumenta ſuppeditata fuerunt, quibus academici viri vix ſolent potiri. Iisdem praeſidiis inſtructa fuit rerump. Europaearum notitia politica, tum ſcientia politica, cum Iure publico vniuerſali et Iure Gentium Europaearum, quod in more, vſu et conſuetudine poſitum eſt; iisdem praeſidiis et copiis numiſmatica, diplomatica et heraldica. Terrarum populorumque deſcriptionis accuratioris initia Mvnchhvsivm experta ſunt fautorem ſummum; Hiſtoria vero litteraria, quae iam ante Gottingae incunabula ſua habuerat, eadem Eius cura, inſtructiſſimae inprimis bibliothecae copiis, auctus inſignes accepit. In theologicis diſciplinis ſuperſtitioſum et puſillanimum prauae alicuius acerbitatis ſtudium magna Eius mens nunquam cepit nec admiſit; pura et recta eſſe pietatis ſtudia, doctrinam autem theologicam, non formula aliqua, inter controuerſiae et diſputationis aeſtum, iurgia, ſtudia, nata, ſed philologicis, criticis, hiſtoricis fundamentis ſubſtructam eſſe voluit. Itaque litterarum, inprimisque Graeciae et Orientis veteris, quanta decora Gottingae extiterunt! Dogmatum tandem ſymbolicaeque theologiae et rerum eccleſiaſticarum hiſtoria incrementa inter nos habuit tanta, quanta ex meliore philoſophia, interpretatione et lectione ad critices lapidem Lydium explorata expectari potuit.

Nec

Nec tamen illa doctrinarum genera, quae extra academiarum fines olim efflorescere ſolebant, homine tamen inprimis digna ſunt, eumque, quem ſapientem eſſe volumus, omnium maxime conſtituunt, quod MVNCHHVSIO imputent, habent nihil. Floruerunt Eo curante Gottingae viri, qui hiſtoria naturali, ipſiusque naturae ſtudio, in contemplatione rerum, obſeruatione et experimentis conſtituto et fundato, porro in matheſi vniuerſa, eiusque partibus, analyſi, aſtronomia, mechanica et architectura, non ſolum concinnius, exactius, et vberius, quam adhuc factum erat, omnia traderent, verum etiam praeclaris inuentis antiquam Germaniae in his doctrinis celebritatem apud exteros tuerentur. Iam in anatomicis, botanicis, chirurgicis, et in arte obſtetricia, phyſiologia quoque, aliis medicae artis partibus, Gottinga ad eam laudem peruenit, qua potiſſimum nomen eius ad remotiſſimarum terrarum gentes inclaruit.

Sed quod pro illis temporibus, quibus Academia noſtra adoleuit, ſummum in remp. litterariam beneficium et ad omnem poſteritatem fructuoſum fuit, nondum memoraui: philoſophiae horridae et clamoſae, nulliusque nec ad vitam nec ad ſapientiam vtilitatis, quae barbarie ſua et ſqualore totam fere Germaniam tum inquinauerat, peſtis, MVNCHHVSII maxime prouidentia, eſt repreſſa. Niſi enim Lipſia et Gottinga huic furori reſtitiſſent, de omni vera et ſolida eruditione erat conclamatum; vocabulorum, non rerum, ſcientiam haberemus. At magnus ille MVNCHHVSIVS, qui nil tribuebat

ſapientiae, quae tota ex verborum ſtrepitu pendebat, virorum, quos cum ad ceteras tum ad philoſophicas inprimis diſciplinas vocaret, dilectu Gottingae ſaluti prouidit, hiſtoricarum et antiquiorum elegantiorumque litterarum tanquam vallo eam cinxit, bibliothecaeque opibus ad vtiliores copias a ieiunis argumentatiunculis animos traduxit. Itaque Gottingam philoſophia eclectica ſtatim ab initio immigrauit; Gottingae, etiam philoſophiae doctores, dubitare et nonnulla neſcire auſi ſunt.

Res tandem ſcholaſtica in his terris ſi ad nullam ſatis probabilem conditionem illa euecta, neque eo adducta eſt, vt academica haec noſtra inſtitutio ſatis magnum fructum noſtratibus afferre poſſit, Mvnchhvsii tamen curis imputandum habet, vt illa hoc ſaltem, quo eſt, loco ſit. Nam quo minus illa in eo gradu conſtituta ſit, quo Mvnchhvsivs adducere eam voluit, ſummum Viri libertatis publicae ſtudium interceſſit. Publice enim vtile eſſe poteſt, vt liberum ſit hominibus, in nonnullis ſibi ipſis deeſſe, et meliora aſpernari. Ipſa rei in publicum fructuoſae vtilitate allici homines volebat. Ilfeldenſe tamen Paedagogium cum alias tum nouiſſimis temporibus ita adornare et inſtruere coepit, vt illa inſtitutio academicae reſponderet, vtque humanitatis litteris imbuta ingenia Gottingae traderet Ilfelda.

Ingentia et immortalia Mvnchhvsii in Litteras merita videtis, Auditores; curas, ſollicitudines, ſtudia Viri immortalis ad iſta conſequenda in conſpectu

ſpectu non aeque ſunt poſita; quanta tamen fuerint, ad coniectandum facile et procliue eſt. Multa in iis, quae adhuc memorauimus, ex honeſta illa libertate, eximia iſta Georgiae Auguſtae Tutela et ornamento, aut fluxerunt aut robur habuerunt; hiſtoriae inprimis et Iuris Germanici, maxime publici, diſciplinae; multa ex honeſtis, quae doctrinae conſtituerat, praemiis; plurima virorum, quos ad hanc Academiam vocauit, dilectu et iudicio, et vero etiam praeſidiis adminiculisque, quibus generoſiorem cuiusque indolem induſtriamque iuuaret, effecta.

Et de doctorum quidem virorum, quos huc arceſſiuit, dilectu et iudicio, quam alteram reip. academiae ancoram recte appelletis, quam vellem ne pudor me prohiberet ea, quae animus verſat, eloqui. Sed, ſi tantorum Virorum ex omnibus vndique Germaniae prouinciis collectorum et in vnum congregatorum conſeſſum circumſpicio, vere nuntiatum eſſe video, quod olim auditum incredibile ad fidem eſſe videbatur, tam diuerſis diſciplinis et ſcientiis reperiri potuiſſe viros, qui eas ornarent. Neſciet futura aetas, curaene potiſſimum moleſtiam, an ſtudii alacritatem, inueſtigationis perſeuerantiam, iudicii felicitatem, admiretur, inprimis in eo hominum genere, quod ex receſſibus ſuis excitandum plerumque et protrahendum eſt; in tanta probationis et experimenti difficultate; in tanta generum varietate ac diuerſitate. Tam felicem tamen ingeniorum exploratorem nulla facile vidit aetas, nullum diligentiorem et laborioſiorem. Itaque huius viri iudicio probatum eſſe, famae praero-

praerogatiua erat, ſi non magnae, certe bonae; et MVNCHHVSIO non diſplicuiſſe pro praeiudicio apud magnam Germaniae partem habebatur. Sed me in locum incidiſſe ſentio lubricum, et in quo ſine offenſione non facile progredi liceat. Itaque illud modo attingam, ſi quid aliud, hoc in Viro illud admirabile fuiſſe, cum, iis temporibus, in quae aetas eius iuuenilis et diſciplina academica inciderat, multa litterarum et diſciplinarum genera ne nomine quidem nota eſſent, ſtudiorum autem curſum ipſe tenuiſſet eum, quo per Iuris diſciplinae viam regiam an ſemitam anguſtam dicam? ad ſumma reip. munera et honores contenderet, vt tamen non vnius diſciplinae vniusue generis anguſtiis mentem ſuam, conſilia et curas, includi ſineret. Quin ille nulli litterarum generi defuit; omnibus prouidit liberaliter; vniuerſum diſciplinarum ambitum magno ſuo pectore cepit, cura et amore paterno complexus eſt.

Atque hoc fateor primo ad hanc Academiam acceſſu incredibili me voluptate perfudiſſe, cum Virum aliis plane iisque multo grauioribus curis et negotiis implicitum, diuerſis prorſus ab ineunte aetate ſtudiis innutritum, tamen viderem Hiſtoriam litterariam, elegantiorem litteraturam, humanitatis doctrinam, vniuerſae antiquitatis eiusque monumentorum ſtudium probare, tam diligentibus mihi commendare verbis, tam diſerte de eius vera ratione, tractatione et vtilitate, monere.

Sed quam ſubtile Eius in diuerſiſſimis litterarum et doctrinarum generibus eſſet iudicium, nusquam

quam melius cognoſcere licuit, quam vbi librorum, quibus bibliotheca publica locupletanda eſſet, notationes et deſignationes ipſi a me offerrentur; nam ſi eum ſibi offerri eas velle, oblatas recognoſcere, alia ſubnotare, alia obelo confodere, ſolitum fuiſſe narro, etſi exteris parum probabile videbitur, pro certo tamen ac teſtato me hoc eloqui noſtis, Patres; tum ille librum nonnunquam damnabat, meo, qui nondum librum vidiſſem, iudicio ſatis probabilem, quem tamen tempus ac res paullo poſt me docebat, de eorum, qui probandi et in bibliothecam admittendi eſſent, numero recte fuiſſe reiectum. Alio tempore ſi libri ad ſuum iudicium non admodum praeclari, forte etiam magna impenſa redimendi, neceſſitas tamen a me vel vtilitas, eſſet monſtrata, de ſententia Ille et voluntate ſua lubens decedebat. Non ſine animi voluptate interdum dum bibliothecae loculos perluſtro, in librum incido, de quo tum cum emendus eſſet controuerſiam natam et cauſſam a me per litteras diligenti argumentorum expoſitione agendam recordor. Omnino enim, qua in re magni Eius animi iudicium luculentiſſimum ponere ſoleo, erat ingenii mira aliqua docilitas, in ſene quoque; voluntas flexibilis, et ab omni obſtinatione ac peruicacia aliena. Copiam iudicii facere vtilitati publicae volebat vnum quemque. Veritatis auctoritati tantum tribuiſſe puto mortales paucos, certe ex doctorum virorum genere.

Vt tamen haec omnia, quae modo ab hoc Viro curata, adminiſtrata, prouiſa diximus, quomodo ab vno viro, diuini quamuis ingenii, miri acuminis

acuminis, acerrimae perſpicaciae, ſubacti longo varioque rerum vſu iudicii, animi intentionis, aſſiduitatis, laborisque patientiae incredibilis, ab vno tamen omnia iſta perfici potuerint, appareat, teneatis, o Iuuenes, pulchrae laudis cupiditate inflammati, teneatis hoc, iuuenilem eius Viri aetatem omnis hiſtoriae cognitione imbutam, humanitatis litteris fuiſſe admodum excultam magnorumque vetuſtatis ingeniorum contubernio mature aſſuefactam. Harum litterarum dulcedine ſemel imbuto animo nec in negotioſiſſima vita, nec in prouecta ſenecta, deliciae ſuae effluxerant. Neminem vidimus, qui ſententiam veteris ſcriptoris, vel verſum tam commode laudaret, vt totum negotium decideret; vidimus neminem, qui ſcribendi genere hoc vteretur, ſeuero, preſſo, arguto; nec ſubtrahi verbum poterat, nec adiici. Virum litteris politiſſimum, ſummis negotiis curisque verſatum, vel in familiari epiſtola agnoſceres.

Nihil itaque eſt, o boni, quod miremini, Virum, qui adoleſcentiam tam praeclare ſtudiis honeſtis imbuerat, virilem aetatem grauiſſimis curis muneribusque reip. ſplendidiſſimis exercuerat, ad mirabilem hanc iudicii maturitatem et ſubtilitatem perueniſſe, vt ingenii doctrinaeque arbiter et ſpectator eſſet acutiſſimus; vt conſiliis, monitis, praeceptis, iuuare et regere poſſet nos omnes; vt in ſuo quemque doctrinae genere multa ſaluberrime moneret, quae longo rerum vſu edoctus ad vitam ciuilem vtilitatemque publicam, in quaque re, in quaque diſciplina, maxime deſiderari cognoſſet.

Ad

Ad hanc ipſam mentis praeclaram virtutem acceſſiſſe cogitate magnum animi conſilium, generoſam et excelſam indolem, pulchrae laudis ſtudium; ſic intelligitis, quomodo fieri potuerit, vt copiis et adiumentis neceſſariis nos omnes inſtrueret, in easque res ſumtus faceret ea cum munificentia, quam, vt a Rege, et a tanta mente profectam, vere regiam appellaretis. Nec in libraria modo, mathematica reliquaque eruditionis ſupellectile ſubſtitit Viri immortalis liberalitas. Etiam doctrinae colligendae et amplificandae cauſſa itinera a nonnullis per Europam ſuſcipi voluit; iis, qui, in docto aliquo opere elaborabant, elucubrationis adiumenta et copias litterarias, interdum mera ornamenta, magna cum cura et ſollicitudine, nonnunquam pluribus litteris in longinquas terras datis, parauit et ſubminiſtrauit.

Vt vero iſta omnia tanto maiorem ad animos, inprimis generoſiores, vim haberent, Viri immortalis ſumma humanitate, facilitate et comitate factum putate; qua vel vna virtute ad omne aeuum conſecrata eſſe debet Mvnchhvsiani nominis memoria. Cum ad eruditionem humaniore cultu expoliendam, ad ſqualorem et paedorem obſcurae diligentiae abſtergendum, vanique faſtus ſtultitiam coercendam, ad animos doctorum virorum erigendos, libertatis et honeſtatis ſenſu bonaequae laudis ſtudio ſuaequae virtutis fiducia honeſta imbuendos, hoc inprimis valere intelligeret, ſi doctorum virorum cohors a viris in magna generis, loci munerumque, dignitate collocatis dignatione aliqua et honore

honore ſe haberi videret; deprimi contra et infra vulgaris adeo virtutis laudisque gradum reiici et ſubſiſtere animos, ſi ab iis, quibus conſilia et ſtudia ſua probata eſſe velint, faſtidioſe ſe excipi aut contemtu neglectuque haberi videant; cum haec teneret animo prudentiſſimus Vir, iudicaretque aequum eſſe, vt, quod praecipuum aut vnum eruditionis praemium eſt relictum, viris doctis poſt cetera omnia ne eriperetur; nam quaeſtuoſae doctrinae genera in rep. eſſe admodum pauca; itaque aditu ſuo, ne per litteras quidem, excludebat neminem; inter curas ſummas tamen otium ſupererat et vacatio ad commoda et alloquia noſtra; a docto viro interpellatio importuna videbatur nulla; facilitate admiſſionis et humanitate, etiam cum honoris ſignificatione beneuolentiaeque exquiſitiore aliqua teſtificatione, deuinciebat ſibi, qui ſe adiiſſent, omnes. Et tamen inter haec orationis grauitas, verborum inaffectata veritas. Nam vidimus quondam et alios, qui comitatem ſimularent, renidentibus ringentibusque ſimiliores, vt ſibi ipſi fidem adimerent; ſed huic Viro oris, vultus, vocis aderat veritas. Verbo tantum haec vobis, Patres, in memoriam ſunt reuocanda. Quotus enim quisque veſtrum eſt, qui non Mvnchhvsio ſalutato, etiamſi ſpe ac voto exciderat, hilaris diſceſſerit, incredibilem eius comitatem praedicauerit? aut qui non litteras ſummae humanitatis, benignitatis, amoris plenas in ſcriniis ſuis ſeruet? quanta illa ad ſeram ſenectutem felicitatis noſtrae monumenta!

Cum autem in academica inprimis adminiſtratione, paruis fere ex rebus res magnas aptas eſſe

eſſe ſciret, nihil Ille tam paruum ac tenue eſſe putabat, quod non cura ſua dignum arbitraretur. Nulla re, opera, cura, parua, magna, leui, graui, varia, multiplici, modo ad Georgiae Auguſtae vtilitates, et ad commoda noſtra, aliquam vim id haberet, ſtudium ſuum et patientiam frangi ſinebat. In ſumma occupatione nullas facile litteras, ad quas non reſponderet, ſepoſuit. Quae ad publicum Academiae ſtatum vel ad ſuam quisque priuatam conditionem ſalubriter monueramus, tanquam pro beneficio ſibi imputabat. Si quid conſilii, ſuaſionis vel diſſuaſionis, etiam leuiter vel inſcite, ſubmiſſum erat, aut diſſimulanter ferebat, aut clementer coarguebat.

Hac incredibili ſua induſtria, diligentia et temporis parſimonia; nam refectio ipſi erat laboris mutatio; in officio continebat omnes. Quis enim diſſolute, ſupine ac negligenter ageret, qui occupatiſſimum Virum nec minutias noſtras ne differre quidem in alium diem *) videret? Quis, ſi Virum curis officiisque vitae publicae priuataeque magnis paruisque innumeris diſtrictum diſtentumque tamen his negotiolis noſtris vacare noſſet, quis, inquam, etſi tota vita litteris aſſideret, tamen collatus cum illo, non quaſi ſomno et inertiae deditus erubeſceret? **) nemo ſaltem curarum ſuarum et officiorum ſiue obtentu ſiue ſimulatione in muneris ſui curatione

*) *Nulla in audiendo difficultas, nulla in reſpondendo mora.* Plin. Paneg. 79.

**) Plin. Epp. VI, 5.

tione vel mandata aliqua opera contentionem ac ſtudium remittere audebat. Huius itaque illuſtris exempli auctoritati vel maxime deberi iudico, quod Gottinga induſtriae et intentioris alicuius diligentiae laudem praecipuam (quae vtinam ipſi propria ac perpetua ſit!) habere dicitur. Quicquid enim, quod probes, Gottingae eſt, Mvnchhvsianvm eſt.

Vigilantiſſimae Mvnchhvsii curae debemus etiam ornamenta Georgiae Auguſtae haec ſingularia aut cum paucis Academiis communia, quae partim ad dignitatem et auctoritatem noſtram faciunt, partim adiumenta et praeſidia induſtriae noſtrae ſunt inſignia. Omnino enim Ille ſummam et doctorum auctoritatem, et vrbis eſſe voluit *); et omnia haec intra tam breue tempus perfecit, quod vix ad cogitandum et inchoandum multi ſatis longum eſſe putaſſent. Equidem, quando Bibliothecam noſtram publicam ingredior, ſaepe tanquam religioſo aliquo Mvnchhvsiani nominis horrore animum percuſſum ſentio. Haec ergo omnium ſaeculorum, populorum, ſummorum cuiusque aetatis ingeniorum monumenta non ſibi, non ſuis vſibus; ſed vt noſtrae ſingulorum doctrinae obſtetricia adiumenta eſſent, Regiis auſpiciis prouidit et parauit aſſidua cura Eius Viri, cuius beneuolum et amantem noſtri animum haec ipſa Viri ſerena facies, hic ſacratus vultus **) adhuc ſpirare videtur! Quanta eius mens et ſapientia eſſe debuit, qui vidit, Bibliotheca tali publice inſtructa ſe Gottingae addere non

*) Cic. de Offic. I, 1.

**) In tabula imaginem Mvnchhvsii exhibente.

Digitized by Google

non modo decus et ornamentum ſingulare; non modo priuati cuiusque apparatus librarii compendium ſubminiſtrare; etſi et hoc ſubminiſtrauit; verum ipſam Academiae noſtrae naturam et indolem hac vel vna re conſtitui a ſe, vt varia et copioſa eſſet doctrina profeſſorum et familiarium; vt cum eruditionis et litterarum incrementis etiam noſtrae litterae incrementa caperent; vt, quicquid per Europam noui inuenti, cogitati et obſeruati, quisquam vsquam propoſuiſſet, in ſuam vtilitatem verterent noſtri homines; hinc publicam diſciplinarum doctrinam nouis copiis amplificarent. Ita vero hiſtorica et litteraturae humanitatisque ſtudia, eaeque diſciplinae, quae ex iis ſuccum, vires, vitam ducunt, in tam liberali nutritione habent, vnde laetius effloreſcant, vnde niteant. Modo adſint ea, quae ornent, ingenia intellexit nunquam defore, quae ornari poſſint. Ea itaque opipara et diuite hac ſupellectile libraria voluit ali, excitari, varia lectione ditari, a ſeruili vulgarium et communium opinionum aſſenſu ad ſubtilius iudicium traducere, ad exquiſitiorem et ornatiorem ingenioſamque doctrinam vel inuitos, manu iniecta, obtorto collo, retrahere. Huius itaque Bibliothecae Ille, tanquam cariſſimae filiolae, incredibili aliquo amore duci; eam oculis, auribus, habere; de ornamentis eius et decoribus ſollicitus eſſe plus quam dici poteſt. Librorum emtioni ipſe prouidebat; nulli ſumtui, ne iis quidem temporibus, parcebat, cum ceteris erogationibus parcendum eſſet. Si quem librum bonum diu quaeſitum fortuna tandem obtuliſſet, tanquam laetam rem Ille nuntiare, nullam

Digitized by Google

moram ferre, prouidere, vt quam primum Gottingam liber transmitteretur.

Sed video, non ſine ſummo animi mei dolore, nec ſine multis lacrimis me hunc locum perſequi poſſe; et ſolent ea, quae nulla oratione commode reddi poſſunt, maiora videri, dum tacemus, quam ſi leuiter perſtringimus. Me quidem ad Manes vsque proſequetur earum curarum cogitatio, quas in Bibliothecae locupletandae conſiliis a Viro immortali, Mvnchhvsio, conſumi per hos ſeptem annos vidi.

Verum retrahendus eſt animus ab illa cogitatione et transferendus ad reliqua a Mvnchhvsio praeclare in hac Academia prouiſa et inſtituta, vt in vno ſaltem vel altero doceam, Eum in iis rebus, quae litteras iuuare vel ornare poſſunt, plus etiam vidiſſe quam multos ex ipſo eruditorum virorum coetu. Ita Societatem Scientiarum Regiam, quam non niſi ipſius Regii Sanctioris Conſilii in his terris curae et tutelae ſubiectam eſſe voluit, Societatis Commentarios, Librorum nouorum Recenſus, *quorum* certe momentum non leue fuit ad rem Germaniae litterariam vniuerſam, Praemia publice quaeſtionibus poſitis propoſita, Ille non inter ornamenta modo habuit, ſed inter eas res eſſe putavit, quae torporem animorum abſtergerent, ne, in vulgari diſciplinarum tradendarum orbe, annuo aut ſemeſtri curſu, circumacti, locupletandae doctrinae et litterarum curam amitterent academici doctores; eaſdem eſſe, quae Georgiae Auguſtae peculiarem

aliquam

aliquam eruditionis naturam conſtituerent, et vero etiam eius exiſtimationi conſulerent *). Germanici ſermonis elegantiam et curam Societatis, quae ei colendo ſe conſecraret, ſtudio, opera, etiam exemplo, retineri intellexit; in re enim litteraria pudore plurimum proficitur; et inter aliorum ſtudia praeclara facile aliquis vel non monitus inertia ſua erubeſcit. Inſtituti hiſtorici quanta vis et opportunitas eſſe poſſet ad ſtudium hiſtoriae latius diſſeminandum, inprimis in Academia tot opibus litterariis exornata, vnus omnium optime perſpexit. In hoc autem deo ſe Ille aſſimulabat, quod non vnius vel alterius diſciplinae, familiae vel ſectae ſtudia fouebat, reliqua omnia inſuper habebat; ſed totum earum rerum, quae ad publicam vtilitatem quicquam fructus haberent, ambitum animo et cura aequaliter amplectebatur.

Enimuero res foret infinita, enarrare omnia, quae doctrinae, induſtriae, exiſtimationis, dignitatis, inſtrumenta, adiumenta, decora excogitauit et prouidit; quae ad vtriusque reip. academicae et municipalis concordiam, ad vrbis noſtrae exornationem et ſecuritatem, ad diſciplinam academicam liberaliter et tamen ſeuere exercendam; ea porro, quae ad publicam priuatamque rerum ad vitae vſum vtilium vel iucundarum affluentiam, ad ſumtus in quotidianum victum minuendos, ad vitae commoditatem, ad mercatus frequentiam, an-

 nonae

*) Haec vberius expoſita alio loco: v. Elogium in Soc R. Scient. recitatum, quod inſertum eſt *Nouis Commentariis* Soc. R. Sc. Gott. To. II. ad calc. p. 149.

nonae laxationem, rerum venalium vilitatem; quae tandem ad virtutem, pietatem, honeſtatem, inuenit, parauit, deſtinauit. Hoc ſaltem in intuendis his animo dimittere nolim quenquam, vt omnia ad vtilitatem publicam et ad poſteritatis commoda comparata eſſe intelligat *).

Vt autem hae illae ſunt magnae virtutes, facta et conſilia magna, quibus nominis in re litteraria immortalitatem ſibi comparauit Mvnchhvsivs; in litterarum enim per Germaniam annalibus Mvnchhvsiana aera, ſi qua alia, nepotibus noſtris erit memorabilis; ita haec eadem illa ſunt, quibus effecerat, vt, quod paucis contigit, in ſummo dignitatis faſtigio conſtitutus, amaretur, cum ipſe amaret; vt nobis non domini, ſed patris loco eſſet; paterna auctoritate nos regeret, liberorum pietate coleretur. Incredibilem enim Georgiae Auguſtae ſuae amorem et ſtudium, quod rebus, verbis, etiam vultu prodebat, in illo Viro mirabantur ac praedicabant omnes, etiam exteri, qui eum adierant. Georgiae Auguſtae etiam nomine audito voluptatem animi declarabat aucta frontis hilaritas; in ſene autem, propter tot annorum decora, tantas virtutes, tanta merita venerabili, haec paterni animi tacita voluptas, ex caritate et affectu ſummo profecta, a nemine ſine aliqua animi commotione cognoſci poterat.

Commemo-

*) *Nullum eſt enim magno principe immortalitemque merituro impendii genus dignius, quam quod erogatur in poſteros.* Plin. Paneg. 26.

Commemorata adhuc bona, Auditores, nobis quodammodo fuere peculiaria; nec minus tamen magnam partem tulimus ex meritis Viri immortalis de rep. vniuerſa, de terris Brunſuicenſibus, de tota Germania. Quantus hic ſe rerum, virtutum, factorum, campus aperit, ſi Mvnchhvsii per LV annos in patriam hanc merita, fidem et conſtantiam erga tres Georgios Reges, ſapientiam rerum vſu firmatam, auctoritatem prudentia partam, res in variis vitae munerumque partibus geſtas, in re ciuili, in redituum publicorum deſcriptione vel adminiſtratione, ſalubriter curatas vel prouiſas; ſi tandem ea omnia perſequatur animo aliquis, quorum Ille auctor, hortator, ſuaſor, fuit. Rara Eius et mira felicitas, quod virtutum et meritorum laudes vnus aſſequutus eſt diuerſiſſimas. Regiae Maieſtatis et voluntatis Miniſter et Amicus fuit integerrimus; Pater Patriae; Conſeruator ac Firmator publicae libertatis; Ciuium Portus, Arx, Ara; Aerarii Regii Locupletator, non exactionum acerbitate, ſed curae aſſiduitate, rationum diligentia, erogationum moderatione; agricolationis Genius ſalutaris; Artium honeſtarum omnisque operae publice quaeſtuoſae Adiutor; Ingeniorum Lux et amicum Sidus; Induſtriae probae Praeſidium et Tutela; Tenuiorum et Pauperum Altor Nutritorque; Fortunae iniquioris Emendator; Opum ſuarum inter egentes Largitor pius ac miſericors. Etiam de ſuis Eum copiis multa in rem noſtram conuertiſſe, non ignoramus. Ex ſua penu paupertatem honeſtam alumnorum leuauit ſtipendiis, quorum perſoluendae

 penſionis

Digitized by Google

penſionis inſtare tempus ne inter nouiſſimas quidem vitae curas fuit immemor.

Omnia haec, et quis veſtrum, Auditores, non plura et alia meminit, ſed haec omnia ſi boni numinis indulgentia his terris, huic populo, huic Academiae, praeclari alicuius muneris loco, ad tam diuturnum vſum conceſſa eſſe cogitamus; ſi tantarum virtutum fructum e ſummo rerum faſtigio, tam plena copia, tam longo annorum ordine, qui per ſe hominis aeuum facere poſſit, in nos cumulatum; ſi res ab infirmis ac teneris primordiis ad hos virium auctus et robur perductas, infeſtiſſimis periculoſiſſimisque temporibus, belli quoque calamitatibus, eiusdem, qui fundauerat, Viri curis ſeruatas, reſtitutas, amplificatas reputamus: percellitur quodammodo animus ad tantae felicitatis, tantorum bonorum recenſum; quanto magis tantorum bonorum amiſſione et ereptione! Sane quidem primo ſtatim conſolationis ſuſceptae exordio nobis occentant omnes: non iniquo animo ferendam eſſe calamitatem, diu prouiſam, et quae ante tot annos accidere potuerit, vt omne hoc tempus in lucro ponendum, non nunc de damno accepto conquerendum ſit. Humanum tamen eſt, ignoſcere dolentibus, iis fortunae muneribus ereptis, quorum ſatietas nos nunquam cepit. Etiam in amicorum diſcidiis, etſi votis noſtris die et menſe vno et altero adiecto, cum tamen diſceſſu tandem faciendo dirimimur, ſolemus abeuntibus manus iniicere, amplexibus inhaerere. At ſenſus noſtri et affectus in huius

Viri

Viri deſiderio quam exiguam partem explet benevolentiae et amicitiae nomen; quo tamen quid inter mortales ſanctius? quid auguſtius?

Vos autem, Patres, prouectiore inter nos ſenectute venerabiles, inprimisque quotquot ex iis qui Mvnchhvsio in Georgiae ſuae Auguſtae initiis adfuerunt, ſuperſtites eſtis, *) nunc etiam huic ipſi ſuperſtites, pro quo deuotum ſuum quisque vellet caput; Adſpectu audituque miſerabilis ſenectus veſtra etiam iis lacrimas exprimit, qui proprium dolorem non capiunt. Erepto hoc longae ſenectutis tanquam comite ac ſodali, in ſolitudine derelicti, quod ſupereſt viae, inter nullos Mvnchhvsii affatus, nulla alloquia, conficiendum eſſe videtis! Nec eſt, praeſtantiſſimi viri, quod dolorem veſtrum obiurgemus. Habet tamen conditio veſtra ipſa paratum aegritudinis ſolatium. Quo enim minus longe abeſtis a decurſus huius per mortales curas et ſollicitudines conficiendi termino et fine, eo minus diuturnus eſſe poterit veſter luctus. At nobis, quo aetatis quisque ſumus gradu, non tam facilis doloris medicina eſt parata. Multa a temporis longinquitate et die ſunt expectanda; multa a ſummis virtutibus Eius Viri, qui Mvnchhvsii deſiderium explebit; alia in diuinae voluntatis cogitatione et in pia religioſaque mentis conſtantia ſunt poſita remedia.

 Sed

*) Ipſis Academiae incunabulis interfuere VV. Ill. Gebaverus, et Hollmannvs ab a. 1734. Richtervs a. 1735. Ayrervs ab a. 1736.

Sed et iis ipſis, quae dolorem continent vel maxime, ineſſe videmus partim cauſſas, cur dolorem inhibeamus, partim ſolatii ſemina. De erepto tantae proſperitatis fructu quid habemus quod cum fortuna queramur, vt non potius vltra votorum verecundiam conceſſum eius vſum nobis gratulemur? Quid? quod a deo non eſt euocatus, niſi curatis et peractis iis omnibus, quibus ſalus publica firmari, noſtra autem Academia ornari ac perfici potuit!

Contigit enim et nobis et Mvnchhvsio ſingularis haec felicitas, vt, ante diſceſſum ex hac vita, mirabili et praeclara aliqua numinis beneuolentia, omnia in eum locum deducerentur, quo cura Eius, cui rerum noſtrarum conditio ac natura penitus eſſet nota, ſingula, quae opus erat, ordinari, conſtitui, inchoata abſolui, deſignata ad exitum perduci poſſent. Viſa enim eſt immortalis Viri mens per totum hunc, qui vltimus vitae fuit, annum, tanquam praeſagio aliquo et praeſenſione incitata, anniti et allaborare, vt expedita et profligata eſſent negotia omnia. Haec eadem incredibilis prouidentiae diuinae indulgentia erigit animos noſtros ad meliorem ſpem etiam de futura noſtra ſorte, cuius tanquam pignus certiſſimum habemus fortunam praeteritam. Etiam aeterno Numini Mvnchhvsianam memoriam cordi curaeque fore ne dubitemus. Fidiſſimi voluntatis ſuae miniſtri recordatione illud res noſtras, prouidentia ſua per eum conſtitutas et fundatas, fortunabit; modo iis ipſi non defuerimus.

Digitized by Google

Etiam Viri fama immortalis nominisque perpetuitas habet, quod animos noſtros a luctu recreet; et ſaepe illa cogitatio animos noſtros recreabit, nos in Muſarum caſtris Mvnchhvsio duce et auſpice militaſſe! nos cenſeri inter veteranos ex Mvnchhvsiana diſciplina progreſſos! et quandoquidem cum ipſis factis et operibus eorumque fructu ad omnem poſteritatem ſempiterna erit Mvnchhvsii memoria, quoties Mvnchhvsiani nominis per Germaniam totumque terrarum orbem litterarium audita celebritate exultabimus! Iam canis ſparſos et ſenio fractos voluptate nos inexhauſta perfundet dulce nomen ad aures noſtras allapſum. Obſurdecet enim futura aetas ad nomen Maecenatis, et in voluptarii hominis, qui nullis auctoribus idoneis ad aeternitatem nominis arrepſit, locum ſuccedet Mvnchhvsivm nomen, omnium eruditorum virorum voce ac conſenſu.

Cum itaque Ipſi, nobis, omnia contigerint cumulate, quae et in praeteritis temporibus poterant optari, quaeque per futura tempora poſſunt ſperari, quid eſt, quod in ſumma calamitate non egregie nobiscum actum eſſe dicamus? Niſi forte, (quis tamen tam impius et nefarius, vt hoc in mentem admitteret?) niſi quis Aeternitatem ipſi et Immortalitatem in hac mortali vitae conditione, in hac rerum infirmitate et naturae communis fragilitate, ſorte aſſignatam fuiſſe velit. Curis iam et laboribus fracto corpore, viribus ingraueſcente ſenectutis vi debilitatis, negotiorum hac ſemper iterum recrudeſcentium mole tandem feſſus, quid habuit, quod ſibi

ſibi optabilius contingere arbitrari poſſet, quam vt placida morte defungeretur, cuius beneficio aeterna et vera quiete potiri liceret? Contigit tamen et ſic, vt idem rei gerendae et viuendi eſſet terminus.

Diſceſſit itaque pia Anima in beatas ſedes, et inter ordines recepta eſt Animarum magnarum, quae de genere humano bene merendo exquiſitius aliquod felicitatis genus ſibi parauerunt. Ingreſſa conſeſſum, eorum, quos hac in vita curis ſuis fouerat et vt ſua fata implere poſſent prouiderat, quique ſe iam morte anteuerterant, laetis acclamationibus excepta pia Anima (nam nec inter immortales grata deficit memoria et pietas) adiit GEORGIVM ſuum SECVNDVM, narrauit magni nepotis virtutes, religionem ac pietatem, pacis et pacis artium amorem; expoſuit Ei Georgiae ſuae Auguſtae fortunas et incrementa. Gauiſa eſt his auditis ſanctiſſima Vmbra, et inter magnos Reges et Heroes, humani generis delicias, maior ſe ipſa et excelſior facta, priſcarum ſuarum curarum et conſiliorum nouos fructus ferre viſa eſt.

Nos autem, o Patres, o Ciues, quanta ad virtutis, ad officii conſcientiam, ad conſilia recta et ſalutaria, habemus incitamenta! quales factorum noſtrorum habemus exactores et probatores! Sedent in aeterna Regis aula noſtrarum rerum inſpectores Auguſta Georgii et Sancta Mvnchhvsii Animae; obſeruant conſilia noſtra; laetantur ac triſtantur factis noſtris. Ad has animos habete conuerſos, vt nihil moliamini, nihil ſuſcipiatis, nihil

nihil agatis, quod tantis Animabus improbandum, aut iis rerum principiis, praeclariſque coeptis, quibus illae quondam curas mortales adhibuere, indignum ſit.

Neque ſi de aeternis ſedibus agere nobiscum, alloqui Georgiam Auguſtam ſuam, poſſet beata Mvnchhvsii Anima, aliter illa nobiscum ageret, quam vt luctus noſtri inertiam obiurgaret, ſed verbis, vt ſolebat, leniſſimis et paternae indulgentiae ſimilibus, animoſque ad ſtrenuam virtutem excitaret. "Non luctu, o mei, ſed virtute, „veſtram pietatem mihi praeſtate. Quae Regi, „quae patriae, quae litteris pro officii quisque „ratione debetis, etiam meo exemplo, mea me„moria incitati, religioſe et ſancte praeſtare anni„timini. Concordibus animis viuite; et commu„nem Georgiae meae Auguſtae vtilitatem conſiliis „curate communibus. Magnum duorum Regum „opus, alterius cura initia ſua, alterius, incre„menta nactum, vt per vos ſaluum et integrum „ſit, prouidete. Hunc mihi gratiſſimum funeris „honorem ac munus arbitrabor; omni emortuali „ſollenni hoc mihi iucundius putabo. Memoriam „meam inter vos haberi cupio caram et ſempi„ternam; et caram habebitis, ſi, quo amore, qua „caritate vos omnes amplexus ſim, grati memi„neritis."

Enimuero, ſancti Manes, cara et iucunda et quauis felicitate dulcior animis noſtris erit Veſtri memoria. Nec vnquam mente excidet ea cura,

ne

ne quidquam, quod Veſtris votis conſiliisque non reſpondeat, ſuſcipiamus. Hoc ſancti Manes, iuro pro me, hoc pro his, qui me audiunt, qui me vident; caput meum domumque meam, ſi ſciens fefellero, irae Veſtrae ſacratam volo.

Vos autem, florentiſſimi Iuuenes, o cura noſtra, quondam Mvnchhvsii cura et amor, animis veſtris Viri immortalis nomen ad perpetuam memoriam inſigite, vosque ita aſſuefacite, vt, quotiescunque Mvnchhvsivm nomen ad aures veſtras acciderit, tanquam ad paterni nominis auctoritatem tactus reuerentia ac pietate animus ſe ad ſeueram virtutem componat. Quicquid enim Georgia Auguſta habet, veſtris vſibus paratum vobisque fructuoſum, quae adminicula, quas opes, doctrinae copias, ipſos doctores, quos amatis, omnia haec poſt Dei O. M. prouidentiam, Regiamque munificentiam, huius Viri immortalis curae debita mementote. Itaque Eius memoriam animis veſtris ſancte colite, ad ſeram poſteritatem grata pietate commendate, Eius immortalitati fauete.

Haue ſancta anima!

INDEX.

Digitized by Google

INDEX. *)

A

Abrogatio legum, de ea lex Zaleuci 31. Charondae 99. 113
Aburiae gentis num. 358
Accoleiae gentis num. 358
Achaei, populari ciuitatum forma vſi ſunt 181. ad Siritidem occupandam miſſi 239. Magnae Graeciae ciuitatum diſſenſiones componunt 188. ciuitates Magnae Graeciae Achaici generis 5. 201. ex iis ſolum Tarentum ſuperſtes 212
Aciliae gentis num. 358
Acrae 259
Adulterii poena inter Thurios 94
Aedificia publica magno ſumtu, priuata modico curata 102
Aegyptiorum lex 295 not. 296
Aeliae gentis num. 359
Aeliani locus illuſtr. 141
Aemiliae gentis num. 359
Aetolorum colonia Temeſa 276
Aeſchyli Schol. illuſtr. 345
Agathocles Crotonem et Italiam afflixit 191 ſq.
Agrigentum, a Gelois conditum 260
Alciſthenis Sybaritae veſtis 173
Alexander Moloſſus, ad verſus Lucanos arceſſitus a Tarentinis 141. 203. 212. 241. 266. ad Pandoſiam occumbit 205
Aloidae, tres Muſas ediderunt 307
Alybas 209.
Ambracia 256
Amyris Sybarita 135
Anactorium 256
Anaxilaus Rheginus 269. 271
Androdamas Rheginus 272
Antiochus Syracuſanus 179
Antoniae gentis num. 360
Aoede Muſa 307
Ἀπολείπειν et ἀπολύειν de diuortio 118

Apollo

*) Concinnatus Index ſtudio iuuenis de erudienda iuuentute aliquando praeclare merituri G. C. F. *Seidel,* Hannov. Sem. philol. ſodal. adſcripti.

Apollo vnde litteris et artibus, inprimis muſicae artique medicae praeeſſe dictus 302 ſq.
Apollodorus, περὶ νομοθετῶν 284
Apollonii Rhodii loc. ill. 352. Schol. ill. 338. 340. 346
Aquiliae gentis num. 360
Arcades, qui Italiam adiere 277. Arcadum legislatores, ibid. de Arcadibus luna antiquioribus 334 ſq. auctores, qui hac de re mentionem fecere 337. huius mythi explicationes 341. 345 349 350 ſq. Arcadum vetuſtas 343. Luna ab iis et ſidera obſeruata 342. 3. 4. 6. Arcadum mythi 344. annus 348. Arcadia Gigantis vnde dicta 339. et Pelasgis 343. Arcadicarum rerum ſcriptores 344
Archias 179
Archytas Tarentinus ſtrategus, 224
Ariſto Chius θέσεις ſcr. 339
Ariſtocles 283
Ariſtocratiae, in oligarchiam mutatae 274. aliae ex generis nobilitate, aliae ex cenſu 275
Ariſtophanis Schol. ill. 143
Ariſtotelis loc. ill. 148. 163. 221. eius libri de rebus publ. 281. de rep. Sybaritarum 130 de rep. Tegeatarum 340. Νόμιμα et Νόμοι 282
Ariſtoxenus Muſicus 225
Artes, vid. Litterae. Eae, quae cum ſtrepitu exercentur, a Sybaritis in vrbem non admiſſae 151
Aſeleni montes 347
Athenaei loca ill. 128. 129. 130. 134. 149. 150. 174.
Atiliae gentis num. 360
Αὐλὼν, Caulon vrbs 203
Aureliae gentis num. 361

B

Bacchus, cur inter deos ingeniorum fautores adſcriptus 303 ab Heracleenſibus imprimis cultus 245
Baebiae gentis num. 361.
Βεκκεσέληνος 345.
Bentleius, contra eum diſputatur in iis, quae de Zaleuci legibus pronuntiauit 17. 62. 104. in iis quae de Charondae LL. diſputauit 154 ſq. 162. 164 ſq.
Brunduſium 275
Bruttii 265 ſq. Sybaritas delent, 140. Crotonem expugnant 193. 194. aduerſus eos Alexander Moloſſus arceſſitus 203
Buxentum 262

C

C

Caeciliae gentis num. 361
Caeſiae gentis num. 362
Κακομιλία 79. 117
Callimachus περὶ νόμων 285
Callipolis 158. 270
Calpurniae gentis num. 362
Calumniatorum poena inter Thurios 92. 85. 116
Camarina Syracuſarum colonia 259
Cariſiae gentis num. 362
Caſmenae a Syracuſis conditae 259
Caſſiae gentis num. 362. 363
Catana 158. 159. 267
Caulonia, colonia Crotoniatarum 195. 203 ſq. numi 204 nota.
Certare cum deo 306
Chalcis Euboeae, 266 ſq. vrbs Ionicae originis 273 ſq. adminiſtrata per optimates Hippobotas ibid. Coloniae 266
Chalcidicae ciuitates 6. 158. 266 ſq. earum inſtituta 273 ſq.
Chamaeleon Ponticus, philoſophus 131
Charondas 76. quis fuerit et quo tempore vixerit, 56 ſq. vnde inter Pythagoreos referri coeperit 169. 170. Leges, quae eius nomen praeferunt Thuriisne ſcriptae ſint 156. Catanaeis et aliis Chalcidicis ciuitatibus leges ſcripſit 158. inque iis, Rheginis 159. ipſe Charondas Catanaeus 158. inter vetuſtiores legumlatores 160. et Thuriis antiquior 161. Sed hi eius legibus vſi ſunt 161. Sintne ad Charondam auctorem referenda fragmenta legum, a Diodoro et Stobaeo ſub eius nomine ſeruata 163 ſq. Non habemus ex iis, niſi ſententias 170. 285. Eius legum prooemium 77 ſq. 109. indicii neceſſitatem imponit ciuibus 84. 89. fragmenta ex ipſis legum tabulis 113. in his, quae ſpectant ad diſciplinam domeſticam 115. 116. ad perſonarum iura 117. leges cani ſolitae, quo modo 166
Chones, 236
Claudiae gentis num. 363
Cleandridas Spartanus, dux Thuriorum 140. 210. 239. Gylippi pater 140
Cleanthes 283
Clearchus περὶ βίων 283
Cleonymus Spartanus, aduerſus Lucanos arceſſitus 142. 212

Cliſthenes 134
Clitarchus, rerum Sybariticarum ſcriptor. 131
Clitonymus 175
Cloacina in numo 387
Clouliae gentis num. 364
Cnidii, Liparae conditores 262
Coeliae gentis num. 364
Coloniae Magnae Graeciae ac Siciliae, earum genera 5. 201. ac tempora 7. earum mittendarum cauſſae 10. earum incrementa 11. metropoleon mores ac leges retinebant 178
Conſidiae gentis num. 364
Copiae vel Copia, colonia Thuriios a Romanis ducta 143
Corcyra 256
Cordiae gentis num. 364
Corinthus, resp. 255. coloniae 256
Corneliae gentis num. 364. 365
Corporis iuris gloſſati mſpti, olim Schwarzii, nunc Biblioth. Gotting. deſcriptio 318 ſq. eius aetas 327. eius auctoritas et vſus 328. gloſſa 325 ſq.
Coſmopolis magiſtratus Locrorum 51
Crepuſiae gentis num. 366
Cretenſium coloniae in Italia 275. 276. in LL. quid iis maxime propoſitum? 290. 291 not.
Crimiſa 276
Critias πολιτείας ſcripſit 283
Croton, Achaici generis colonia 6. 180. eius origines 178 ſq. reip. popularis forma 129. inſtituta ibid. ſitus 183. ciuium frequentia et ſtudia 183. vrbis fata 184 ſq. luxus 133. 186. colonia Romana Crotonem miſſa 193
Croton heros 180 not.
Crotoniatae, a Sybaritis laceſſiti 133. Sybaritis ad Traentem fluuium victis, vrbem ſolo aequant 136. 186. nouam Sybarin exſcindunt 138. eorum clades ad Sagram 184 ſq. quo tempore accepta? ibid. emendati Pythagorae diſciplina 187. odia in Pythagoreos nata. ibid. resp. ab Achaeis reſtituta 188. foedus faciunt cum Sybaritis et Cauloniatis 189 ſq. mores ac leges Achaeorum recipiunt 190. a Dionyſio victi 191. ab Agathocle afflicti 191 ſq. mox in bellis Romanorum cum Pyrrho 193. cum Poenis, ibid.
Crotoniatarum numi 180. medici celebres 189. coloniae 195.
Cumae 267. ſq. earum coloniae 268

Capien-

Cupienniae gentis num. 366
Curioſorum poena apud Thurios 95
Curtiae gentis num. 366

D

Δαίμονες in legibus Zaleuci et Charondae 22. 83. 105. ἑστιοῦχοι 83. δαίμονες χθόνιοι Manes 101
Daunii 275 ſq.
Delator, lex Charondae de delatoribus 89. an probanda ſit 89 ſq.
Demetrius Phalereus 284
Deriſionis poena, an probanda 94. 95. 96
Deſertores ordinum, in eos lex Thuriorum 100
Dicaearchia, Puteoli 269
Dicaearchus, eius ſcripta 282
Didiae gentis num. 366
Digeſtum vetus infortiatum et nouum vnde dictum 319. antiquiorum ICtorum ea interpretandi ratio 320.
Diocles Syracuſanis leges tulit 257 ſq.
Diodorus, ex eo legum Zaleuci prooemium ill. 19. 26. Charondae 79. 83. 98. 106. leges Charondae 115. quae fides ei in his tribuenda 168. 157.
Diogenes Babylonius περὶ νόμων 285
Dionis du Sejour, contra eum diſputatur 333
Dionyſiorum dominatio in Syracuſanos 257. maioris expeditio in Italiam 56. 191. 204. minoris crudelitas in Locros 57
Dionyſius, Chalcidenſis, ſcripſit κτίσεις 339
Dionyſius Halicarn. emend. 231
Dionyſius Perieg. ill. 134
Dionyſus vid. Bacchus
Dioſcorides 283.
Diuortia nuptiarum, de his lex apud Thurios 118
Domitiae gentis num. 366. 367
Doricae ſtirpis coloniae Magnae Graeciae 5. 216. 255. earum reip. adminiſtrandae forma 5. 217.
Dorieus Spartanus, dux Crotoniatarum 137

E

Educatio vid. inſtitutio.
Egeſta 276
Egnatuleiae gentis num. 367
Elea, Phocaeenſium tum Thuriorum colonia 274. 202. numi ibid. not.
Emtionis venditionis lex apud Thurios 152

Εμφυσιοῦσθαι 81
Endymion, fabularum de illo cauſae 347. 346. not.
Epeus, Metaponti conditor 207
Ephori, magiſtratus Heracleenſium 247
Ephorus, quae de Arcadibus tradiderat 344
Epidamnus 256
Ἐπίκληροι, de illis lex apud Thurios 119
Ἐπίσκηψις 116. not.
Ἑστιάτωρ quis ſit 108
Ἑστιοῦχος 83
Euboea, vrbs 158. 270. inſulae origines 273
Eudoxus 338.
Eupheme, Muſarum nutrix 308

F

Fabiae gentis num. 367. 368
Familiae Romanae quarum numi extant 358 ſq. vana perſuaſio de origine Graeca 380
Fanniae gentis num. 368
Farſuleiae gentis num. 368
Flaminiae gentis num. 368
Flauiae gentis num. 368
Fonteiae gentis num. 368. 369
Furiae gentis num. 372. 373

G

Γαμέτρας apud Heracleenſes 247
Gela a Rhodiis condita 260
Gelo 257
Gloſſa Accurſiana 325
Γραμματεὺς apud Heracleenſes 247

H

Herenniae gentis num. 373.
Hellanicus 283
Heraclea. Tarentinorum colonia 234. ſucceſſit in locum Siris 235 ſq. eius res et fortuna 240. numi 241. 245. facta autonomos 241. foederata Romanorum ciuitas 242. an municipium 243. et not. x). y). inſtituta 244. religiones 245. tabula aerea documentis publicis inſcripta in agro Heracleenſi inuenta 245. eius argumenta 246. ex ea magiſtratus et alia ad remp. ſpectantia 247 ſq. Curiae epiſemis ſignatae ibid. praedes in locatione conductione dati 248
Heraclea Minoa 275

Hera-

Digitized by Google

Heraclides Ponticus, eius πολιτεῖαι 283. νόμοι 285. de eo 134. 135. 167.
Herculaneum 276
Hercules, Crotoniatarum ἥρως ἐπιχώριος 180. Heracleenſibus inprimis cultus 245. eius cum Gigantibus pugna 338. 352
Hercules Muſageta 305
Hermippus 284. 167
Hermodorus 283
Herodotus de Sybari 135. 137. 139
Heſiodus, de Aſtronomia carmen, eius nomine inſignitum 310. Muſarum numerus in eius carminibus obuius 310
Hiero 257
Himera 158. 270
Hippo 263
Hippodamus Mileſius 281
Hippys Rheginus 337
Homerus, Muſarum numerus in carminibus eius obuius 310
Honoris caput in numis 381
Hoſidiae gentis num. 373
Hoſtiliae gentis num. 374.
Hybla 259
Hyria 275

I

Iamblichus: loc. em. 182
Iapyges 179. 218. vide Meſſapii, eorum origo 275. 276
Iapygiae terminus 211
Iccus medicus 224
Indicii neceſſitas et vtilitas in LL. Charondae 89. inter veteres Germanos 91
Infortiare 320.
Inſtitutio, de ea praecipiebant LL. 14. 290 ſq.
Ioannes Stobaeus v. Stobaeus.
Iones Sirin occuparunt 237 ſq.
Ionicae originis ciuitates 224. 274
Ἰσομιλήσιον 33
Iudicia a Charonda deſcripta 115
Iuliae gentis num. 374
Iuniae gentis num. 376
Iuno apud Sybaritas inprimis culta 174. Leucadia ſeu Lacinia ibid. 186
Iupiter Homonoeus 204. 189. Anxur 409
Iuſtinus ill. 186. 207. 218

K

Κακομιλία de illa lex Charondae 79. 117

L

Lacedaemoniorum colonia Tarentum 217
Lagaria vrbs a Phocenſibus condita 207. 276
Lampon 139
Laus, Sybaritarum colonia 138 201
Leges Graecorum, de iis vniuerſe 286 ſq. etiam morum et educationis praecepta apud veteres tradunt 14. 35. 120 ſq. 291 ſq etiam pietatem praecipiūnt 292. not. Lex pro inſtituto dicta 297. de abrogatione LL. lex Zaleuci 31. Charondae 99. 113. In legum ferendarum diſciplina praeſtantiſſimi auctores ſunt Graeci 17. Prooemia legum 42. publice ediſcenda ac decantanda 109. 166. not. Legum reuerentia quomodo in LL. Charondae munita 98. 99. 113. Legum diuiſionem ſecundum varias iuris partes veteres ignorabant 293 ſq. Legum priſcarum fragmenta quomodo ſervata 167 ſq. 285. quatenus ex illis ciuitatum inſtituta omnino poſſunt intelligi 294. ſq. Legum cauſae plerumque ignorantur 295 ſq. Scriptores de legibus et rebusp. 280 ſq. 167
Legum latores veteres 284. philoſophi quo ſenſu 291
Leontini 158. 267
Leucas 256
Leuternia terra 235
Libertas, principium et fundamentum omnis ſocietatis civilis 289.
Liciniae gentis num. 377
Lipara, Cuidiorum colonia 262
Litterae et artes, earum ratio et conditio antiquiſſima declarata e nominibus ſymbolicis Apollinis et Mercurii 301 ſq. Vulcani et Minervae 304. Herculis Muſagetae 305. Muſarum 306 ſq. Litterae publice docendae e lege Charondae 175 ſq.
Livii locus ill. 144
Locri Epizephyrii, eorum origo 18. 46. genus 48. 262. illis leges ſcripſit Zaleucus 18. vid. Zaleucus. bonis legibus floruere 44. 50 quamdiu LL. ſuperſtites 68. per quos ſcriptis mandatae 69. Locrorum resp. ariſtocratica 51. numi 49. 52. inſtituta 53. Locri nullis mancipiis vſi 54. cum Crotoniatis pugnant ad Sagram fluuium 55. cum Anaxilao 56.

cum

cum Dionyſio 56. 57. cetera bella et fortuna 58. nobiles ciues 61. Locrorum coloniae 263.
Lucani 264 ſq. Thurios deleuerunt 141. proelium Graecorum cum iis ad Laum, ibid. 265. alia cum iis proelia 142. 190. 191. Tarentinorum cum iis bella 227
Lucianus: ſub eius nomine de aſtrologia liber 335
Luciliae gentis num. 378
Lucretiae gentis num. 378
Luna: ante eam Arcades extitiſſe dicti, quo ſenſu? 337. ſq. 350 ſq. an opinio eorum, qui lunam aliquando cometam fuiſſe dicunt, ex Arcadum narratione firmari poſſit 334. eius inter Arcades cultus 342. Luna ante pugnam Herculis cum Gigantibus orta 338. 352
Lupia apud Pauſaniam 143
Lutatiae gentis num. 379
Luxus Sybaritarum 131. 172. omnium fere magnae Graeciae vrbium 133
Lyciorum lex 296
Lycophronis locus ill. 236 ſq.
Lyſias 139. 141

M

Maianiae gentis num. 579
Mamiliae gentis num. 380
Marciae gentis num. 380
Mariae gentis num. 383
Maſſilia 274
Matronas apud Sybaritas ad ſolennes epulas vocare licebat 149
Mazaceni Charondae legibus vſi 161
Medici Crotoniatae celeberrimi 189
Medma 263
Megara ſeu Hybla 259
Melanippe, de ea fabula ad Metapontum traducta 207. 208
Melete Muſa 307
Memmiae gentis num. 384
Memoriae beneficium in priſca vita. 307
Menedemus 192
Mercurius, vnde artibus et litteris praeeſſe dictus ſit 301
Meſſana 262. 269. Anaxilao paret 271
Meſſapii 275 ſq. v. Iapyges. a Spartanis eiecti 218. 219 not. bellum cum Tarentinis gerunt 221. 222. 240
Metabus 208
Metagenes Comicus 175
Metapontum 205. origo primum a Pyliis 206. tum ab Achaeis 209. 239. eius fortuna 209. numi 205. 206. not. Me-

Digitized by Google

Metapontus, de eo et Melanippe fabula 207 ſq.
Micythus tutor liberorum Anaxilai 271
Mileſii, ob calamitatem Sybaritarum publicum luctum indixerunt 138
Miletus ab optimatibus adminiſtrata 274
Milo Crotaniatarum dux Sybaritas profligat 136
Minerva, virtutis bellicae artiumque pacis dea 304. Eilenia et Elleſia 207
Minuciae gentis num. 385
Mnaſeas Patrenſis, eius Europiaca 339
Mneme Muſa 307
Mnemoſyne, cur mater Muſarum habita 308
Molpis 283
Monteſquieuus LL. cauſas commentus 295
Mores: morum praecepta apud veteres dabant leges 14. 291. ſq. vnde noſtro tempore petantur 292. eorum ſanctitati legum auctoritas ſuperſtructa 120. diſcrimen inter mores veteris Graeciae et noſtros 294
Morgetes, Italiae populus 270
Mortui, quomodo honorari debebant ſecundum LL. Charondae 101
Moſes legum fundum fecit pietatem 292
Μουσική, vocis origo et ſignificatus primus 311
Muciae gentis num. 386
Munchhuſius: in ſolennibus eius parentalibus oratio 411. merita et beneficia in Academiam 415 ſq. in Academiae deſcriptione et inſtitutione 418 ſq. in libertate cogitandi ac ſcribendi fundata 420. in modo docendi et in diſciplinis Academicis deſcriptis 422. in re ſcholaſtica 426. in profeſſorum delectu 427. in Bibliotheca locupletanda 429. Eius facilitas *reli*quaeque virtutes 431. reliqua merita 436 ſq.
Muſae, earum origo e Pieria, et numerus 306 ſq. tandem nouenarius obtinuit 309. an in Homero et Heſiodo occurrat 310. Litterarum artiumque inter antiquiores Graecos conditio, ex Muſarum nominibus muniisque declarata 307 ſq. quando haec inuenta 309. veteris vitae et moris veſtigia in iis, quae de Muſis narrantur 311
Muſeum Academicum 317. 335. 407. Ex eo numi familiar. Rom. 358 ſq.
Muſſidiae gentis num. 386
Mylae 158. 270
Myrica coronati calumniatores apud Thurios 92
Myſcellus, Crotonis conditor 179

Digitized by Google

N

Naeuiae gentis num. 387
Naſidiae gentis num. 387
Naxos 266. 157 ſq.
Neapolis, Cumarum colonia 268 ſq. eius fortuna 269
Nicocles citharoedus 225
Nicolaus Damaſcenus, reſp. et LL. hiſtoriis inſeruit 283
Νομίμων ſcriptores 282 ſq.
Νομοθέται, vario ſenſu dicti 284. legum interpretes interdum et ipſi ſic dicti 169. de iis ſcriptores 284
Νόμοι: qui νόμων libros ſcripſere 282 ſq. et νομοθεσιῶν ibid. 284
Nomophylax magiſtratus Locrorum 52. Thuriorum 151.
Noniae gentis num. 388
Norbanae gentis num. 388
Nouellae gloſſa inſtructae 324
Nouercam inducere liberis, vetitum lege Charondae 106. 118
Νοῦμμος 226. 233. 249
Numae lex 295. not.
Numi familiarum Rom. qui ſint 356. eorum, qui Muſeo academico ſeruantur recenſus 358 ſq.
Nuptiae ſecundae LL. Charondae damnantur 106. ſeuerioribus moribus illa lex vtique eſt conſentanea 107
Nympharum antra apud Sybaritas 129
Nymphodorus 283

O

Ὁδοὶ κατάστεγοι apud Sybaritas 129
Ὁμοσίπυοι in LL. Charondae 166
Opimiae gentis num. 388
Ὀρνιθευταὶ 134
Orphanorum tutela e lege Charondae 117
Ovidius ill. 334
τα ὡραῖα. 101

P

Paeſtum ſeu Poſidonia 263. 203. eius res et fortuna 264
Palaepolis, Neapolis 268
Palladium 236
Pallas Heracleenſibus culta 245
Pan, vnde ei Syringis inuenti laus venerit 303
Pandoſia colonia Crotoniatarum 195. 205. numi ibid. altera vrbs ibid.

Πανήγυρις Magnae Graeciae 189. 190. Heracleae habebatur 240
Papiae gentis num. 392
Παρακίπτειν 104
Parmenides 275
Partheniae 217. 218.
Parthenope 261. Neapolis ſic dicta 268
Pauſaniae locus ill. 143
Pelasgi, qui Italiam adiere 277. qui Arcadiam inhabitauerunt 343
Petilia Lucaniae vrbs 276
Petiliae gentis num. 393
Phalanthus Tarenti conditor 217
Phaleas Chalcedonius 281
Phidon 255
Philippus in numis familiae Maniae 381
Φιντίας 250.
Pindari ſchol. emend. 63
Plaetoriae gentis num. 394
Planciae gentis num. 394
Πλαταιεῖς, vrbs 205
Plautiae gentis num. 394
Plinius ill. 229
Plutarchus de Curioſit. loc. ill. 95
Publiciae gentis num. 395
Polianomorum magiſtratus apud Heracleenſes 247.
Polieum, quae Siris fuerat 236 ſq.
Πολιτεία quid ſit? 221. 148
Πολιτειῶν ſcriptores 280 ſq. 283. tradita in iis ſingularia rerump. 297
Politice, eius incunabula eiusque apud veteres ratio 287. in quibus a noſtris temporibus diuerſa 291
Polybii locus ill. 91. 47. 140
Pompeiae gentis num. 396
Pompeii 276
Porciae gentis num. 396
Poſidonia v. Paeſtum.
Poſidonius Stoicus 283
Poſtumiae gentis num. 396.
Praedes apud Heracleenſes in locato conducto dati 248
Prociliae gentis num. 397
Πρώγγυοι τοῦ σώματος apud Heracleenſes 248
Προσελεῖν 345
Προσέληνοι Arcades 341. 345

Proſe-

Proſelenus rex Arcadum fabulis notus 340
Protagoras Thuriis LL. ſcripſiſſe dictus 163
Proxenus 283
Pupillorum tutela in LL. Charondae 117
Puteal Scribonii 399
Puteoli 269
Pylii Metapontum condidiſſe dicti 206
Pyrrhus, eius aduentus in Italiam 129
Pythagoras Crotonem adiit 186. quando floruit 187. de legibus meritisque eius omnino 96.
Pythagorei, nata in eos odia 187. 188. bene de ciuitatibus Magnae Graeciae meruere; leges tuliſſe parum proprie dicuntur 196 ſq. a Rheginis excepti 271 not.
Pyxus ſeu Buxentum 262

R

Respublicae, qui de iis ſcripſere 280 ſq. de iis vniuerſe 286 ſq. omne reip. genus experti Graeci 290. a populari progreſſi 289
Rhegium 158. 270 ſq. resp. et fortuna ibid. Legibus Charondae vſa vrbs 272. municipium tandemque colonia Rom. ibid.
Rhinthon poeta tragicus 224
Rhodiorum coloniae in Sicilia et Italia 260 ſq. ad Siritidem appulere 237
Roſciae gentis num. 398
Rubriae gentis num. 398
Ruſtiae gentis num. 399
Rutiliae gentis num. 399

S

Saeus 283
Sagra fluuius, ibi clades Crotoniatarum 184
Salapia 261
Salentia 275
Samnites 264. Metapontum deleuerunt 209
Satyrius campus 219
Scidrus 138. 201
Scriboniae gentis num. 399
Scylletium 275
Scymnus Chius 39. et paſſim emend. 183
Selenitae gens 339
Sentiae gentis num. 400
Sergiae gentis num. 400
Seruiae gentis num. 401
Seruiliae gentis num. 400

Digitized by Google

Siculi 270
Siris Troianae originis habita vrbs 235. a Metapontinis, Sybaritis et Crotoniatis expugnata 237. 185. Iones Polieum appellant 236 ſq. Tarentinorum colonia facta Siris 211. Nauale Heracleenſium factum 240. Rhodiorum colonia huc deducta 261.
Siris fluuius 235.
Siritarum numi 235
Siritis terra, de ea bellum Tarentinorum aduerſus Thurios 239. 140. 218. 227.
Σιταγέρται apud Heracleenſes 247
Spartani quid in LL. maxime ſpectarunt 290. 291 not.
Sphaerus 283
Stephanus Byz. emend. 202
Stobaeus, ex eo legum Zaleuci prooemium ill. 19. Leges 26. Legum Charondae prooemium ill. et emend. 76 ſq. 97 ſq. loca eius alia emend. 152. 153. 154. iudicium de prooemiis illis 168
Strabonis loca ill. 7. 142. 205. 208. 210. 223. 226. 261
Στρατηγὸς, magiſtratus Graecorum Italiae ciuitatum 224
Sulpitiae gentis num. 401.
Sybaris eius origo 126 ſq. ſitus et incrementa 128. opes diuitiae, luxusque 129 ſq. incolarum frequentia 131 ſq. 136. ſuperbia et arrogantia 134. eius exitium 135. a Theſſalo quodam vrbs inſtaurata 138. a Crotoniatis iterum diruta 138. acceptis ex Peloponneſo colonis, Sybaritae vrbis ſedem tranſtulerunt circa fontem Thuriam, vnde vrbi nomen Thurii 139. vindicant ſibi terram Siritidem 211
Sybaris ad Teuthrantem fluv. 143. 261
Sybaris et Crathis fluuii 128
Sybaris vrbs in veſte texta 173
Sybaritarum numi 173 ſq. resp. ariſtocratica 147. leges 149. luxus 129 ſq. 149 ſq. 172 ſq. equi ad tibiae cantum ſaltantes 137. magnificentia in ſacris 149 ſq. Sybaritarum coloniae 201. 138. ſcriptores 175. Sybaritae deleti 139. 140
Syracuſae, origo et genus 256. reip. ſtatus, eiusque viciſſitudines 256 ſq. leges 257. 8. coloniae 259
Σύμβουλοι magiſtratus ap. Thurios 151.
Συσσίτια ap. Thurios 151

T

Tabula Heracleenſis 245 ſq.
Taciti loc. ill. 133

Talionis ius apud Locros et Thurios conſtitutum 38. 113
Taras heros 217. in numis 220
Tarentinorum numi 220. 225. 226. ſtudia et litterae 224. dialectus 231
Tarentum, colonia Dorica, eius origo 217. Herculeum 220: not. Neptuno ſacrum ibid. reip. adminiſtrandae forma, ex ariſtocratica, democratica 221. opes et potentia 223. luxus 225 ſq. bella cum Meſſapiis ſeu Iapygibus 221 ſq. 240. cum Thuriis 227. 239. Metapontinis, Lucanis, etc. 227. externis ducibus accitis, Archidamo, Alexandro, etc. ibid. not. cum Romanis 228. Colonia Romana huc deducta 229. facta municipium ibid. artis opera et aedificia inſignia 229
Tauromenium 270
Telephus Pergamenus 284
Telys, Sybaritarum tyrannus 135
Temeſa ab Aetolis condita 276.
Templi Iouis Capitolini frons in numis 393
Terina, colonia Crotoniatarum 195. 202 ſq. numi, ibid.
Teſtes Synodales qui dicti. 91
Thamyris Sybarita 135
Thapſus 261
Theocratia perperam accepta 285
Theodectes rhetor. 283
Theodorus hiſtoricus 338
Theophraſtus, eius libri de rep. et LL. 282
Theopompus LL. et resp. inſeruit ſuis hiſtoriis 283
Theſſalorum coloniae in Sicilia et Italia 276
Thoriae gentis num. 402
Thraſybulus 257
Thuria fons 139. 141. 144
Thuriae in Sallentinis 142. 144
Thurii: colonia Athenienſium, eius origo 139. inter Ionicas colonias habenda 275. non Achaeorum 174. Apollinis colonia 141. factio Athenienſium ibid. et 174. eius fata 140. bellum cum Lucanis 141 ſq. ſocietas cum Romanis 182. colonia a Romanis miſſa, Copiae ſeu Copia vrbs nuncupata eſt 143. Thuriorum reip. forma popularis 147 ſq. 275. inſtituta 151 ſubtilitas in legibus ferendis 152. Charondae legibus vſi 161. nec tamen ſibi ſcriptis, verum adſcitis 157. Zaleuci legibus non ſunt vſi 162. ſcriptores 175. numi 173

Timaeus, eius aſſerta de Locris et Zaleuco 62
Timoleon 257
Titiae gentis num. 402
Tituriae gentis num. 402
Traens fluv. 136.
Τραγῳδεῖσθαι 104
Tulliae gentis num. 403
Tutela pupillorum, de illa lex Charondae 117
Tyndaris 262.

V

Valeriae gentis num. 403.
Vargunteiae gentis num. 404
Vates, omnis doctrinae et ſapientiae auctores 303
Velia 202. 274
Veſtis, Sybaritica formis intextis 173. tenuior Tarentina 225.
Vibiae gentis num. 404
Vibona Valentia 263
Vita publica priuataque antiquitatis praeſtans noſtra 15. 16 morum diſciplina ſeuerior 94
Volteiae gentis num. 405
Vulcanus, vnde artes metalla tractandi ei tributae? 304

X

Xenocrates 139

Υ

Ὕλη 203

Z

Zaleucus, de eo 17 ſq. leges ſcripſit Locris 18. quando ſcripſerit? 50. 64. 160. an ſcripſerit? 62. Pythagoreus non fuit 64. Eius legum prooemium ex Stobaeo et Diodoro appoſitum et illuſtratum 18–23. an prooemium hoc Zaleuci fuerit 67. 71. 166 ſq 285. eius legum fragmenta ad certa capita reuocata 26–32. in his lex de lege abroganda 31. ad morum diſciplinam conſtitutae leges 32–37. de criminibus publicis priuatisque 37. de iure priuato 39. an Thurii eius legibus vſi ſint? 162
Zancle 158. 269

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google